

5 dol[redacted]

Michelangelo d'Elia

CURIOSISSIMUS DE ANTICHRISTO LIBER

REVERENDI

D. MAXIMI XANTHORI TUBITI

ALTILIENSIS, SEU ALTIMURANI

In novem Copiosissimos Tractatus divisus,

Quorum unusquisque multa continet de isto homuncione, quæ stylo brevi Sacræ Scripturæ authoritatibus, Sanctorum Patrum doctrinis, ac gravissimorum Ecclesiasticorum sententiis probantur.

OPUS PROFECTO AB AUCTORE

Hilari animo susceptum, summaque industria, & labore penè absolutum, & ob ejus mortem importunam (dum finem quidem parabat)

A R. D. MICHAELE TUBITO

U.J.S.T.M.P. Ejus Fratre, Prothonotario Apostolico, ac Incurabilium Nosocomii Neapolitani regiminis Magistro ad finem usque magna diligentia perfectum,

Qui ut faceret satis suæ, & Auctoris voluntati

CLEMENTI XI. SUMMO PONTIFICI

DICATUM VOLUIT, ET OBTULIT.



NEAPOLI, Ex Typographia Dominici Roselli MDCCXII.

Superiorum Licentia.


CLEMENTI XI. PONT. MAX.
Michael Tubito Altimuranus Presbyter. et Prothonotarius Apos tolicus. D.D.D.
Die pr.mo Mensis Maij 1712
Stanzione Form.

SS. PATRI, ET DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO

MICHAEL TUBITUS ALTIMURANUS PRESBYTER

Sempiternam Felicitatem.



Olebant Romani illi prisci frugalitatis, & disciplinarum omnium cultores, SANCTISSIME PATER, eos clientes suscipere, quos patrocinio suo dignos arbitrabantur; Illosque sanctiùs, chariùsque habere, quàm cognatos, & affines omnes. Quem morem præclarissimum Sanctitas Tua longa annorum serie veluti peculiarem retinet. Siquidem sub ejus tutela, ac benignissimo patrocinio innumerabiles Viri undequaque doctissimi, & omnium laudatarum artium peritissimi, virtutes, ac liberali-

tatem

tatem Tuam admirati, esse voluere. In quorum numero minimus fuit meus germanus frater *D. Maximus Xanthorus Tubito*, qui paucis ab hinc annis meruit Sanctitati Tuæ librum dicare, cujus titulus (*Theatrum Divinum*), & ni fuisset morte præventus, alterum, quem nunc offero librum, de Antichristi vita tractantem, quem ipse summo labore, ac studio composuit, sub Sanctitatis Tuæ tutamine, etiam edidisset: & priusquam vitalia limina linqueret, ita me alloquutus, ait, Frater mi dilectissime, operæ pretium est, ut illi, à quo tanta benevolentia, tantisque beneficiis, non meis meritis, sed sua largitate, & munificẽtiis honoratus fui, ac cumulatus ne dum vivens, verum etiam post mortem hoc opus cõsecrarem. Tandem ut facerem satis meæ & Authoris voluntati provolutus ad Sanctitatis Tuæ pedes, Volumẽ istud offero, dono, & consecro, ut magno Nominis Tui honore obumbratũ, Mundo publicare possim veram, nativamque hujus feralis monstri faciem, ac res ab eodem gerendas exhibeam. Agnoscant jam illud, & intueantur omnes, ac sciant in Sacram Petri Sedẽ Romanam tàm impiè multos esse blasphemos. Ergo qualecumque Opusculum hoc Orthodoxorum cætui defero: quid effecerit Author integrum penes Te, BEATISSIME PATER, iudicium ma-

net;

net; illud ſanè impenſè cupivit, ut authoritate Tua Volumen iſtud lumen aſpiceret, ut eſſet ſui devoti animi alterum teſtimonium perpetuum erga Te Vnicum, & ſingularem Rectorem totius Orbis, quem tuarum Splendore virtutum illuſtras, quæ talis, ac tantæ dignitatis gloria dignũ Te reddidere. Hæ Te admirabilem, & conſpicuum faciunt, amabilemque omnibus præbent. His Tuis virtutibus tamquam fulgentiſſimis Stellis coronari præſens opus ambit. Si Tua protectione dignabitur, tutum erit, Ariſtarchorũ calumnias effugiet, invidorum cavillationes evitabit, æmulos cenſores irridebit. Obſecro proindè, ut oculis benignitatis Tuæ eum aſpicias, hilarique animo Munuſculum hoc recipias, ac exoro, ut benedictionem Paternam, quam ſuppliciter peto, benignè impertiaris, & interim Divina Bonitas, SANCTISSIME PATER per Neſtoris annos, nobis, & toti Reipublicæ Chriſtianæ incolumem ſervet, induatque noua ſemper virtute ex alto, ut renovetur ſicut Aquilæ ſenectus, imò juventus Tua, & quam Mundus hiſce temporibus ex ingraveſcentium bellorum fremitu, ac tumultu dare nequit pacem, à Sãctitate Tua, ut par eſt, obtineamus, ut fas ſit mihi cum Pſalmiſta præconis voce toti dicere Orbi, Ecce *(qui poſuit fines tuos pacem.)*

Datum Neapoli die 1. menſis Maii 1712.

INDEX
TRACTATUUM HUJUS OPERIS.

EMINENTISS. DOMINE.

D. Maximus Xanthorus Tubitus Presbiter fecularis Altimuranus fupplicans exponit V.E. fe habere in lucem edendum opus, cui titulus eft: *Curiofiffimus de Antichrifto Liber*: Ideo fupplicat humilitèr, ut dignetur ejus revifionem remittere alicui V. E. doctiori vifo, & totum obtinebit in gratiam, ut Deus.

Ad D.Canonicum Giptium 20.*Januarii* 1711.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

R. P.Antonius de Baucio S. J. revideat, & referat. Neapoli 23 Januarii 1711.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISS. PRINCEPS.

VOlumen cui titulus, *Curiofiffimus de Antichrifto Liber*, auctore D. Maximo Xanthoro Tubito elucubratum, Em. V. juffo facturus, perlegi. Nihil omninò, quod Religioni, ac bonis moribus adverfetur offendi; imò pietati confonum, & magna eruditionis ubertate refertum agnovi, proinde publica luce fummopere dignum quantum in me eft arbitror.

Em. Tuæ

Addictiffimus Famulus
Antonius de Baucio Soc. Jefu.

Attenta fupradicta relatione Imprimatur. Neapoli 28. Aprilis 1712.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EX-

EXCELLENTISS. DOMINE.

D. Maximus Xanthorus Tubitus Presbiter secularis Altimuranus supplicans exponit Exce'l. V. se habere in lucem edendum opus, cui titulus est: *Curiosissimus de Antichristo Liber*, ideo supplicat humilitèr, ut dignetur ejus revisionem remittere alicui Excellentiæ V. doctiori viso, & obtinebit in gratiam, ut Deus, &c.

Reverendus Pater D. Antonius de Baucio videat, & in scriptis referat.

GUERRERO R. ARGENTO R.

Provisum per S. E. Neap. 28. Aprilis 1712.

Mastellonus.

EXCELLENTISS. DOMINE.

Librum, cui titulus, *Curiosissimus de Antichristo Liber* de mandato Excellentiæ Tuæ accuratè perlegi, nihil omninò, quod Regiæ jurisdictioni, aut bono regimini præjudicium inferat deprehendi, quapropter si Exc. Tuæ videbitur, non sine literariæ Reipublicæ ærudamento imprimi posse censeo. E Collegio Neapolitano Societatis Jesu die 1. Maii 1712.

Exc. Tuæ

Addictiss. Famulus
Antonius de Baucio S. J.

Visa relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

GASCON R. GUERRERO R.
GAETA R. ARGENTO R.

N. N.

N. N. SOCIETATIS JESU

Ad D. Michaelem Tubitum, opus de Antichristo à fratre incoatum, perficientem.

EPIGRAMMA.

LÆdæos quondam vidit si Græcia fratres,
  Vos non dissimili luce micare putem.
Pollucem æquavit frater, ventura tenebris
  Obsita, ab ipsius dum face, sæcla micant.
Fraternam reparans redivivo lumine mortem,
  Ipse novo hoc nobis sydere, Castor eris.

ALIUD.

PAlladiam meruit laurum, quando abdita frater
  Sæcula, multiplici prompsit aperta face.
Se major tamen assurgit post funera: nempè
  Arte tuâ meliùs nobile prodit opus.
Sic in utroque tamen fulget vis inclyta mentis,
  Ut tu sis fratris gloria, & ipse tui.

P. FRANCISCUS DE FRANCHIS SOCIET. JESU

Ad eundem jure sui Nominis Omine opus perficientem.

EPIGRAMMA.

ULtima miramur Fratrem cessisse canentem
  Prælia Germanum, docte Tubite, tuum.
Et querimur fato nimium quòd raptus acerbo,
  Qui calami * Nequam fixerat arte Virum.
At meritò cessit, Michael, Tibi * perditus Hostis,
  Quem * Michael perdet, jure præmendus erat.

* Homo nequam dicitur Antichristus.)
* Filius perditionis Antichristus.) *In Scripturis.*
* S. Michael percutiet Antichristum.)


* MI-

MICHAELIS NUZZI

Abbatis Curati S. Thomæ Apostoli ad Capuanam Neap.
Ad Librum.

EPIGRAMMA.

POsthume, qui vitam carpsisti cæde Parentis,
Vade, Liber, validos & tibi quære Duces.
Ardua contineo, dicis, natale nefandi,
Interitum, bellum, gesta dolosa viri.
Quos teneam calles, columen petiturus amicum?
Infremit obsistens invida turba mihi.
Collibus in septem, montes tres, sydus & unum,
ALBANOSQUE PATRES corde libente petas.
Imperat HOS inter CLEMENS, re, nomine SUMMUS,
Culmine virtutum, moribus angelicis.
Est animo mitis, celsus pietate, nitore;
Ter sapiens, fortis stat sapientis amans.
Te placido vultu complectens, fronte serena
Proteget, accipiet, pectore corde fovens.
Quàm benè conveniant, & in una sede morentur
Majestas, & Amor, noveris ipse tibi.
Protectus maneas magni si nominis umbra,
Invidus obstupuit, te veneratus abit.



D.DO-

D. DOMINICUS AMERICO U. J. D.

Excellenti huic novo Operi de Antichristi vita tractanti supra nubes nondum in terris audito, feliciter incepto & ad finem quasi redacto à R. Domino D. Maximo Xanthoro Tubito, viro bonis moribus, doctrina, ac præstanti virtute. Sed proch dolor! Fatis erepto, nè tantum opus languesceret, Frater ejus amantissimus D. Michael non minus vitæ integritate, bonis moribus scientia, prudentia præditus; Xenodochii Incurabilium hujus Civitatis Neapolis fidelissima meritissimus Rector, ac Magister Colophonem addidit, & summam imposuit manum.

EPIGRAMMA.

HI penitus frangunt tractatus Cornua miri
Bestiæ inhumanæ; ne ferat alta Polo,
Quid Clavæ Alcidis vellenti Cornua Tauri
Sævi Acheloi isto cum supero calamo?
Maximus incepit; Michael confecit, & edit
In lucem librum: ut Bestia Jure cadat.



N I-

NICOLAI CRISCENTII M.D.
Tetrasticon.

NOscere qui cupiet, quibus ex Aquilone procellis
In scopulos Petri corruat alta Trabes;
Qui fluctus sacram possint impellere Puppim,
Hunc habeat librum, hoc optima dicta docent.

NICOLAUS CYRILLUS.

QUod tuus incœpit doctrinâ & nomine Frater
Maximus, hoc sua post funera surgit opus.
Perficis hoc, Michaël, verasque ut luce fruatur,
Et volitet semper docta per ora Virûm.
Ut Frater facis extinctus de morte triumphet
Sic quoque tu victâ morte perennis eris.

IN OPERIS, ET AUCTORIS LAUDEM.
Octasticon.

CUm sibi præfixam metam tetigisse laboris
Credidit, heù Pietas! Maximus interiit.
Conqueror, at quis non doleat, spes ipsa, nitorque,
Virtutisque decus dum periere simul.
Sed nullus lacrimis locus est, non causa doloris
Nam si oculis lateat, mente videre queo.
Si periit, commune malum, Phœnicis ad instar
En redivivus adest, optima scripta novant.

In laudem D Michaelis Tubito Auctoris Fratris.
DISTICON.

MAximus exiguo pertractat Maxima; Summi
Jure igitur Michael consacrat auspiciis.

M. D. Pensa de Pensa.

REVERENDI
D. MAXIMI XANTHORI
TUBITI ALTILIENSIS
PRÆFATIO
In suum curiosissimum de Antichristo Librum
AD LECTOREM.



X eo, quòd multa de Christo Domino, & pauca de ejus futuro adversario scripsimus in nostro Divino Theatro, edito hic Neapoli ex Typographia Dominici Antonii Parrino sub anno nostræ Salutis 1702. ac CLEMENTI XI. Pontifici Maximo dicato, occasio nobis sortita est multa quoque de Antichristo scribere: nam paucos post menses, quàm illud in lucem edidimus, brevem animadvertentes esse ibi Antichristi mentionem: idcircò curiosissimum proposuimus de isto nebulone Volumen cōponere: quod illicò magna animi constantia cœpimus, ingentique diligentia & labore ad finem Deo adjuvante reduximus, atque variis exornavimus floribus, ut suavitates odorum, qui afflantur ab illis, maximam Lectori delectationem afferant. Sed ejusmodi Opus ita exordimur. I. Causa quare Author scripserit hunc curiosissimum de Antichristo Librum.

Ea quæ de Antichristo in hoc Libro tractanda sunt, ne quisquam fortasse Lector, vel ex meo sensu ficta, vanaque hominum commenta, vel incertis Auctoribus temerè vulgata, creditaque suspicaretur, fateor Ego, partim sumpsisse ac collegisse ex Sacris Canonicisque Scriptoribus, qui Spiritu Sancto calamum regente multa de Antichristo stylo vaticinante & æterna veritate subnixo, prænunciarunt: partim ex præclaris gravibusque Authoribus Ecclesiasticis, qui de rebus sævissimi tyranni complura literarum monumentis consignarunt. II. Procemium. Unde desumpta sint, quæ de Antichristo in hoc Libro tractanda sunt.

Ex Sacris in primis cōpilavi ex Daniele Propheta: nam is in cap. septimo, nono, undecimo & duodecimo dupliciter agit de Antichristo: partim Historicè, narrando ea quæ soli Antichristo verè pro- III.

Quibus in locis Daniel agat de Antichristo, & quomodo.

prièque conveniunt: partim mysticè, & hoc dupliciter. Primò sub typo & figura excidii Hierosolymitani, quia quicquid Titus cum Vespasiano & Ælio Adriano fecerunt in diruenda Hierosolyma, id ipsum Antichristus faciet in Ecclesia Catholica. Secundò sub persona scilicet Antiochi Epiphanis: quoniam multa quæ de illo Rege secundum Historiam dicuntur, etiam per figuram competunt Antichristo. Etenim, quæ gessit Antiochus adversus Judæos, simillima eorum, contra Christianos, in consummatione Mundi facturus est Antichristus. Tunc enim, uti legitur in S. Matthæo cap. 24. *Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi usque modo, neque fiet*. Tribulatio quidem erit magna ob immanitatem seu sævitiam persecutionis, ob ementita prodigia, quæ diabolica operatione patrabuntur; & maximè erit à fidelibus intellecta ob imbecillitatem sive debilitatem Spiritualem contractam propter prohibitionem usus Sanctissimæ Eucharistiæ, ob quam reducetur quasi in mortis agoniam tota Ecclesia; *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi*. Ob defensionem ab hoc periculo fuit necessaria denunciatio & prædictio Christi unà cum conservatione miraculosa Enoch per tot sæcula à tempore legis naturalis, Eliæ legis scriptæ, ut animaret fideles; & in testimonium veritatis Catholicæ venient illi tempore Antichristi ad prædicandam, ad defendendam Catholicam veritatem, ut fusiùs latiùsque in VIII. Tractatu hujus nostri Libri patebit.

Tribulatio Antichristi quanta erit gravis, & quare.

IV.

Quodnam Danielis vaticinium de abominatione desolationis Christus citaverit.

Deinde sumpsi ex verbis Domini nostri, quæ sunt apud Joannem cap. 5. ut in VI. Tractatu hujus nostri Operis ostendetur, & apud Matthæū loco suprà indicato: nam ibi Salvator noster secundum clarissimū omnium Patrum ac Interpretum consensum illud Danielis oraculū de abominatione desolationis, quod est in cap. 9. ver. 27. citavit, nimirum: *Et erit in Templo abominatio desolationis, &c.* Id enim disertissimè docent S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses, Origenes Tract. 29. in Matthæum, Eusebius Cæsariensis de Demonstrat. Evang. lib. 8. cap. 3. S. Hieronymus in 24. Matthæi, S. Ioan. Chrysostomus Orat. 2. contra Iudæos, S. Augustinus in Epist. 80. ad Hesychium, & omnes alii perpetuò intellexerunt Dominum Matth. 24. non aliud præcipuè citasse Danielis oraculum, nisi illud adductum ex præallegato cap. 9. Quoniam eo loci S. Propheta adhuc agit (ut suprà demonstratum est) de Antichristo, non Historicè, quia eo modo agit de passione Christi, de Iudæorum defectione, de excidio Hierusalem & Templi, de sacrificiis & cæremoniis Iudæorum cessaturis. Namque sic ait: *Et post hebdomadas sexaginta duas, occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas; & post finem*

Daniel, & Dominus Historico sēsu de Hierosolymitano excidio vaticinati sunt.

finem belli, statuta desolatio. Confirmavit autem pactum multis, hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & Sacrificium: & erit in Templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Ecce quomodo Divinus Vates Historicè agit, quòd crucifixo Christo in Hierusalem post 40. annos advenit Titus cum exercitu Romano, Vrbemque depopulatus est & Templum, ibi desiit Sacrificium Iudæorum, eaque Templi desolatio permanebit usque ad finem Mundi. Allegoricè verò in illis verbis agit S. Propheta de Antichristo, quem ipse juxta interpretationem, quam faciunt plerique Sanctorum Patrum & Doctorum, quos infrà adducemus, abominationem desolationis appellat; quo etiam nomine notavit illum Dominus Matth. ubi suprà: *Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco Sancto, &c.* Ratio est, quia adducendi Patres & Doctores per abominationem desolationis stantem in loco Sancto, saltem mystico & arcaniori sensu Antichristum ipsum à Daniele Christoque utcunque significatum dixerunt. Neque enim ullo pacto est asserendum Patres & Doctores ita desipuisse, ut quæ Daniel & Dominus de abominatione desolationis prædixerant, nullo modo de tempore Hierosolymitani excidii, sed de Antichristo tantùm pronuntiata crediderint, cùm luce meridiana manifestiùs esse noscatur, Danielem & Christum suis vaticiniis tempora extremæ cladis Hierusalem, & Templi potissimùm respexisse. Cuius excidii causam Daniel præmisit, dicens: *Occidetur Christus* (scilicet à Iudæis) *post sexaginta duas hebdomadas*, & septem de quibus præmiserat in lxx. hebdomada, annorum videlicet, non dierum secundum expositionem omnium Doctorum. Dominus etiam & Salvator noster hoc prædixit per xl. annos ante ipsam desolationem: quando scilicet videns Civitatem in die Palmarum in monte Oliveti, fleuit super eam, dicens Lucæ 19. inter cætera: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & nõ relinquent in te lapidem super lapidem.* Et causam tantæ calamitatis assignans, subdit: *Eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ*, scil. non recipiendo Christum ut suum Salvatorem, & credendo in eum, sed eũ persequendo & ad crucem ac mortẽ perducendo. Quia igitur (ut ait D. Hieron. dist. xc111. Diaconi. V.) moderatio Dei & pietas solùm nostrum reditum quærit, ac nos cupit longa sua bonitate saluare, (diù expectando videlicet) sed si non convertimur, si duri sumus, si usque in finem in malis perseveramus, (ait idem) non miseretur Deus assiduè peccantium. Ideò postquam expectati sunt Iudæi per xl. post crucifixionem & mortem Domini annos, quos in spatium pœnitentiæ acceperant, in obstinatione sua permanentes perfidiæ, id est,

Plerique Sancti Patres & Doctores, Danielem & Dominum mystico sensu de Antichristo fuisse locutos crediderunt.

Excidii Hierosolymitani causam Daniel, & Dominus prædixerunt.

Iudæorum perfidia.

est, de commisso in Salvatorem nostrum scelere pœnitere nolentes: quinimmò & Christicolas ubique persequentes, Stephano & duobus Iacobis occisis, quasi peccatum peccato addentes, Hierosolymis obsessi sunt à Tito Vespasiani filio in ipsa Paschali festivitate, cunctis undecunque populis ad festum confluentibus, & ab eodem Tito demum expugnati & extermin ti sunt de terra: nam ultio Divina, quæ eis à Domino prædicta fuerat, jam in populum impium exardescere debuit: & hæc illi contigit anno secundo Imperii Vespasiani, quia tunc secundum Eusebium Cæsariensem & Hermannum Contractum in Chronicis Hierosolyma à Tito cum multo sanguine Romanorum expugnata solo adæquata est. Sed audi hic verba Eusebii, quæ sic se habent: *Anno secundo Imperii Vespasiani, qui fuit 73. ab ortu Domini, Titus Iudæa capta & Hierosolymis subversis sexcenta millia virorum interfecit. Iosephus verò Iudæorum Historicus & tunc præsens scribit undecies centena millia fame & gladio perisse, & centum millia captivorum publicè venundata, & alia nonaginta millia dispersa. Vt autem tanta multitudo Hierosolymis reperiretur, causam azymorum fuisse refert, ob quam ex omni gente Iudææ ad Templum confluentes, Vrbe quasi carcere sunt reclusi: oportuit enim iisdem diebus Paschæ eos interfici, in quibus Saluatorem crucifixerant.* Ita Eusebius.

Hierosolyma anno secundo Imperii Vespasiani à Tito eius filio expugnata, incensa, & funditùs eversa est.

V. Fuit autem (ut tradit D. Antoninus Archiepiscopus Florẽtinus 1. Par. Hist. tit. VII. cap. 1. §. 1.) hæc Hierosolymæ destructio & exterminium ac dispersio Iudæorum prænuntiata per Danielem Prophetam per quingentos & xxxv. annos ante eius eversionem, ut patet Dan. IX. in lxx. hebdomadibus annorum: ubi dicitur in fine illius visionis: *Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo*, scilicet Tito, sub quo statim ac ipso cum Templo magnificentissimo Hierusalem funditùs est eversa, ita ut solo (ut suprà audisti) coæquaretur, cœperunt Hebræi esse omnium ludibrium; & meritò id in pœnas, quia in Filium Dei manus sacrilegas extendere præsumpserunt. Itaque supremo exitio gens impia & Christicida à Tito Romano Principe prostrata, laribus & solo avito profligata, Regno, Templo, Sacerdotio exuta, dispersa ac dissipata in omnes angulos Orbis, per omnes nationes vaga, profuga, errabunda, exagitata, propudium & ignominiam reiecti & occisi Christi Filii Dei circumferens, reddita est cunctis Gentibus invisa, abominabilis, ac prorsùs execrabilis, ut nihil hodiè absurdiùs & contumeliosiùs habeatur, quàm Iudæorum nomen, quod olim nobile & illustre erat, à gloria nimirum & celebritate dictum: unde Romanæ leges tetrum Iudæorum nomen appellant. Sed ita Iudæi manebunt abjecti ac dispersi per totum Orbem usque ad adventum Antichristi, qui eos congregabit, & se eis pro vero Messia venditabit, faciendo signa multa magna mira-

Miserãdus status populi Iudaici, quem à clade Titi ad finem usque Mundi in dispersione habet.

mirabilia & inaudita, arbores ſcilicet ſubitò florere & areſcere, mare turbari, & ſubitò tranquillari, naturas in diverſas figuras mutari, agitari aera ventis & multimodis commotionibus, & cætera innumerabilia & ſtupenda, mortuos in conſpectu hominum ſuſcitari, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Nam quando tanta ac talia ſigna viderint, etiam illi qui Cœleſtes & perfecti Dei ſunt, dubitabunt, utrum ipſe ſit Chriſtus, qui in fine Mundi venturus eſt ſecundum Scripturas, an non. Hæc autem omnia miracula omnibus modis falſa erunt per incantationes diabolicas, ſed peccatoribus & incredulis videbuntur eſſe vera. Conſule de his IV. hujus noſtri Libri Tractatum.

VI. Poſt excidium Hieroſolymitanum ſub Tito & Veſpaſiano factũ, altera clades, nõ minùs calamitoſa & funeſta, ſub Adriano Imperatore Judæis accidit.

At verò per enarratum Hieroſolymæ excidium, à Tito (ut ſuprà audiſti) illatum, adimpleta eſt prææadducta Danielis & Domini noſtri Prophetia; & per alterum illius excidium factum ab Ælio Adriano: quia hic Adrianus in urbem Hieroſolymam everſam coloniam deduxit; & quo loco Templum Dei fuerat, eodem loco, Jovi phanum ædificari curavit: ibiq; ſtatuam ſuam equeſtrem, ac Jovis idolum poſuit: hinc magnum bellum & diuturnum moveri cœpit, Judæis graviter ferentibus, quòd exteræ nationes, in ſuam Urbem habitatum veniſſent; quòdque in ea fieri externa Sacra viderentur. Veſtigia enim Civitatis quædam manebant; & Judæi qui remanſerant latentes undecunque ad locum Sanctum redierant: unde iterum multiplicati, à Romano Imperio, ob introductionem in patriam ſuam cultus idolatri, ab Adriano factam, defecerunt ac rebellarunt, ſtatuam Adriani & Jovis idolum ab illa amoventes, anno ab everſione facta per Titum LXIIII. qui fuit XIIII. vel XV. Imperii Adriani: & ob hoc Adrianus iratus apponens extremam manum, cruentiſſima ſtrage & incredibili cæde, ferè omnes conſumpſit ac delevit: & funditùs evertit Urbem: ac edixit, ne aliquis Judæus remaneret in terra illa; & ſic Judæi de avito ſolo exterminati ſunt.

Cauſa, vel occaſio rebellionis Judæorum à Romanis.

De hac ultima Hieroſolymæ everſione videtur nonnullis dicere Chriſtus Lucæ 21. ver. 24. quando dicit: *Et captivi ducentur in omnes gentes*. At aliis magis placet, Dominum noſtrum ibi apertiſſimè loqui de præfato exitio Hieroſolymorum, quod à Romanis, duce Tito, factum eſt ſub Veſpaſiano Principe, quando exciſa Civitate, Templo incenſo ac diruto, infinitis propemodum Judæis ferro trucidatis, vel fame aut peſte abſumptis, reliqui qui remanſerant abacti, captivi, & diſperſi ſunt in omnes regiones: in qua captivitate manent, manſurique ſunt ad finem uſque ſæculi. Sic dignè impii pœnas Chriſticidii atque perfidiæ, ſanguiniſque effuſi in ſanguine ſolvunt. Unum duntaxat addimus verbum eos poſt Titi ſupremam, & ſub Adriano cladem nec Urbem aliquam, nec Regem, nec Principem, nec formam ullam veræ Reipublicæ unquam nanciſci

Explicatur Verbum Chriſti Lucæ 21. ver. 24. *Et captivi ducentur in omnes Gentes*.

cisci potuisse, nec deinceps habituros ad tempora usque Antichristi.

VII. Adrianus Imperator Hierosolymam reædificavit, ac Æliam nuncupavit.

Denique verò Adrianus Hierosolymam ab ipso funditùs eversam, reædificavit, seu mœnibus & ædificiis instauravit: & adeò eam amplificavit, ut loca Sacrata Dominicæ Passionis & Resurrectionis, quondam extra Urbem iacentia, intra mœnia concluserit: & ex suo nomine Æliam Capitolinam appellavit. Præcepit, ne cui Judæo, sed tantùm Christianis, introeundi in hanc Urbem ac in ejus totam Provinciam facultas omninò daretur. Nam cùm primò Christianis adversaretur, postea cognita eorum Religione, eis admodum favit, & beneficus fuit. Itaque Judæis à tempore Adriani Imperatoris fuit interdictum, ne pedem in terram Judæam inferrent, unde penitùs ejecti fuerant, uti affirmat Aristo Pellæus Auctor antiquus, de quo ista prodit Eusebius lib. 4. Histor. cap. 6. *Aristo Pellæus narrat, uniuersæ Judaicæ genti ex illo tempore prorsùs interdictum, ne pedem in agrum Hierosolymitanum aliquando inferrent, & legis decreto, institutisque Adriani (ille planè sic in mandatis dederat) ne vel ex edito loco paternum solum oculis aliquando aspicerent.* Sic ille. Et Tertullianus in Apologet. cap. 21. de eisdem loquens Judæis, ait: *Quibus nec aduenarum jure terram patriam saltem uestigio salutare conceditur.* Et in libro contra Judæos capite 13. *Interdictum est (inquit) ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum, ut hoc quoque esset adimpletum quod per Prophetam dicitur Isaiæ 33. ver. 17. Regem cum claritate uidebitis, idest Christum facientem uirtutes in gloria Dei Patris: & oculi uestri uidebunt terram de longinquo: quod uobis pro meritis uestris post expugnationem Hierusalem, prohibitis ingredi in terram uestram, de longinquo eam oculis tantùm uidere permissum est.* Hæc Tertullianus. Durabit autem hæc Adriani prohibitio Judæis facta usque ad Antichristum: quoniam ab eo venturo tria ante alia potissimùm sperat feralis Judaica natio. Primum se ex omnibus Mundi partibus, ubi extorres & dispersi vagantur, congregandos tandem per suum Messiam, atque reducendos in Judæam solum patrium. Secundum, Hierusalem & Templum cum sacrificiis, & cætero Sacrosancto ornatu & apparatu magnificentiori, quàm unquam ante fuère, instauranda esse. Tertium, regnaturos ibi felicissimè cum suo Messia in omni copia & affluentia rerum omnium terrenarum, quæ ad voluptates & delicias corporeas attinent, subactis cunctis Gentibus, fixo & stabilito Hierosolymis totius Orbis Imperio.

Judæis quando fuit interdictum, ne pedem in terram Judæam inferrent, unde penitùs ejecti fuerant.

Quandiù sit duratura hæc prohibitio Judæis facta.

Judæi sperant se redituros sub Antichristo in Judæam: Hierusalem & Templum instauranda, ac ibi feliciter cum suo venturo Messia regnaturos.

VIII. Auctor redit ad id quod sequebatur ostendendo my-

Sed cùm Sancti Patres intelligerent Danielem & Dominum nostrum Historico sensu de præfato Hierosolymitano excidio, per Titum & Ælium Adrianum facto, vaticinatos; secretiori tamen & mystica intelligentia etiam de Antichristo fuisse locutos crediderunt.

runt. Nam cùm Hierusalem & Templi desolatio, Mundi quoque totius interitum adumbraverit; nihil mirum si abominatio desolationis Urbis, abominationem desolationis Orbis, hoc est, ipsum Antichristum allegoricè præsignificaverit. Porrò abominationem desolationis stantem in loco Sancto Antichristum appositissimè potuisse nuncupari, nullus ambigit. Is enim propter innumera ac immensa flagitia, ac præsertim quia se Deum verum appellabit, & supremum omnium idolum erigere conabitur, rectissimè abominatio dictus intelligitur: desolationis verò, propter strages & desolationes stupendas, quas Ecclesiæ Christi & toti Orbi est illaturus, propriè appellatus agnoscitur. Et quia ipsum proximè subsequetur Mundi totius desolatio & finis. Stans autem in loco Sancto dicitur: quia asserente Paulo Apostolo, *In Templo Dei sedebit, ostendens se tanquam sit Deus*, ut copiosè in V. & VI. Tractatu hujus nostri Libri ostendetur.

mysticam intelligentiâ de abominatione desolationis, à Daniele Christoq; prædicta.

Utrum allegorico sensu abominatio desolationis intelligatur à Daniele Christoque Antichristus.

IX.

S. Patres, qui per abominationem desolationis Antichristum fuisse à Daniele Christoq; significatũ intellexerunt.

Sed Patres & Doctores, quos suprà explicavimus ac defendimus, prout explicat & tuetur Maluenda lib. 7. de Antichristo cap. 9. jam adducamus. In primis S. Irenæum, qui lib. 5. adversus hæreses cap. 25. adstruit, quòd Antichristus in Templo Hierosolymis sedebit, tentans semetipsum Christum ostendere, sicut & Dominus ait: *Cùm autem videritis abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam, stantem in loco Sancto, qui legit, intelligat.* Deinde S. Hilarium, qui Canone 25. in Matthæum hæc differit: *Judicium Dominus noster Jesus Christus sui adventus futuri cùm abominationem desolationis stantem in loco Sancto videbunt, posuit. Et de hoc quidem Beatissimo Daniele & Paulo prædicantibus superfluum puto nos habere sermonem. De Antichristi enim temporibus hæc locutus est: Abominatio ex eo dictus, quòd adversus Deum veniens, honorem sibi Dei uendicet. Desolationis autem abominatio, quia bellis & cædibus terram cum piaculo desolaturus sit, atque à Judæis susceptus loco sanctificationis insistet, ut ubi Sanctorum precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit.* Hæc S. Hilarius. Insuper S. Ambrosium, qui sic inquit in 21. Lucæ: *Verè Hierusalem ab exercitu obsessa est, & expugnata à Principe Romano: unde & Judæi putaverunt tunc factam abominationem desolationis, eò quòd caput Porci in Templum jecerint illudentes Romani Judaicæ ritum observantiæ. Quod ego nec furens dixerim: abominatio enim desolationis execrabilis adventus Antichristi est: eò quòd sacrilegiis infaustis mentium interiora contaminet, sedens, juxta Historiam, in Templo, ut sibi Divinæ vendicet solium potestatis. Juxta interpretationem autem spiritalem pulchrè inducitur stare, eò quòd in affectibus singulorum vestigium perfidiæ*

fidię suæ confirmare desideret ex Scripturis contendens se esse Christum. Tunc appropinquabit desolatio, quoniam à vera Religione plerique lapsi errore descifcent. Tunc erit Domini dies. Quod etiam Apostolus evidenter exposuit, dicens: Non timendum esse nobis quasi instet dies Domini, nequis nos seducat ullo modo: quia nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus. Ita S. Ambrosius. Præterea S. Gregorium Nazianzenum, qui Orat. 47. in hunc modum loquitur: *Quod ad hunc locum attinet, abominatio desolationis stans in loco Sancto, ajunt fore, ut Hierosolymitanum Templum rursum extruatur, atque Antichristus à Iudæis Christus credatur, in eoque sedeat, totiusque Orbis terrarum Rex esse videatur. Porro ad Mundi desolationem, & vastitatem ueniet. Abominatio siquidem desolationis est.* Tantum ille. Denique S. Hieronymum, qui in cap. 24. Matthæi: *Potest*, inquit, *quod dicitur abominatio desolationis, simpliciter intelligi, aut de Antichristo, aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in Templo; aut de Adriani equestri statua, quę in ipso Sancto Sanctorum loco usque in pręsentem diem stetit. Abominatio quoque secundum ueterem Scripturam idolum nuncupatur, & idcircò additur, Desolationis, quòd in desolato Templo atque destructo idolum positum sit.* Hæc S. Hieronymus. Eadem Venerabilis Beda prodit in 13. Marci.

X. *Variæ Interpretũ opiniones de abominatione desolationis, à Daniele Christoque prædicta.*

Quocirca Interpretes seu Expositores variant in assignando quænam sit abominatio desolationis à Daniele Christoque prædicta. Nonnulli enim per illam accipiunt idola secundum præadductam sententiam D. Hieronymi. Et de duplici idolo (ut ait S. Thomas in cap. 24. Matthæi) potest dici. Legitur namque, quòd Pilatus introduxit Aquilam in Templum: quod erat signum Romanorum, quod Judæi abominationem dicebant. Præterea Adrianus Imperator (ut suprà diximus) statuam suam equestrem ac Iovis idolum posuit in loco in quo fuerat Templum Dei: unde S. Hieronymus in in 2. Isaiæ: *Vbi quondam* (inquit) *erat Templum & Religio Dei, ibi Adriani statua, & Jouis idolum collocatum est. Quæ sanè implebant uaticinationem Danielis, qui scripserat, in propinquo fore ruinam Iudæorum, cùm in loco Sancto posita esset desolationis abominatio. Sic enim Hebræi idola, & impios cultus nominant. Ab eo ergo tempore cuncta Iudæis peruersè cedere coeperunt, ut præmonuerat Christus Prophetarum numen, Matth. 24. & Marc. 13.* Cornelius verò Jansenius in Comment. in concordiam Evangelicam negat per abominationem desolationis, accipi posse aut imaginem Cæsaris, quam Pilatus posuerit in Templo; aut equestrem Adriani Imperatoris sta-

Prima opinio magnorum Auctorum est, qui per hanc abominationem idolũ sive statuā intelligunt.

Iansenius rejicit hanc opinionē.

ſtatuam, quam S. Hieronymus in ipſo Sancto Sanctorum loco, uſque in ſua tempora ſtetiſſe affirmat. Ponam hic verba Janſenii, quæ ſic ſe habent: *De neutra tamen ſtatua poſſe iſtud intelligi, patet ex eo quòd, ut ſuprà ex Luca eſt oſtenſum, iſtud referri debeat ad tempus vaſtationis Hieroſolymitanæ, quæ ſub Tito contigit, quando impletum eſt quod dicit Lucas, Hieruſalem circumdandam ab exercitu, ut interim omittam Pilati factum contigiſſe antequam hæc Chriſtus diceret, utpote in principio ſuſceptæ apud Judæos præfecturæ, ut patet ex Joſepho. Itaque Chryſoſtomus abominationem intelligit ſtatuam Titi, qui Vrbem expugnauit, quam deſolata Vrbe, atque ſubuerſo Templo intus ſtatuerit: atque ob id deſolationis eam appellatam. Verùm de ſtatua Titi in adytis Templi collocata nihil legitur apud Ioſephum; & alioqui hic ſenſus non conuenit uerbis Domini. Monet enim tunc fugere cùm viderent abominationem deſolationis ſtantem in loco Sancto. At commodum fugiendi tempus non erat; cùm jam Vrbs capta eſſet, & Templum incenſum, ſed potiùs ante deſolationem: unde apud Lucam monentur fugere cùm viderent ab exercitu circumdatam Hieruſalem: & hinc intelligerent imminere deſolationem ejus.* Hucuſque Ianſenius.

XI.

Quidam verò per abominationem deſolationis accipiunt peccata Sacerdotum commiſſa in Templo. Ita Alphonſus Toſtatus quæſt. 98. in cap. 24. Matthæi. Alii autem per hanc abominationem intelligunt caſtra Romanorum Hieruſalem obſidentium, quæ paulò pòſt, eam captam abominandè vaſtarunt, & deſolarunt. Ita S. Aug. lib. 2. de conſenſu Evang. cap. 77. & Epiſt. 80. ad Heſychium, Euſebius Cæſarienſis lib. 3. Hiſt. Origenes Tract. 29. in Matthæum, Pererius in Danielem, & alii, quibus ſuffragatur & Sanctius num. 159. in Dan. 9. hoc autem evinci credunt per verba S. Lucæ, qui loco abominationis ait: *cùm videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem*. Verùm hæc expoſitio non congruit verbis S. Matthæi, qui ait: *Stantem in loco Sancto*, & per hunc locum Sanctum intelligere Templum, patet ex Daniele, qui cap. 9. ait: *Et erit in Templo abominatio deſolationis.* S. Lucas ergo dices, non intellexit verba Chriſti? maximè; ſed hæc non protulit S. Lucas, ut exponeret S. Matthæum; ſed potiùs, ut ſuppleret, quod ipſe omiſerat; utrumque enim dixit Chriſtus, & *cùm videritis abominationem*, quod retulit S. Matthæus, & *cùm videritis ab exercitu circumdari Hieruſalem*, quod S. Lucas. Sed dubitatur; de quo exercitu & obſidione Hieruſalem, intelligendum ſit quod ait iſte Evangeliſta. Nam Ianſenius & Baronius cum aliis in locis, quæ infrà oſtendemus, putant S. Lucam non loqui de ultima obſidione Hieruſalem à Tito Imperatore facta: ſed de priori quadam illius obſidione, quæ facta eſt à Ceſtio præſide Syriæ.

Secunda opinio.

Tertia.

Verū quod ſcripſit S. Lucas de exercitu circumdante Hieruſalem, intelligatur de obſidione Titi; an de alia priori,

B Ve-

ri,quæ ad modicum tempus à Cestio facta est.

Verùm ego cum aliis multis existimo, quæ traduntur à S. Luca de exercitu circumdante Hierusalem, intelligi non de obsidione Cestii, sed de suprema obsidione Titi,quæ desolationem Vrbi, & summum Iudæis exitiū attulit.Illa enim obsidio Cestii,ut Iosephus in cap.24. libri 2.de bello Judaico narrat,nec plena fuit,& fuit brevissima,quæque non fregit animos Iudæorum, sed audaciam magis auxit. Item nonnulli,quorum sententia placuit Salmeroni, & Francisco Lucæ Burgensi,Jansenio vers. 22. concordiæ,& Abulensi in Matth.& Sanctio in Danielem, & Baronio tom.1. Annalium Ecclesiasticorum ad annum Domini 68. & Malvendæ lib. 7.cap.9. per abominationem desolationis accipiunt profanationem Templi per homicidia, aliaque scelera in Templo commissa, factam à seditiosis, homicidis & sceleratis Judæis, qui circa illud tempus, quo Hierusalem ab exercitu Romano circumdata fuit, Templum occuparunt, & instar arcis habuerunt, magnaque scelera in eo admiserunt. Tunc enim execrandis sacrilegiis pollutum est Templum; quin etiam crudelissimis cædibus & innocentium hominum sanguine redundavit; quorum scelerum principes & auctores fuère,qui vocabantur Zelotæ, sic appellati à seipsis, ut scribit Josephus lib.4.de bello Judaico cap.5.tanquam patriæ libertatis & dignitatis, bonarumque disciplinarum & studiorum æmuli essent:cùm tamen ipsi omnem facinorum immanitatem superarent. De quibus idem Josephus lib.2.cap.28.ita scribit: *Omne genus injustitiæ incredibiliter uiguit in Zelotis: qui nomen suum factis uerum esse probauerunt.Omne enim malitiæ facinus æmulati sunt, nullo, quod antea memoriæ proditum esset, prætermisso; quamuis nomen sibi ex bonorum æmulatione imposuissent:qui, malorū quæ maxima essent,bona ducebant. Itaque debitum uitæ finem inuenerunt. Cuncta enim quæ natura hominis ferre posset supplicia, in eos, usque ad extremum uitæ terminum congesta sunt; quæ, uariis perempti cruciatibus, pertulère.* Sic Josephus. At alii per abominationem desolationis stantem in loco Sancto,id est,in Templo,accipiunt ipsū Antichristum, qui in Templo volet adorari ut Deus. In qua sententia sunt præadducti Sancti Patres, & præcipuè S.Hieronymus,qui in Epist.ad Algasiam quest.4.& 11.sic ait:*Quando abominatio desolationis steterit in loco Sancto.Quod quidem iuxta literam de aduentu Antichristi prædicari, nulli dubium est.Licèt quidam Titi & Vespasiani adversus Iudæos, & Hierusalem obsidionem pugnamq; significari velint.*Sed & S.Cyrillus Hierosolymæ Episcopus in Catech.15.S.Prosper in Dimidio Tempor. cap.10.S.Gregorius Turonensis in Præfatione lib.1.Historiæ Francorum perspicuè docent, nomine abominationis desolationis Antichristum à Daniele Christoq; vocari.Quibus adde Rufinum, qui in Expositione Symboli Apostolici hæc adstruit:

Quarta opinio est eorum, qui per abominationem desolationis intelligunt sacrilegia et cædes à Zelotis patratas in Templo.

Zelotæ quàm facinorosi et scelerati, ut refert Josephus,fuerint.

Quinta opinio.

S.Patres, & Doctores, qui asserunt,nomine abominationis desolationis Antichristum à Daniele Christoque vocari.

ſtruit: *De quo Antichriſto, & ipſe Dominus in Evangeliis iterum dicit: Cùm videbitis abominationem deſolationis in loco Sancto, ſicut dicit Daniel Propheta, qui legit, intelligat. Daniel ergo de aduentu erroris iſtius pleniùs & latiùs in ſuis viſionibus edocet.* Et ſanè qui Septuageſimam Hebdomadam Danielis in fine Mundi complendam eſſe dixerunt, nihil mirum ſi abominationem deſolationis à Daniele prædictam Antichriſtum ſint interpretati. Quæ ſententia fuit S. Irenæi, S. Hippolyti, Iulii Aphricani, quem Apollinaris Laodicenus Epiſcopus citavit apud S. Hieronymum in 9. Danielis, & ipſius quoque Apollinaris: nam is Danielis Hebdomadas exponens, hæc affert: *Cùm autem quadringenti triginta quatuor anni poſt hoc fuerint evoluti, id eſt, ſexaginta duæ hebdomadæ, tunc ab Elia qui venturus eſt juxta ſermonem Domini Saluatoris, ut reſtituat cor patrum ad filios; in ultima Hebdomada ædificandam Hieruſalem, & Templum per annos tres & ſemis, venturumq; Antichriſtum, & juxta Apoſtolum ſeſſurum in Templo Dei, & interficiendum ſpiritu Domini Salvatoris, poſtquam contra Sanctos dimicaverit, atque ita fieri, ut media Hebdomada confirmet Teſtamentum Dei cum Sanctis; & rurſus media ceſſationem victimarum eſſe pronuntiet ſub Antichriſto, qui ponet abominationem deſolationis, id eſt, idolum & ſtatuã proprii Dei in Templo. Et erit extrema vaſtitas, & condemnatio populi Iudæorum, qui ſpreta veritate Chriſti, receperunt Antichriſti mendacium.* Ita Apollinaris.


Denique Author Operis imperfecti, nomine S. Chryſoſtomi malè venditatus, in Matth. Homil. 49. cùm pluribus differat nomine abominationis deſolationis à Chriſto prædictæ, ſpiritualiter ipſum Antichriſtum fuiſſe ſignificatum, hæc inter alia ponit: *Si quis autem abominationem deſolationis intelligat eſſe ipſum Antichriſtum, qui poſtmodum venire ſperatur, & obtinere loca Eccleſiarum Sancta ſub ſpecie Chriſti, & multos fidelium deſolare, non irrationabiliter dicat.* Sic ille. Sed & Recentiores Catholici Scriptores complures abominationem deſolationis à Daniele & Domino prænuntiatam myſticè ac ſpiritaliter Antichriſtum quoque præfiguraſſe ingenuè profeſſi ſunt, ut Anſelmus Laudunenſis, Bredembachius, Ianſenius, Zegerus, Maldonatus Matth. 24. Viguerius in Inſtitutionibus Theologicis cap. 21. §. 3. ver. 3. Suarez. Tom. 2. Diſput. 54. ſect. 5. Ioſephus Acoſta lib. de Antichriſto cap. 12. & alii.

XII. Auctor Operis imperfecti prodit, nomine abominationis deſolationis à Chriſto prædictæ, ſpiritualiter ipſum Antichriſtũ fuiſſe ſignificatum.

Tertiò cõpilavi ex doctrina S. Pauli, quæ ab eo traditur in ſecunda ad Theſſalonicenſes Epiſtola cap. 2. demum, ex variis locis Apocalypſis S. Ioannis; maximè autem ex cap. decimotertio. Ex Eccleſiaſticis verò in primis collegi ex S. Irenæo Epiſcopo Lugdunenſi & Martyre, qui de Antichriſto ſcripſit in libro quinto adverſus hære-

XIII. Qui de Antichriſto ſcripſerint.

ſes, ex S. Hippolyto Epiſcopo Portuenſi & Martyre in Oratione quæ inſcribitur de Conſummatione Mundi & de Antichriſto, ex S. Methodio Epiſcopo & Martyre, de quo plura dicemus in initio 3. hujus noſtri Libri Tractatus, ex D. Cyrillo Antiſtite Hieroſolymitano in Catecheſi 15. ex B. Ephrem in ſermone de Antichriſto, ex Lactantio Firmiano in libro ſeptimo Divinarum inſtitutionum, ex D. Auguſtino diverſis in locis, ex Severo Sulpitio in Dialogo cui nomen Gallus, ex S. Proſpero Aquitano in libro de promiſsionibus & prædictionibus Dei, ex D. Gregorio in variis libris Moralium. Deinde ſumpſi ex Interpretibus, qui in Danielem Commentaria ediderunt, ut D. Hieronymus, Theodoretus, Strabus Monachus, S. Anſelmus Laudunenſis, Lyranus, Clarius, Vatablus, Pererius, & alii, qui non pauca de Antichriſto in illis variis locis proferunt. Tertiò deſüpſi ex Explanatoribus, qui 2. Apoſtoli ad Theſſalonicenſes Epiſtolam ſuis expoſitionibus illuminarunt, ut S. Ioannes Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Beda, Haimo, D. Dionyſius Carthuſianus, & alii, qui multa de Antichriſto nos edocent. Quartò ex illis excerpſi, qui Divinam S. Ioannis Apocalypſim Commentariis elucidarunt, ut D. Rupertus Abbas, Richardus de S. Victore, B. Albertus Magnus, S. Thomas, Franciſcus Ribera, Blaſius Viegas, Gaſpar Melus, & Cornelius à Lapide, qui multa de Antichriſto ediſſerunt. Deniq; ex quamplurimis aliis eruditis Eccleſiaſticis Scriptoribus, & gravioribus neotericis Theologis Scholaſticis, qui de Antichriſto mentionem fecerunt, pleraque mutuatus ſum, quæ ſuis locis juxta ordinem aptiſſime collocentur, & in his illi nominabuntur.



CU-



CURIOSISSIMUS
DE ANTICHRISTO LIBER
REVERENDI
D. MAXIMI XANTHORI
TUBITI ALTIMURANI,
In novem copiosissimos Tractatus divisus.

TRACTATUS PRIMUS

De tempore, quo in Mundum venturus est Antichristus, ac de signis, quæ præcedent ejus adventum.



Ultis igitur jam præfatis, incipimus primum hujus nostri Libri Tractatum, in quo ante omnia, quæ de eo dicenda sunt, scire debes candide Lector, quòd Antichristus ideò sic est appellatus; primò, quia Christo contrarius erit. Sed quibus rebus erit ille Christo contrarius? multis sane, atque his maxime insignibus & notabilibus. Christus natus est ex purissima Virgine; Antichristus nascetur ex impurissima fœmina simulante se sapere spiritualia, & per fornicationẽ, ut in 2. Tractatu patebit. Corpus Christi in utero Virginis formatum est opera Spiritus Sancti: corpus

I. Antichristus quare sic dictus. Prima ratio.

Antithesis Christi & Antichristi.

corpus Antichristi, in utero matris, opera diaboli tale formabitur: ut ex naturali temperamento sit propensissimum ad omnia vitia. Et hoc videtur velle S. Hieronym. cùm in cap. 16. Isaiæ dæmonem vocat patrem Antichristi: non quòd diabolus creabit eum, aut animam corpori infundet, aut obsidebit infusam: sed quia applicabit se ut custodiat eum semper quasi vas proprium: suggerens ei omnia quæ voluerit. Itaque Antichristus in utero matris adhuc positus replebitur spiritu diaboli, juxta illud Apostoli 2. ad Thess. 2. *Cuius*, scilicet Antichristi, *adventus est secundum operationem sathanæ*.

Antichristus in vtero matris replebitur spiritu diaboli.

II.

Secunda ratio.

Secundò, quia Christo contraria faciet. Christus enim venit humilis, Antichristus veniet superbus. Christus venit humiles erigere, peccatores justificare: ille contra humiles deiiciet, peccatores magnificabit, impios exaltabit, semperq; vitia, quæ sunt contraria virtutibus docebit. Nam sicut Christus plenus fuit omni gratia & omnibus virtutibus: sic Antichristus plenus erit omnibus vitiis. Præterea sicut in Christo fuit plenitudo Divinitatis: sic in Antichristo erit plenitudo omnis malitiæ, nequitiæ & iniquitatis. Idcircò legem Evangelicam blasphemabit & dissipabit, dæmonum culturam in Mundo renovabit, vel revocabit. Gloriam vanam quærens, omnipotentem Deum se nominabit, ut tradit S. Paulus ubi suprà, cùm inquit: *Adversabitur & extolletur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*. Se igitur impius coli jubebit ut Deum. Se enim dicet esse Deum, cùm sit Antichristus.

Antichristus vocitabit se pro Deo.

III.

Antichristi ministri.

Hic (ut asserit Rabanus in Tract. de Antichristo, qui extat tom. 9. Operum D. Augustini) multos habet suæ malignitatis Ministros, ex quibus multi in Mundo præcesserunt, qualis fuit Antiochus, Nero, Domitianus. *Nos quoque* (subdit ille) *nostro tẽpore Antichristos multos novimus esse. Quicunq; enim sive laicus, sive Canonicus, sive Monachus contra iustitiam vivit, & Ordinis sui gloriam impugnat, & quod bonum est blasphemat, Antichristus est, minister sathanæ*. Hinc S. Isidorus lib. 1. de Summo bono cap. XXVIII. *Omnis* (inquit) *qui secundum Christianæ professionis normam aut non vivit, aut aliter docet, Antichristus est*. Itaque nomen Antichristi, si notionem ejus vocis perpendas, generale est, & dicitur de omnibus, qui contrarii sunt Christo Domino, quales sunt omnes hæretici, juxta illud 1. Epist. Ioannis cap. 2. *Nunc Antichristi multi facti sunt*; id est, hæretici sentientes cõtra Christũ. Apostoli namq; atque eorum discipuli, Antichristos vocare solebant, principes hæreticorum, & eos maxime, qui negabant Dominum nostrum, esse Deum; aut esse verum hominem; aut esse Messiam illum à Deo promissum: unde Ioannes loco indicato cap. 4. *Omnis*, inquit, *spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse*,

De nomine Antichristi.

Apostoli hæreticos, Antichristos vocare solebant.

ſe, ex Deo eſt:& omnis ſpiritus,qui ſolvit Ieſum,ex Deo non eſt;& hic eſt Antichriſtus,de quo audiſtis, quoniam venit,& nunc iam in Mundo eſt. Verùm,nomen Antichriſti,ex illa generali ſignificatione contractum, propriè aſſignatum eſt ei, qui in fine Mundi, ſuper omnes qui ante ipſum fuerint, Chriſto, & omnibus ſectatoribus ejus contrarius eſt futurus. Quocirca Martinus Bonacina in Tract.de Incarnatione Domini quæſt.xxiv.ex D.Auguſtino lib.2. contra adverſarium legis cap. 12.& aliis, rectè docet, nomen Antichriſti, quod ſignificat (uti ſuprà tactum eſt) hoſtem, ſeu adverſarium Chriſti, dupliciter accipi. Primò, pro quolibet Chriſti adverſario. Secundò, pro ſpeciali, primario, & principali Chriſti adverſario, in Scripturis prænunciato,qui venturus eſt in Mundum.

Antichriſti nomen quid ſignificet.

Dupliciter accipitur.

IV.

Antichriſtus quandonam ſit venturus.

Sed quantùm ad tempus Antichriſti adventus, dico iſtud à nobis ignorari, quia ipſe quando ſit venturus, incertum eſt,ſicut incertus eſt Iudicii dies. Ità S.Thomas 3.Par.quæſt.73.art.1.ad 2. Valentia tom.4.diſt.11.quæſt.2.pun.1.col.5.& alii communiter,qui id probāt ex illa tàm gravi oratione,qua Chriſtus reprendit curioſam Apoſtolorum ſciſcitationem de futuris temporibus, dicens eis, *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta,quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*:& alio loco inquit,*De die autem illa, & hora nemo ſcit,neq; Angeli Cælorum, niſi ſolus Pater*, qui ab æterno in mente ſua tempus huius diei ſtatuit & decrevit,illudq; apud ſe ſecretum ſervat. Porrò per *li ſolus*,non excluditur Filius,nec Spiritus Sanctus: nam & ipſi ſciunt diem & horam Judicii æquè ac Pater cùm eadem omnibus ſit eſſentia, majeſtas, voluntas, mens, poteſtas, intellectus & ſcientia. Regula enim Theologorum eſt, quòd *li ſolus*, ſi addatur attributis eſſentialibus Dei (quale eſt ſcientia) tribuaturque uni perſonæ Divinæ, non excludat reliquas duas, ſed tantùm creaturas, quæ alterius ſunt eſſentiæ & naturæ: at in attributis notionalibus, *li ſolus* excludit alias perſonas Divinas,ut cùm dicitur,ſolus Pater generat, ſolus Filius generatur,&c.

Actor. I. Matth.24.

An ſolus Pater ſciat cōſummationis ſæculi diē & horam, non verò Filius?

Nota illa Divinis perſonis.

V.

Vtrum contra id quod Author ait, quòd tres Divinæ perſonæ ſciunt horam & diem Iudicii, poſſit aliquis obiicere ex Marco, qui addit.*neq.Filius hominis.*

At ſanè non obſtat præfatæ veritati,quòd apud Marcum cap.13. ver. 32. ſecundum intelligentiam Patrum & Doctorum infrà aſſignandam, additur (vt habent Græcus,Latinus, Syrus, Arabicus, Ægyptius,Æthiopicus,Perſicus)*neque Filius hominis*, quæ pars & in Matthæo legitur ab Origene & Chryſoſtomo Græcis authoribus, & ab Hilario & Auguſtino Latinis authoribus, quos citat & ſequitur Sixtus Senenſis tom.2.Bibliothecæ Sanctæ lib.6.annot. cv. Verùm ab aliis, quos hic ſequimur ipſi, haud legitur: nam D. Hieronymus in Comment. locum illum elucidans, affirmat in Græcis codicibus præſertim Adamantii & Pierii non haberi particulam illam, *neque Filius hominis*, atque idem teſtatur Euthymius. Janſenius

An ista particula habeatur in Matthæo.

nius verò putat esse verisimile partem illam fuisse ex Matthæo sublatam à quibusdam propter Arianos, qui hinc Filii inæqualitatem colligebant, dicentes non posse æqualem esse qui novit, & qui ignorat. Itaque secundum Jansenium prædicta clausula habebatur in Matthæo propter lectionem prædictorum Patrum: sed major Scriptorum pars secùs asserit: quoniam S. Ambrosius lib. 5. de Fide cap.8. asseverat illam ipsam particulam nec apud Marcum olim fuisse scriptam, sed ab Arianis dolosè adiectam; ait enim scriptum est inquiunt Ariani, de Die autem illa & hora, nemo scit, neque Angeli Cælorum, nec Filius hominis, nisi solus Pater. Primùm veteres non habent codices Græci, quòd nec Filius scit, sed non mirum si & hoc falsarunt, qui Scripturas interpolavère Divinas: qua ratione autem videatur adiectum proditur: dum ad interpretationem tanti sacrilegii derivatur. Ex illo namque videtur perfidus Arius cum suis asseclis suam hæresim confirmare, quia si Pater scit quod nescit Filius. Ergo major est eo.

VI.

Author explicat particulam illã secundum intelligentiam Patrum & Doctorum.

Atqui ne in hanc Arianam carybdim impingamus, illud utcunque sit tàm apud Marcum, quàm apud Matthæum, cum grano salis debet intelligi: vel quòd Filius ut homo scientia à rebus acquisita, & experimentali tunc nesciebat hanc diem Judicii, dum hæc in terris concionabatur. Etenim scientia Beata etiam ut homo à suæ conceptionis instanti in Verbo Dei omnia præclarè noverat, ut patet in Theologia versatis. Itaque Filius & ut Deus, & ut homo, per scientiam infusam sciebat diem Judicii & consummationem sæculi: hoc enim scire ad ipsum, qui Iudex Mundi est constitutus, pertinet. Vel sicut Suario placet in Comment. super 3.Part.D.Thomæ quæst.10. art.2. exponi debet, hoc nesciri à Filio vi humanæ naturæ: quasi dicat, Christus inquantùm homo nescivit diem Judicii, quia proprium est humanæ naturæ ignorare futura; scivit tamen illum inquantùm homo Deus: quasi dicat, Christus homo scivit diem Judicii vi non humanitatis, sed Divinitatis suæ. Ita S.Athanasius serm.4. contra Arianos, Nazianz. Orat.4. de Theolog. Cyrillus lib.9. Thesauri cap.4. Ambrosius lib.5. de Fide cap.8. Aut sicut multi alii Patres intellexerunt, præsertim Altisidoren. in 4.dist.44. nesciri ad revelandum quod ad eundem pariter Filium, quatenus Deus est, referri potest: quasi dicant, Christus id se scire negat ut homo est, & ut Dei Legatus erat ad nos, quia non ita sciebat ut revelare illum hominibus posset, sive illum revelare non habebat in mandatis à Patre. Sicut Legatus si rogetur de secretis Regis sui, verè respondet se ea nescire, etiam si illa sciat, quia nescit ut Legatus: ut legatus enim tantùm refert illa, quæ illi à Rege dicenda commissa sunt: secreta namq; ab eo taceri jussit Rex. Sensus ergo est, quasi dicat Christus, Solus

Christus an ignoraverit diem & horam Judicii.

Christus ab initio suæ cõceptionis, per infusam scientiam omnium habuit cognitionem.

Solus Deus ſcit, quo anno, die & hora futurus ſit finis Mundi, dieſque Iudicij: ac licèt Deus me Chriſtum, ut homo ſum idem ſcire fecerit; me inquam ut homo privatus ſum, quia Verbo unitus, non tamen ut ſum publicus ejus ad homines Legatus, quia Pater noluit me diem illum hominibus revelare, ſed voluit, me illum ſervare ſecretum, ut homines ſemper ſuſpenſos teneat, incitetque ad illum continuè ſe comparare: quare nolite, ò Apoſtoli, curiosè de illius tempore me exquirere, quod vobis dicere non poſſum, & ut Legatus neſcio. Simile eſt Ioannis cap. 15. verſ. 15. Sicut enim ibi dicit Chriſtus ſe Apoſtolis omnia nota feciſſe, quæ a Patre audivit, quia omnia illa nota eis fecit, quæ ſic à Patre audivit, ut ea illis communicare deberet: ita in locis ſuprà indicatis Marci & Matthæi dicit ſe neſcire diem & horam Iudicij, hoc eſt, non audiviſſe à Patre, quia non ſic audivit, ut hominibus illud communicandum ex Patris eſſet voluntate. Præterea, cùm non dicat ubi ſuprà Apoſtolis de tempore interrogantibus: *Non eſt noſtrum*, ſed, *non eſt veſtrum ſcire*, oſtendit quòd ipſe quidem ſciat, ſed illos non expediat noſſe. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Origenes, Beda, Theophylactus in eundem ſuperadductum Matthæi locum, & S Auguſtinus lib. 83. quæſt. 61. Seu cum Salmerone tom. 4. tract. ult. & Maldonato in Comment. Matthæi 24. & Lorino ſuper Act. 1. ſic illud exponi debet, in ratione attributorum, quæ ſingulis Divinis perſonis attribui ſolent à Theologis, velut propria officia ſingularum, ut ſic Chriſtus dicatur diem & horam Iudicij ignorare, quod ſcilicet non ei tribuatur, neque ejuſmodi viri officium ſit, ſed Patris conſtituere, quando ſolvendus ſit Mundus, & parare Regnum electis. In quo ſenſu, & illud item Chriſtus ait: *Sedere ad dexteram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Cùmque in Divinis Patri attribuatur potentia, & conditarum rerum providentia, & per conſequens prædeſtinatio, ac præſcientia, ſanè dicendum oportet, quòd Pater ab æterno hanc diem prænoſcat, quam ad retribuenda præmia electis, ac pœnas reprobis præparavit.

Chriſtus quatenus homo ignoravit diem & horam Judicij, cognitione et ſcientia naturali, aut ſcientia acquiſita.

VII.

Præſcientia in Divinis licèt Filio & Spiritui Sancto eſſentialiter cōgruat, tamen peculiari ratione attribuitur Patri.

Quæ quidem ſcientia, tametſi Filio quoque ac Spiritui Sancto eſſentialiter congruat, peculiari tamen ratione attribuitur Patri, quatenus ipſe eſt ſcientiæ iſtius initium, ſtante quod eſſe, ac intelligere in Divinis realiter non diſtinguantur. Filio autem, quamvis attribuatur Sapientia, hæc tamen ei attribuitur, quatenus eſt Verbum Patris, ac notitia illius. Vnde ipſe nihil poteſt intelligere, niſi id, quod à Patre accipit, eique Pater revelat, ac demonſtrat, cùm ipſe nil aliud ſit præterquam Verbum, quod in mente Patris exoritur: juxta illud Bonaventuræ: *Æterna mens dum flectitur, in ſe par proles naſcitur notitia mentalis.* Unde Ioann. 7. Jeſus ait: *Mea doctrina non*

non est mea, sed ejus, qui misit me Patris. Et iterum: *Pater diligit Filium, & omnia, quæ ipse facit ei demonstrat, & majora his demonstrabit*. Et rursum Joann.5. *Filius non potest facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*. Sicut neque Spiritus Sanctus, (qui est Patris Filijque Amor ac nexus) aliquid potest velle, aut operari, nisi quod à Patris & Filij voluntate & mutuo amore procedit. Nam & de eo pariter dictum est: *Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur*. Cùm itaque Pater nolit nobis hanc diem revelare, neque per Filium, neque per Spiritum Sanctum, quos propter nos de Cælis misit in terras, quodammodo ipsi dicuntur hanc diem nescire, quatenus à Patre non sunt missi ad docendam hanc rem; ita ut hæc relatio nescientiæ propriè, ac per se non sit in ipsis Divinis personis Filij ac Spiritus Sancti, sed in nobis puris hominibus, atque in Angelis, quibus hæc Deus Pater noluit revelare, neque per Filium, neque per Spiritum Sanctum, non obstante, quod, *Angeli videant faciem Patris, qui in Cælis est*, ut dicitur Matth.19. Non enim propter hoc sequitur, quòd videant omnia, quæ sunt in Deo, ac ipsum comprehendant, & sic Iudicij diem nesciunt. Nam, ut docet Suarius lib.6.de Angelis cap.5.Angeli Beati licèt multa ex rebus futuris contingentibus, vel internis cogitationibus in Verbo videant, non tamen omnia, sed ea, quæ secundum Divinæ providentiæ rationem, & uniuscujusque statum singulis conveniunt. Solius enim Christi proprium est omnia, quæ in aliqua differentia temporis fiunt, in Verbo videre. De Angelis autem nullum habemus sufficiens principium ad id affirmandum, quia talis scientia non est necessaria Angelis ad perfectionem suæ Beatitudinis, vel visionis; quia non vident omnia futura ratione sui status, ac ministerij in individuo, & in particulari: sed in specie, & secundum formales rationes eorum. At videre, quis sit dies futuri Judicij, est videre talem diem in particulari & individuo. Ergo ab eis non videtur. Hæc ille.

> De die Iudicij ignoto Angelis ac Filio Dei, quã ipse ut Deus, ac homo pariter callet, sed nemini revelat.

VIII.

> Antichristus licèt sit incertũ, quando sit venturus, tamen certum est eum esse venturum in fine Mundi.

Tempus igitur adventus Antichristi nobis omninò incertum est. Nihilominus certum est illum esse venturum in novissimis temporibus circa finem sæculi: eò quòd cùm cœperit (ut ait Lactantius Firmianus lib.7.Divin.Inst.c.15.& in earum Epit.cap.9.) Mundo finis ultimus propinquare, malitia invalescet, omnia vitiorum & fraudũ genera crebrescent. Justitia interibit, Fides, pax, misericordia, pudor veritas non erit. Vis & audacia prævalebit. Nemo quicquam habebit, nisi malè partum manuque defensum. Si qui erunt boni, prædæ ac ludibrio habebuntur. Nemo pietatem parentibus exhibebit. Omnes enim (ut inquit S.Hippolytus Martyr de consũmatione Mundi) tunc suo arbitratu vivent: filij manus injicient in parentes: uxor virum suum tradet in mortem, vir uxorem suam, ut ream trahet in judicium:

> Mundi finis secundum Lactantium Firm.

dicium: domini crudeles erunt in servos: servi adversus dominos contumaces erunt atque infideles: senem nemo reverebitur, nemo pauperum miserebitur: vigebunt tunc incantationes & magiæ: pastores evadent in lupos: monachi concupiscent & sectabuntur quæ sunt Mundi: nulla erit reverentia rerum Sacrarum: nulla Religio, temerare ac violare Divina: nam avaritia libido universa corrumpet. Erunt cædes & sanguinis effusiones. Erunt bella non modò externa & finitima, verùm etiam intestina. Civitates inter se belligerabunt. Omnis sexus & omnis ætas arma tractabunt. Non Imperij dignitas conservabitur. Non militiæ disciplina, sed more latrocinij deprædatio & vastatio fiet. Regnum multiplicabitur, & summa rerum potestas per plurimos dissipata & concisa minuetur. Tunc discordiæ civiles in perpetuum ferentur, nec ulla requies bellis exitialibus erit: donec & Reges decem pariter existant, qui Orbem terræ occupabunt, quem inter se non ad regendum, sed ad consummandum partientur. Hi namque exercitibus in immensum coactis, & agrorum cultibus destitutis, disperdent omnia & comminuent & vorabunt.

Quanta sub finé Mundi futura sit hominum improbitas.

IX.

An Roma sub Mundi finem sit ad pristinam suã gloriam et potẽtiã, necnon ad Idololatriam, et cætera, quibus olim scatebat, vitia reditura.

Sed quale Regnum multiplicabitur. Dico fore Romanum, quia Roma, ut tradunt quamplurimi graves Apocalypseos recentiores Expositores in cap. 14. 17. & 18. ejusdem, ut Franciscus Ribera, Blasius Viegas, Gaspar Melo, Cornelius à Lapide, & qui de Antichristo agunt, ut Thom. Bozius lib. 24. de signis Ecclesiæ cap. 6. & alij, sub Mundi finem ad pristinam Imperij dignitatem pariter ac scelera, & à Christianismo ad ethnicismum redibit, Pontificemque suum expellet, & fideles ei adhærentes persequetur & occidet; uti fecit tempore Neronis, Decij, & aliorum Imperatorum Gentilium. Quod quidam licèt dicant citatos Auctores ac Interpretes ex suo cerebro fingere, eò quòd asserant illud non habere fundamentum in Scriptura, neque aliquem Patrum illud dixisse, neque aliqua ratione fulciri; quare illi affirmant non esse probabile, redituram Romã ad Idololatriam; præcipuè cùm etiam fuerit electa sedes Vicarij Christi, non esse verisimile permittendam in Apostasiam, saltem Divinã, labi, nec ab ipsa terram corrumpendam, cùm à Deo electa fuerit in veræ Fidei & doctrinæ magistram; nos tamen citatis Auctoribus atque Interpretibus adhærentes asserimus primò Romam in fine Mundi ad pristinum Imperij splendorem, opes, vires & pompam redituram, ut sit, sicut olim fuit, Regina Orbis & domina Mundi: unde in calce capitis 17. Apocal. ait Ioan. *Civitas magna quæ habet Regnum super Reges terræ*: ergo illa (ut concludit ibi Cornelius à Lapide) tunc obtinebit Imperium. Et hoc videtur indicare Lactantius Firmianus ubi suprà, cùm inquit, uti ostendimus: *Regnum multiplicabitur*. Secundò

Roma ad pristinam suã gloriam ante tempus Antichristi est reditura, et à Fide Catholica discessura, ac talis futura, qualis fuit tempore S. Joannis sub Domitiano, Nerone, et c.

dò afferimus Romam in fine Mundi reverfuram ad vomitum,& rurfus Idololatram fore,ac Chrifti fideles perfecuturam.Nõ enim venturum Antichriftum , nifi venerit difceffio primùm tradit S. Paulus in 2.ad Thefs.2. Græcè autem eft *Apoftafia*,per quam defignatur defectio à Fide,non autem quælibet defectio eft fignum adventus Antichrifti, quia plurimæ jam extiterunt , neque tamen venit ; intelligitur ergo de Apoftafia omnium maxima , nulla autem poteft effe major, quàm fi ipfa Roma, quæ omnium Ecclefiarum eft magiftra, à Fide, quemadmodum fusiùs latiùfque oftendetur infrà in hoc Tractatu & in 3.propè finem,defecerit. Et haud mirum,quia hæc Vrbs, ficut olim propter virtutes & merita incolarum , quæ in eis micabant, & præcipuè propter juftitiæ virtutem quam fummè colebant, ad tantam magnitudinem devenit,ut extiterit Regina Orbis & domina Mundi;ita in fine fæculi ante Antichrifti tempora propter mala, quæ ab illis patrabuntur, talis futura eft , qualis fuit tempore S. Ioannis fub Domitiano, Nerone,Decio,&c. Nimirum ex Chriftiana tunc rurfum fiet Ethnica : & in hunc modum æmulabitur perfecutiones Imperatorum Ethnicorum in Chriftianos , atque decem eft habitura Reges fuo fubjectos Imperio , quos vino fuæ fornicationis inebriabit.Ea namque cum eis Dei Ecclefiam diriffimè eft infectatura,ac Martyrum fanguinem atrociùs , quàm quondam effufura, uti dicitur cap. 17. Apocalypfis ver. 6. hinc vocatur meretrix : quia omnium deorum cultu, fuperftitionibus & vitijs imbuta , quafi meretrix proftituta cunctis gentibus,gentiumque dijs fedebit.

Qua caufa Romani creverunt.

Roma cur vocetur meretrix.

X.

Quomodo Roma in fine Mundi ad priftinas opes et gloriam, æquè ac ad ethnicifmum redibit.

Itaque Roma circa finem Mundi ad priftinas opes & gloriam,æquè ac ad ethnicifmum eft reditura.Sed modus quo id fiet nos latet, folique Deo præcognitus eft. Variis tamen modis id fieri poterit, v.g.fi Ethnicus aliquis occupet Imperium Romanum,Romæque Senatores Gentiles, ac dignitatem priftinam reftituat , uti fecit Julianus Apoftata.Rurfum,fi Romam commigrent Ethnici plures nobiles & potentes , qui fenfim numero & viribus crefcant , uti primitùs crevit Roma. Tertiò , fi magi aliqui & Politici Romanos primores pervertant,eofque incitent ad priftinam patrum gloriam,& deorum cultum reftaurandum,&c. fi eos invitent ad vitia carnis, omnemque vitæ licentiam , ut eos deducant ad atheifmum , uti multis locis factum olim , & etiamnum fieri audimus & videmus. Gula enim & libido continua recta funt via ad atheifmum , per quem contemnitur virtus juftitiæ, quæ olim floruit apud Romanos. Quid autem nunc de juftitia & regimine Romano fari liceat? palam,quòd aurum verfum eft in fcoriam : & pro hoc deduco in medium Epitaphium defcriptum in valvis Ecclefiæ S.Mariæ trans Tiberim, ubi fic habetur.

Roma vetus veteres dum te rexère Quirites.

Nec

Nec bonus immunis nec malus ullus erat.
Defunctis patribus successit prava juventus.
Cujus consilio præcipitata ruis.

XI.
D. Bernardus exprobrat quædã peculiaria vitia Romanorum.

Adduco & alium testem, videlicet D. Bernardum lib.4. ad Eugenium Papam de plebe Romana sic fantem: *Quid tàm notum sæculis, quàm protervia & fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta. Gens immitis & intractabilis, & usque adhuc subdi nescia, nisi cùm non valet resistere*. Et post multa: *Quem dabis mihi de tota maxima Urbe, qui te in Papam receperit pretio seu spe pretij non interveniente? Et tunc potissimè volunt dominari, cùm professi fuerint servitutem. Fideles se spondent, ut opportuniùs fidentibus noceant.* Et post pauca subjungit: *Ante omnia Sapientes sunt ut faciant mala: bonum autem facere nesciunt. Hi invisi terræ & Cælo, utrique injecère manus; impij in Deum, temerarij in Sancta, seditiosi in invicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos, quos neminem amantes nullus amat: & cùm timeri affectant ab omnibus, omnes timeant necesse est. Hi sunt qui subesse non sustinent, præesse non norunt, superioribus infideles, inferioribus importabiles. Hi inverecundi ad petendum, adnegandum frontosi. Hi importuni ut accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati ubi acceperint. Docuerunt linguam suam grandia loqui, cùm operentur exigua. Largissimi promissores, & parcissimi exhibitores. Blandissimi adulatores, & mordacissimi detractores. Simplicissimi dissimulatores, & malignissimi proditores*. Propter hæc forsan, aut alia Romanorum vitia, cùm ad summum gradum creverint, Roma in fine Mundi (ut suprà audisti) ad antiquam idololatriam, potentiam & magnitudinem Imperij est reditura: nam pristinum illum fortunæ opulentissimum statum, quem sub primis Monarchis habuit, aut certè majorem est recuperatura, suum Pontificem ejectura, & à Christiana Fide penitùs apostatura. Probatur primò ejus futura apostasia ex illis verbis Apocalypsis 18. ver.7. *Sedeo Regina, & vidua non sum*: nam in ipsam Romam eo tempore culmen felicitatis & impietatis adeptam mirificè convenire videntur: ac si dicat Roma infidelis, secundum multos Apocalypsis Interpretes, quos sequitur Cornelius à Lapide ibidem. Quamvis Pontificem, qui vir meus erat, ejecerim, non sum tamen vidua, sed plena populo. Ad hæc Rege careo, sed eò magis ego ipsa sum Regina, cùm tot Reges mihi pareant, ego nulli.

Causę, ob quas forsan Roma circa finem sæculi est à Fide discessura.

Probatur id primò authoritate S. Joannis in Apocalypsi.

XII.
Secundò probatur ratione.

Secundò probatur ratione, quam suprà tetigimus, quia ante Antichristi tẽpora futura est generalis illa à Romana Ecclesia & Imperio defectio, prout infrà patebit; si ergo ista rebellio erit universalis, oportebit, ut à capite incipiat: cujus indicia sunt tot in eo schismata commissa, & forsan cõmittenda, contra veros Christi Vicarios: donec

ad

ad ultimũ perveniatur,quod erit tẽpore Petri Romani;qui vocãdus est Pastor Angelicus,uti nominatur in Catalogo Pontificum, quem obscurè per Symbola conscripsit S.Malachias; aliter non benè diceret quod genericè ait S.Isidorus ubi suprà cap.27. *Antequam Antichristus appareat, virtutes ab Ecclesia & signa cessabunt*, quia tunc essent Romæ. Sed quia hæc Urbs eo tempore rursus Idola colet, ac contra Christi fideles immanissimam persecutionem exercebit: ideò rectè secundum S. Isidorum & eruditissimum Doctorem Joannem Eckium hom.1. in Dominicam 26. post Pentecosten,cessabunt ante Antichristum miracula & virtutes ab Ecclesia, quæ tunc ubique deserta & desolata jacebit. Eo namque tempore tolletur (ut inquit S.Methodius Martyr,quem refert ubi suprà præcitatus Eckius) honor à Sacerdotibus,& supprimetur ministerium Dei,& quiescet omne sacrificium ab Ecclesijs,& erunt Sacerdotes sicut populus in eodem tempore. Quæ quidem fient propter præfatum futurum Romanum ethnicismum, ob quem Christi sectatores omni in loco persequentur. Hinc in Apocal.17.18.& seqq.Roma sub finem Mundi futura vocatur *Babylon meretrix magna, sedens super septem montes, ebria sanguine Sanctorum & Martyrum Jesu, quæ de vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes*; id est, supplicia suæ Idololatriæ (hæc enim à Prophetis vocatur fornicatio) aliorumque scelerum cõsequentium, derivavit in omnes gentes hoc ipso, quo eas ad suam Idololatriam, aliaque scelera imitãda compulit:eò quòd penè omnibus dominabatur Gentibus:ac ideò totius Idololatriæ erat amplissimum seminarium. Idem fiet in fine Mundi, quando Ecclesia nitore deserto jacebit quasi vidua, quando Romani Pastores solium & Regnum auctum plurimi affectabunt,& unus adversabitur alteri,quãdo surgent Hippocritæ populos fraudantes prætextu Sanctitatis & Religionis, & erit plena Ecclesia sectarum, in quibus regnabunt superbia,ambitio & luxuria cum cohorte filiarum ejus,quando Principes divisi disceptabunt, & Rex Regi, & Pontifex Pontifici adversabitur, & quasi tolletur pax de medio gentium,& discordia ferè pariet interitum, quando hæreses prævalebunt, & erit fermè extincta Fides, & populi, & qui dominantur eis, ad vanitates & insanias convertentur, tunc Deus mittet furorem & iram, & permittet ingratitudinis filios ubique torqueri ab hostibus & inimicis nominis sui.

Antequam Antichristus appareat, virtutes & signa ab Ecclesia cessabunt.

Nomine Babylonis in Apocalyp. intelligitur Roma.

Ecclesia tempore futuræ Romanæ urbis apostasiæ, nitore deserto jacebit quasi vidua.

Tunc hæreses & discordiæ prævalebunt.

XIII.

An sub Babylonis nomine apud Ioannem significetur cœtus impiorum.

Sunt qui interpretentur Babylonem illam apud Joannem esse cœtum impiorum. Sed id haud consonat literæ Joannis: nam Babylon, ut Joannes videtur asserere, tempore Antichristi radicitùs eversa jacebit: at impiorum societas, nunquam magis vigebit atque regnabit, quàm sub Antichristo. Quidam verò exponunt Joannem loqui

qui

qui de Roma olim Ethnica & Idolatra, sed decipiuntur: quia Apocalypsis est Prophetia de rebus sub Mundi finem futuris; at cap. 18. ejusdem describitur sub Babylonis nomine Roma, ut meretrix & abominationum plena, prout suprà ostensum est: ergo talis erit in fine Mundi. Major probatur, quoniam Apoc. 6. num. 12. prædicuntur signa proximi futuri Iudicij; dicitur enim: *Et vidi, cùm aperuisset sigillum sextum, & ecce terræmotus factus est, & Sol factus est niger, sicut sanguis, & Stellæ ceciderunt de Cælo super terram, &c.* & cap. 11. adest Prophetia de Henoch & Elia, qui venient certaturi cum Antichristo, & ab eo occidendi, & resurrecturi publicè, ut in VIII. Tractatu fusiùs latiùsq; dicetur.

Opinio rejecta nonnullorũ existimãtium Joannem sub Babylonis appellatione de Roma antiqua fuisse locutum.

XIV.

Roma sicut olim fuit ethnica & pagana, ita erit in fine Mundi.

Roma igitur sicut olim sub Monarchis Ecclesię sævissimis mastygibus, pręsertim Nerone, Domitiano, Decio, Diocletiano & Maximiano, alijsq; similibus, fuit tota plena idolis, omnis generis impietatibus ac blasphemijs referta, Sanctorum Martyrum sanguine madens ac penitùs ebria, abominationum omnium ac flagitiorũ sentina, Christiani nominis hostis acerbissima, ita erit in fine Mundi, cùm rursum ex Christiana ad paganismũ rediens, fiet totius idololatriæ amplissimum seminarium. Ideòque Christum & Christianos, ut suprà ostẽdimus, ac maximè Pontificem persequetur, expellet vel occidet. Sed dubium est: Num per hanc Romanam in Christianos persecutionem sit Fides Christiana ac Ecclesia Orthodoxa funditùs in Mundo peritura. Verùm nihil tale Catholico cuivis in mentem veniat, quasi sic deserturus sit Christus suam Ecclesiam, & dicta Romanæ in Christianos persecutio in eam prævalitura, ut eandem radicitùs extirpet. Manebunt enim fideles Romæ, ut manserunt in persecutione Decij & Diocletiani; ac consequenter manebit Ecclesia Romana & Pontificatus Romanus: & Pontifex erit Episcopus urbis Romæ, licèt exul & expulsus. Nec enim Gentiles eum Episcopatu, multò minùs Pontificatu suo deponere aut privare poterunt. Pari modo dum Pontifices resederunt Avenione in Francia per 70. annos, vocabantur tamen, & revera erant Episcopi urbis Romæ, uti infrà in .Tractatu demonstrabitur.

Verum tempore futuræ Romanæ urbis apostasiæ sit Catholica Ecclesia inviolabilis permãsura.

XV.

Romanum Imperium ultimũ.

Stante igitur Roma, & Romano Imperio, quod certum est esse ultimum, & duraturum usque ad finem Mundi, decem eodem tempore exurgent Reges totius Orbis domini, qui multa sibi ultrò citròque damna inferent, alter alterius Regna mutuò debellantes. Et in principio erunt subjecti Romano Imperio; ac suspicatur etiam, omnes fore Catholicos; libidine autem dominandi: aut propter alios titulos, adversus Romanam Monarchiam conspiraturos; atque ejus Imperium in decem Regna divisuros. Hoc enim designavit S. Propheta Daniel cap. 7. ver. 11. & 23. per decem cornua, quæ habebat

Decem Reges in Orbe futuri, qui cõspirabunt adversus Romanũ Imperium.

quarta

Est sētētia multorum, quam hic sequitur Author, Romanū Imperium esse duraturum usque ad finem Mundi.

quarta bestia, significans secundum Ecclesiasticos Interp retes Romanum Imperium, quod certum esse diximus esse duraturum usque ad finem Mundi. Nam Tertullianus in libro ad Scapulam cap. 2. & in libro de Resurrectione carnis, & in Apologetico; Optatus etiam Milevitanus in libro secundo contra Donatistas; alij quoque quamplurimi Doctores docent fuisse antiquissimam & Apostolicam traditionem, Romanum Imperium pariter cum ipso Mundo staturum & casurum; eundemque futurum utriusque finem & interitum. Tradunt etiam præfati Auctores, solitos olim Christianos assiduè religiosèque Deo supplicare pro conservatione ac felicitate Romani Imperij: videlicet, persuasū illi habebant, quoad staret & floreret Romanum Imperium, nō esse venturum Antichristum; & differri atrocissimam illam Ecclesiæ persecutionem, quam adversus Christianos in fine sæculi, Antichristus concitabit. Itaque quandiu Romanum Imperium stabit, stabit & Ecclesia totusque Orbis; idque Christianos didicisse docet Tertullianus ubi supra in Apologet. cap. 22. ex suorum Prophetarum oraculis: *Est*, inquit, *& alia major necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu Imperij rebusque Romanis; quòd vim maximam universo Orbi imminentem, ipsamq; clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem*, *Romani Imperij commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri*, *Romanæ diuturnitati favemus*. Ergo oportet Christianos quotidiè Deum orare pro statu & conservatione Romæ ac Romani Imperij, quod esse destruendum ac evertendum circiter finem sæculi ostendimus ab illis decem Regibus in Orbe futuris, partibus inter se divisis; antequam Rex impius non modò generi hominum, sed etiam Deo in micus, scilicet Antichristus, appareat. Nec obstant, qui videntur asserere ab Antichristo Romanum evertendum Imperium: nam illud duntaxat significant, teste Malvenda lib. 4. cap. 14. occasione ipsius Antichristi, nimirum ut ipsi venturo proximè paretur via, excidendum esse Imperium, ut ipse ejus plenæ destructionis quodammodo jure censeatur causa: & quòd propè ejus adventum sit interiturum, videatur Antichristus illud deleturus. Itaque priùs penitùs delendum est Romanum Imperium, quàm veniat Antichristus, ipseque non est destructurus Romanum Imperium, sed postquam illud prorsùs sublatum fuerit de Mundo, suum Regnum auspicaturus, quasi sit vacantem Imperij Principatum occupaturus.

Causa quare debeant Christiani quotidie Deū orare pro statu & conservatione Romæ ac Romani Imperij.

Romanū Imperium an sit ab Antichristo destruendum.

XVI.

Multa signa, quæ præcedent adventum Antichristi.

Eversio igitur atque destructio Romani Imperij Antichristum superinducet. Id enim erit unum ex præcipuis signis propè jam illius adventum: nam multa ponuntur signa, quæ illum præcedent. Primum signum erit prædicatio Evangelij in universo Orbe, id est, in omni-

omnibus Provinciis & locis, in quibus homines habitant,cùm multi adhuc inveniantur populi, ad quos Evangelium nondum pervenit,ut Historici Indiarum fatentur. Primùm itaque, quemadmodum Dominus Matth.24. dixit, Evangelium apud omnes Gentes prædicari necesse est, cùm adhuc nondum planè sit annunciatum, superest adhuc prædicandum, ut nulla jam relicta sit natio, quæ aliquo tempore non audierit Christi Evangelium; & tunc Antichristus ad prodendam Judæorum impietatem veniet.Hic igitur non est venturus, nisi priùs Evangelii splendor totum pervaserit Orbem, ne quæ Antichristo crediture sunt nationes, ullam possint obtendere ignorantiæ excusationem, quòd ipsum admiserint. De hoc signo plura infrà in 2. Tractatu dicemus. Primum signū.

XVII.

Secundum signum.

Secundum signum erit præfata futura Romanæ urbis apostasia, quam indicare voluit S. Paulus in 2. ad Thess. 2. dum ait: *Donec de medio fiat*: quasi dicat Apostolus secundum D. Anselmum: Donec ab ipsa Romana Ecclesia, quæ est medium & cor Ecclesiarum, fiat iniquitas; hoc est, donec ipsa Roma, quæ est sedes & caput Ecclesiæ Catholicæ, à Fide circa extrema Mundi tempora apostatabit: & sic iterum (ut suprà audisti) erit, sicut olim fuit, Ethnica & Pagana, ac potens: nam pristinum (ut suprà ostendimus) Imperium Orbis rursum nacta, decem potentissimos Reges suo subjectos Imperio est habitura, qui suam sunt amplexuri apostasiam, quæ erit causa & origo discessionis particularium Ecclesiarum ab obedientia Catholicæ Ecclesiæ, quæ tunc inter tot procellas ac turbines cum suo legitimo capite atque universali Pastore, Christi Domini summo in terris Vicario, quamvis oppressa & afflicta, quamvis ejecta & profligata, ac profuga; inviolabilis tamen atque constans in Fide & Religione Christiana (ut suprà est demonstratum) semper est permansura; alioquin vana esset Christi promissio Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Erit igitur quòd præcedet adventum Antichristi inobedientia & defectio generalis ab Ecclesia Catholica, ut tenet & docet doctissimus vir Ioannes Eckius in Homilia 1. in Dominicam XXVI. post Pentecosten. Sedebit tunc in Ecclesia Catholica Petrus Romanus, qui ob præindicatum futurum Romanum Ethnicismum & Paganismum pascet oves in multis tribulationibus: quibus transactis, eò quòd misericors Deus dabit aliquod tempus quietis & pacis, ut Roma resipiscat, ac tùm ista Dei gratiæ oblita, perseverabit in suo Ethnicismo & Paganismo, ut antè: quare tunc Deus illi finem inducet: quoniam illi decem Reges sibi subditi adversus ipsam rerum potientem ex improviso sunt rebellaturi, Imperium Romanum (ut suprà patet, & infrà patebit) igne ferroq: exitialibus bellis devastaturi, occupaturi, ac inter se divisuri: Romam verò Imperii

Rebellio generalis erit ab Ecclesia Catholica ante adventum Antichristi.

Ecclesia Catholica nunquam defectura, sed semper inviolabilis permansura cum suo legitimo Capite.

caput pòstmodum è culmine fortunæ deiectam, funditùs extirpaturi. Huc accedit Prophetia S. Malachiæ, quā recenset Arnoldus Vvion in Chronicis Ordinis S. Benedicti, sive in Ligno vitæ lib. 2. cap. 40. in fine: in ea enim Malachias à suo ævo (fuit ipse coævus D. Bernardo: hic enim scripsit ejus vitam) per symbola depingit omnes Romanos Pontifices futuros usque ad finem Mundi, ultimumq; fore asserit præfatum Petrum Romanum, de quo ita vaticinatur: *In persecutione extrema S. R. E. sedebit Petrus Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus: quibus transactis Civitas septicollis* (id est Roma) *diruetur, & Iudex tremendus iudicabit populum suum.* Hæc S. Malachiæ oracula singulis Pontificibus usq; ad Clementem VIII. appositè adaptavit Alphonsus Ciacconius, uti videre est apud Vvion loco citato.

Vaticinium seu Oraculum, aut Prophetia S. Malachiæ de Romanæ urbis eversione.

XVIII. Vtrum Vaticinium S. Malachiæ de futura Romanæ urbis eversione stet pro Authore, an contra ipsum.

Sunt qui scribant, hanc præadductam S. Malachiæ Prophetiam de futura Romanæ urbis eversione non stare pro nobis, sed contra nos: quia existimant Romam terræmotibus, aut inundationibus, aut turbinibus, aliisq; similibus modis esse diruendam post tribulationes Antichristi, ut constare dicunt ex præfato S. Malachiæ Vaticinio; sed isti graviter errant ignorantes extremam S.R.E. persecutionem esse inchoandam in præfata futura generali discessione ab Ecclesia Catholica, & esse finiendam per Antichristum. At quia in initio hujus extremæ persecutionis post multas tribulationes, quas Ecclesia Catholica tunc est habitura seu passura, erit aliquod tempus pacis & quietis, ut suprà ostensum est: ideò S. Malachias ait transactis persecutionibus non Antichristi ut illi putant, sed prædemonstratæ futuræ generalis rebellionis ab Ecclesia Catholica, Romam esse diruendam non post, sed ante Antichristum, ut suprà patet, & infrà fusiùs latiùsq; patebit.

XIX. Tertium signū.

Tertium signum, quod præcedet adventum Antichristi, erit discessio gentium à Romano Imperio: id est, destructio Romani Imperii. Ratio est, quia ante illud tempus dividetur Romanum Imperiū (uti suprà ostensum est) in decem Regna: nam est traditio Sanctorum Patrum, circa finem Mundi decem (ut suprà audisti) simul Reges Romanorum excitaturos in diversis quidem locis, eodem tamen regnantes: qui funditùs Romanum Imperium evertent, & inter se partientur. Istis autem decem Regibus in Orbe Romano rerum potientibus, venturus aut oriturus est Antichristus tanquam cornu parvulum, nimirum ex parvis & obscuris initiis in immensam magnitudinem evasurus, atq; decem illis Regibus longe potentior futurus, qui Regnum jam adeptus, tres ex decem Regibus vincet atq; delebit, reliquos verò septem metu ac terrore exanimatos suo subiiciet Imperio. Quod autem eiusmodi assertio sit traditio Sanctorum Patrum

Traditio Sanctorum Patrum de abolitione Romani Imperii priùs, quám veniat Antichristus.

trum, ut diximus, asserit D. Hieronymus in 7. Danielis: quoniam ibi elucidans illud Prophetæ Oraculum: *Et habebat cornua decem, & c.* sic fatur: *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt: In consummatione Mundi, quando Regnum destruendum est Romanum, decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter se dividant, & undecimum surrecturum esse Regem paruulum, scilicet Antichristum, qui tres de decem Regibus superaturus sit, id est, Aegyptiorum Regem, & Aphricæ, & Æthiopiæ. Quibus interfectis, etiam septem alii Reges victori colla submittent.* Ita Hieronymus.

Antichristus tres Reges ex decem Regibus in Orbe futuris debellabit atq; delebit, reliquos verò septem sibi subiiciet.

XX.

Decem Reges in Orbe futuri erunt prævii Antichristo.

Itaque præfati decem Reges in Orbe futuri erunt prævii Antichristo: nam his rerum habenas in Orbe Romano moderantibus, illum statim affuturum manifestè affirmat S. Propheta Daniel cap. 7. in eo Vaticinio, quod ibi ita se habet: *Porrò cornua decem, ipsius Regni, decem Reges erunt, & alius consurget post eos* (nempe Antichristus) *& ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & sermones contra Excelsum loquetur.* S. Ioannes in Apocal. 17. ver. 12. de decem illis Regibus sic scribit: *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, decem Reges sunt.* Quin & Sibyllæ Prophetico afflatæ Spiritu per decem Soles, quos in fine Mundi orituros cecinerunt, decem illos Reges, quos Romana urbs (ut suprà demonstratum est) proximè sæculi consummationem est habitura suo subiectos Imperio, indicare voluisse putantur.

Oraculum Sibyllarum de decem Regibus in Orbe futuris.

XXI.

Quid significent decem cornua, seu decem Reges secundũ D. Augustinum.

Verùm, numero illo decem præfatorum Regum, in quos suprà ostendimus dispertitum iri Romanum Imperium, D. Augustinus occasionem in primis difficultatis præbuit, quia superadductum S. Danielis Vaticinium de decem cornibus quartæ bestiæ, & de cornu parvulo è medio eorum enato, hoc est, de decem Regibus in fine Mundi, quorum Regno vigente venturus est (ut suprà demonstravimus) Antichristus, enarrans putat, non tàm significari certum quẽdam numerum Regum, quàm omnes Reges in Romano Imperio usq; ad finem sæculi futuros; post quos, venturus est Antichristus: solet enim Scriptura, ita denario numero, ut septenario, centenario, & millenario, ad exprimendam universitatem, plerunque uti. Ponam hic verba Augustini: sic enim scribit libro vigesimo de Civitate Deì cap. 23. *Vereri me fateor, ne in decem Regibus, quos tanquam decem homines videtur inventuras esse Antichristus, forte fallamur; atque ita ille inopinatus adveniat, non existentibus tot Regibus in Orbe Romano. Quid enim, si numero isto denario, universitas Regum significata est, post quos ille venturus est? sicut millenario, centenario, & septenario, significatur plerunque universitas: & aliis atq; aliis numeris, quos nunc commemorare non est necesse.* Ita Augustinus. At quamvis denarius numerus in Scriptura multitudinem & universi-

Verum denarius numerus in Scrip. ptura indefinitam multitudinem semper denotet.; an verò interdum præfinitum numerum significet.

An decem Reges in Orbe futuri sub adventum Antichristi fuerint plures, aut pauciores.

tatem denotet, sicut videre licet Geneseos 31. Job 19. Numerorum 14. 1. Regum 1. Ecclesiastes 7. Danielis 1. tamen in præadducto 7. Danielis cap.& 17. Apocalypsis Joannis præfinitum numerum significat: & sic præfatos decem Reges non pro multitudine, sed pro definito numero decem tantùm, nec plures, nec pauciores intelligendos esse, tàm manifestum est, ut vehementer mirati sumus potuisse de his S. Augustinum ambigere, cùm omnes Scriptores tàm veteres, quàm neoterici tradant certum esse, fore decem Reges in Orbe cùm veniet Antichristus. Probant istud illi ex prædemonstrato S. Danielis Vaticinio: nam cùm dicat ibi (ut suprà audisti) S. Propheta, illorum decem Regum tres Reges debellaturum Antichristum, reliquos verò septem ei subiiciendos fert communis sententia Patrum, nõ videtur negari posse, quin quo tempore venturus est Antichristus, futuri sint in Orbe decem tantùm Reges: qui Romam capient & evertent, ac eius Imperium (ut sæpe suprà dictum est) inter se partientur; Romani Imperii & re & nomine funditùs extinctis. Neque enim ullus eorum se Regem, aut Imperatorem Romanorum appellabit Romani nominis odio exitiali, quamadmodum nullum ex decem cornibus bestiæ appellatur bestia. Sed an hi decem Reges sint eversuri Romam ante Antichristum; an verò sub Antichristo, ita ut Antichristus eversurus sit Romam, & pariter Romanum Imperium per hosce Reges.

Vtrum Antichristus evertet Romam & eius Imperium; an verò Reges prævii.

XXII. Opinio Suarez.

Primò, Franciscus Suarez in 3. Par. Summæ Theologicæ Angelici Doctoris tom. 2. disp. 59. art. 6. censet incertum esse, an Romanum Imperium, & multò magis an Romana Vrbs evertenda sint ante Antichristum, an per ipsum Antichristum.

XXIII. Ribera, Viegas, & alii Apocalyp. Interpretes, quos hic sequitur Author, censent Romam ante Antichristum esse evertẽdam à decem Regibus.

Secundò, Ribera & Viegas in 17. Apocal. & alij quamplurimi ibidem, quos hic sequimur ipsi, censent ante Antichristum evertenda, idque putant se demonstrare ex eo, quòd Roma in dicto Apocalypsis cap. ver. 16. dicatur evertenda à decem Regibus. Verba ita se habent: *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariã, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt*: ergo ante Antichristum; nam Antichristus (ut suprà demonstravimus) veniens statim debellabit tres Reges & occidet, ut tantùm septem restent, qui sponte ei se subdent. Cùm ergo sub Antichristo tantùm futuri sint septem Reges, sequitur tunc Romam non esse evertendam, sed antè, cùm nimirum in Orbe erunt decem Reges.

XXIV. Opinio Cornelij à Lapide, quã Auctor hic reiicit.

Tertiò, Cornelius à Lapide super præadductum cap. 17. Apocalypsis existimat Romam & Romanum Imperium evertenda esse non ante Antichristum, sed ab Antichristo per decem Reges ei iam subiectos. At verò ista opinio, quamvis Auctor eam suspicetur esse probabiliorem, tamen à nobis reiicitur. Ratio est, quia est assertio

Pa-

Patrum & consensus omnium Ecclesiasticorum Doctorum, ut suprà ostendimus, quòd Antichristus non est venturus, nisi priùs extinctum & abolitum omninò fuerit Romanum Imperium, ut clarè S. Paulus, etsi ænigmaticè loquatur, indicat in 2. ad Thess. 2. cùm inquit: *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*. Illud planè, licèt obscurè sit locutus, demonstravit: Jam benè nostis hoc detinere, remorari, impedire ne veniat Antichristus, nimirum status ipse Romani Imperij, quod adhuc in Germania viget, & rerum tenet habenas; ac si asserat: Romanum ipsum Imperium stans detinet ne veniat Antichristus: nam Catholica Ecclesia non alia potissimum ratione videtur in die Sancto Parasceves orare pro Imperio Romano, illa solemni ritu concepta precatione: *Omnipotens sempiterne Deus respice ad Romanum benignus Imperium, &c.* nisi quia certò persuasum habet, quandiù steterit hoc, nullo pacto timendum esse adventum Antichristi, & rerum finem: stante igitur Romano Imperio Antichristus non veniet: illud enim esse duraturum ostendimus suprà, quousque decem illi potentissimi Reges in Orbe existant, qui (ut suprà audisti) partitis inter se cunctis Romani Imperii quæ quondam ipsi subjectæ fuère Provinciis, nomen, dignitatemque eiusdem Imperij penitùs extinguant & aboleant, ut nec ullus illorum decem Regum, nec ullus alius tunc in Mundo appelletur Romanus Imperator, nec nomen nec res Imperii Romani ullibi gentium, aut terrarum vel existat, vel agnoscatur, aut reperiri valeat: & tunc regnantibus decem illis Regibus nominis & dignitatis Romani Imperij extirpatoribus, venturum esse Antichristum suprà demonstravimus: ergo non veniet Antichristus ut Romanum stans Imperium deiiciat & extinguat; sed postquam istud prorsùs ablatum de Mundo fuerit, statim illum esse venturum tradit Apostolus ubi suprà, cùm inquit: *Donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus.* Quid aliud oro est de medio fieri, quàm de medio tolli, & penitùs auferri, non tantùm inclinari? Et tunc, hoc est, sublato funditùs Romano Imperio, venturus est Antichristus.

Clara D. Pauli demonstratio de abolitione Romani Imperii ante adventum Antichristi.

Romanum Imperium à quibus sit devastandum.

Antichristus non veniet, nisi priùs everso penitùs Romano Imperio.

XXV.

Expositio Cardinalis Bellarmini super præadductam claram D. Pauli demonstrationem de extinctione Romani Imperii, priùs quàm reveletur Antichristus.

Non committam ut hoc loco præteream, quæ hac de re scribit Robertus Cardinalis Bellarminus: nam iste super præadducta & declarata S. Pauli verba sic ait: *Paulus non ausus apertè scribere ad Thessalonicenses de eversione Imperii Romani, quod tamen apertè illis coram explicaverat, sic loquitur, & sensus est: scitis, quid impediat adventum Antichristi? dixi enim vobis Romanum Imperium impedire, quia non sunt adhuc impleta eius peccata: ideò qui nunc tenet Romanum Imperium, teneat, id est, regnet, donec de medio fiat, id est, aboleatur; & tunc revelabitur ille iniquus*. Ita, ait Bellar-

Hanc Bellarmini expositionē tradunt Græci Patres & Latini.

larminus, exponunt Græci Patres, & Latini, è quibus duo tantùm à nobis hic afferuntur, Hironymus nempè & Augustinus. Primus qu. 11. ad Algasiam eadem verba Pauli pertractans ita fatur: *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore; hoc est, quæ causa sit, ut Antichristus in præsentiarum non veniat, optimè nostis. Nec vult apertè dicere Romanum Imperium destruendum, quod ipsi qui imperant æternum putant: unde secundum Apocalypsim Joannis in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ Æternæ. Si enim apertè audacterque dixisset, non veniet Antichristus, nisi priùs Romanum deleatur Imperium, justa causa in orientem tunc Ecclesiam persecutionis consurgere videbatur.* Meritò igitur Apostolus ænigmaticè & obscurè locutus est. Neque enim volebat superfluas inimicitias & inutilia pericula suscipere. Si enim dixisset: quoniam adhuc modicum & destruetur jam Romanũ Imperium, confestim eum defodissent veluti corruptorem: & credentes omnes tanquam in hoc viventes & decertantes. Et mox exponens illud præexpositum Pauli: *Tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat: & tunc revelabitur ille iniquus*, hæc inquit: *Tantùm ut Romanum Imperium, quod nunc universas gentes tenet, recedat & de medio fiat: & tunc Antichristus veniet fons iniquitatis.* Secundus in 20. lib. de Civitate Dei cap. 19. eundem Apostoli locum edisserens, quamvis prorsùs fateatur se ignorare quid dixerit, tamen ita ait: *Tantùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat. Quidam putant hoc de Imperio dictum fuisse Romano: & propterea Paulum non id apertè scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quòd Romano Imperio malè optaverit, cùm speraretur æternum.* Et post pauca infert: *Illud tamen quod ait Apostolus: Tantùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat, non absurdè de ipso Romano Imperio creditur dictum, tanquam dictum sit: Tantùm qui modò imperat, imperet, donec de medio fiat, id est, tollatur de medio. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem significare Antichristum, nullus ambigit.*

Expositio D. Hieronymi.

Causa quare S. Paulus ænigmaticè & obscurè locutus est de abolitione Romani Imperii.

Expositio D. Augustini.

XXVI.

Roma sub finem Mundi funditùs evertenda, & igni concremanda.

Rectè igitur indicavimus suprà, fore signum non simultaneum, sed prævium, aut proximum adventus Antichristi, omnimodam rei & nominis Romani Imperii demolitionem. In qua plena extinctione & abolitione subintellige Romanæ urbis eversionem: nam cùm extenuaverint Romanum Imperium decem illi Reges in Orbe futuri circiter occasum sæculi, Romam ipsam, quæ fuerat Imperii caput, adorientur, capient & evertent: qua eversa ruet pariter, omninòq; concidet Romanum Imperium. Itaque Roma, & Romanum Imperium evertenda sunt non ab Antichristo, sed ante Antichristum ab illis decem Regibus, qui Romam post eversam igni concremabunt,

quem

quem illa non propter aliud, nisi propter scelera, & impietates, quibus in fine Mundi se commaculabit, iustè merebit.

XXVII. Prophetia S. Ioannis de excidio Romæ paganæ in fine Mundi.

Eiusmodi Romæ Paganæ in fine Mundi excidium prædicit S. Joannes in Apocalypsi cap. 18. ver. 2. sed tacito nomine, immò mutato; vocat enim eam (ut suprà ostẽdimus) Babylonem. Id facit, (ait ibi Cornelius à Lapide) ne Domitianum Imper. & Romanos iam tum adhuc Paganos offendat, eosque contra se ac Christianos magis concitet & inflammet. Porrò prædicit hoc Romæ excidium Ioannes, ad consolationem fidelium & Sãctorum, qui tunc sub Domitiano Romæ & alibi mirè exagitabantur; & paulò pòst sub Trajano & sequentibus Imper. graviùs erant exagitandi, ut scilicet Christiani & Sancti scirent & cogitarent, in suis hisce tàm atrocibus persecutionibus se Deo esse curæ, ac Deum fore ultorem sanguinis sui: quia nimirum Deus in fine Mundi puniet non tantùm præsentia, sed & diu præterita scelera & persecutiones Christianorum factas Romæ, & in Romano Imperio tempore Domitiani & deinceps; eò quòd Romani in fine Mundi futuri priscorum Romanorum infidelitatem, tyrannidem & mores impios laudabunt & imitabuntur: quocirca propter eadem graviùs punientur, quàm punirentur si illa non præcessissent.

Deus puniet priscorum Romanorum peccata in fine Mũdi. quo iure?

Qua de re audi præcitatum Cornelium à Lapide ubi suprà ver. 20. *Quia ergo* (inquit) *Roma olim persecuta est Apostolos, Prophetas (non priscos & Judaicos, sed legis novæ, quales fuerunt Apostoli eorumque posteri) & fideles, rursusque eos cum Pontifice in fine Mundi persequetur; hinc Deus exscindet illam; puniet enim prisca Romanorum peccata, impleta eorum mensura in fine Mundi: unde graviùs punientur Romani tunc futuri, quàm puniti fuissent, si similia priscorum Romanorum peccata non præcessissent. Erunt enim ipsi priscorum posteri (utpote incolæ & cives ejusdem urbis Romæ, quidam etiam à priscis illis prognati, eorumq; nepotes) & asseclæ; quia eorum scelera probabũt, laudabunt, req; ipsa sequentur & imitabuntur. Volent enim æmulari gesta & gloriam Cæsaris, Pompeij, Traiani, Decii, Diocletiani, atq; veteris Romæ fumos, & nomina vana Catonum, uti etiamnum aliquos priscis hisce Romanorum fumis pasci & gloriari videmus. Quocirca Deus in iis maiorum peccata puniet: quia illis propter approbationem & imitationem, maiorum peccata imputabuntur: graviùs ergo punientur quàm si soli peccassent; quia & graviùs peccabunt, eò quòd illis placebunt scelera maiorum, eaque æmulari volent, ut Romæ pristinum sub gentilissimo splendorem, pompam & Imperium restituant: itaque audaciùs & impudentiùs peccabunt, dum facere non timebunt ea, quæ Deo in maioribus suis displicuisse animadvertent. Et quia cum novis, vetera etiam Babylonis peccata luenda erant, Ioannes quasi de re iam diù gesta dixit cap. 16. vers. 19. Et Babylon magna venit in* me-

Sententia hac de re Cornelii à Lapide.

Roma in fine Mundi Christum deseret.

Romani propè finem sæculi imitabuntur gesta & gloriam suorum veterum patrum.

memoriam ante Deum dare illi calicem vini indignationis iræ eius. In memoriam venit: quia iam vetera eius scelera oblivioni data erant, propter Christi fidem, quam amplexa erat: sed postea novis similibusque accedentibus, priora revocantur in Dei memoriam. Hoc est quod ait hic uers. 5. *Quoniam peruenerunt peccata eius usque ad Cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius. Quare sicut Ierusalem impleuit mensuram peccatorum patrum suorum, atque tam pro priscis patrum, quàm pro nouis suis peccatis punita est, cùm eam excidit Titus, uti prædixit Christus Lucæ* 19. *uers.* 42. *Ita fiet &* Romæ. *Sic Judæi, qui non descendunt ex Cain, quia tamen eius parricidium imitati sunt, occidendo Christum & Apostolos, audierunt à Christo: Et uos implete mensuram patrum uestrorum, &c. ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ.* Hucusque Cornelius à Lapide.

Romæ paganę in fine Mundi excidium prædixère Sibyllæ.

Idem Romanæ urbis excidium, quod S. Joannes toto capite decimo octavo Apocalypsis, quod jam decimo septimo eiusdem cœperat, fusè prophetavit, prænuntiatum iam priùs à Sibyllis fuisse, ex his earum Oraculis patet.

Lib. 2. Sibyllinorum Oraculorum.

Tunc sanè generatio decima post hæc apparebit
Hominum, cum terræ concussor Astrorum Conditor
Idolorum amorem franget, populumque concutiet:
Romæ septem vertices habentis, magnaque diuitiæ peribunt,
Irrigatæ multo igne à flamma Vulcani.

Et rursum:

Lib 8 Sibyllarum Carminum.

Veniet tibi Cælitùs æqualis ò erecta cervice Roma,
Cælestis plaga, & flectes cervicem prima,
Et terræ allideris, & ignis te totam absumet
Inclinatam: novæ terræ, & divitiæ peribunt:
Et in fundamentis tuis lupi, & vulpes habitabunt:
Et tunc eris tota deserta omninò, ac si nunquam fuisses.

XXVIII.

Hæc mirè congruere verbis Evangelistæ Joánnis de Roma facilè cognoscitur, cùm inquit cap. 18. Apocalypsis ver. 2. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* Et ver. 8. *Ideò in una die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.* Ecce qualis erit status Romanæ urbis in fine Mundi. Et sic in ea adimplebitur vetus illud adagium: *Vbi uber, ibi tuber: ubi mel, ibi fel: ubi montes, ibi valles: ubi aurum, ibi aurugo & scoria.* Quasi dicat: Ubi libido, ibi lues: ubi voluptas, ibi dolor: ubi fastus, ibi contemptus: ubi avaritia, ibi sordes: ubi saturitas, ibi fames: ubi crapula, ibi mors. Meritò igitur S. Brigitta in suis Revelationibus lib. 4. cap. 57.

57. dicit, quòd Roma debet mundari à zizania, primò acuto ferro, secundò igne, tertiò per juga bovum: *Roma* (ait) *est quasi ager, super quem zizania excrevit. Ideò priùs debet mundari cum acuto ferro. Inde igne purgari. Postea arari cum iugo bovum.* Subdit verò Sibylla:

Sibyllæ Oraculum.

Propè quidem Mundi finis, & extremus dies,
Et probatis inclytis iudicium immortalis Dei:
Sed priùs Romanorum *inevitabilis ira erit,*
Tempus sanguineum, & infelix vita veniet.

Et mox addit:

Alterum Sibyllæ Oraculum.

Tuam primam punitionem Roma, *& fremitum videns,*
Nec amplius tibi servili sub iugo cervicem ponet
Non Syrus, non Gracus, non Barbarus, non gens alia.
Subverteris, & fies quacunque fecisti.
Et cùm fleveris, timebis donec omnia luas:
Et tu triumphus eris Mundo, & opprobrium omnium.

XXIX.

Ex iisdem Lactantius Firmianus lib. 7. Divinarum Institutionum cap. 25. *Cùm caput*, inquit, *illud Orbis occiderit, & pyra esse cœperit, quod Sibyllæ fore ajunt, quis dubitet venisse jam finem rebus humanis Orbique terrarum? Illa est enim Ciuitas, quæ adhuc sustentat omnia: precandusque nobis & adorandus est Deus Cœli, si tamen statuta eius & placita differri possunt, ne citiùs quàm putemus, tyrannus ille abominandus ueniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cujus interitu Mundus ipse lapsurus est.* Itaque finis Orbis non aderit, nisi priùs Roma omninò destructa, & igni concremata. Hinc reiicias veterem illam opinionem Romanorum & aliorum Gentilium existimantium Romanam urbem, ac ejus similiter Imperium æterna fore, cùm utraque ante Antichristum esse prorsùs de Mundo auferenda, satis suprà est demonstratum. Quoniam illic abundè enarravimus Romam circiter extrema Mundi tempora Ethnicam factam, & ad culmen mundanæ potentiæ evectam, Imperiumque Orbis nactam, hostem exitialem Christianæ Ecclesiæ redditam, decem sub suo Imperio potentissimos Reges tunc habituram, nequitia & impietate famosissimos; qui tamen Romanæ urbis dominatus pertæsi, ab ea palam deficient, in eamque coniunctis viribus atque exercitibus insurgent, obsident, vastabunt, incendent, & delebunt: Romanum Imperium inter se divident, ejus nomen, & rem omnem extinguent, cùm nullus eorum ullo pacto sit futurus, aut appellandus Rex, aut Imperator Romanus. His autem, post deletam Romam, & Romanum Imperium de medio sublatum, in Mundo regnantibus, venturum Antichristum. Itaque Romanum Imperium usque ad tempora præfatorum decem Regum est duraturum. Patet id ex cap. 7. Danielis, ac ex Apocalypsis 17. estque com-

Romę interitu, Mundus ipse lapsurus est.

Opinio de æternitate Romæ, ac eius Imperii reiicitur.

Epilogus, seu summa eorum, quæ Author suprà de Roma & Romano Imperio diffusè tractavit.

communis Patrum, teste S.Hieronymo super adductum Danielis locum, traditio, &,ut videtur, Apostolica. Tradit namque S. Paulus (ut suprà ostendimus) in 2. ad Thess.2. ver.3. Antichristum non antea in Mundum esse venturum, nisi venerit discessio primùm: quod Græcè dicitur (ut superiùs audisti) Apostasia, ut omnes gentes quæ Imperio Romano subjacent, recedant ab eo. Priùs igitur erit defectio generalis ab Imperio Romano, & postea illicò apparebit Antichristus, qui interficiet Sanctos, reddita Romanis libertate sub suo tamen nomine. Ita Tertullianus lib.de Resurrect.cap.24. & 25. Lactantius Firmianus lib.7. Divinarum instit. cap.15. & 16. S.Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus Catech.15. S. Hieronymus qu.11. ad Algasiam, S.Augustinus lib.20. de Civitate Dei cap.19. S. Joannes Chrysostomus in 2. ad Thess.2. S.Ambrosius ibidem, Theophylactus, Oecumenius. Qui omnes non tantùm inclinationem Romani Imperij, aut dominij sedisve commutationem, ut hæretici volunt, sed plenam eius desolationem, & contra illud omnium gentium rebellionem, dicunt certò præituram adventum & regnum Antichristi: & hoc est quod ver.seq.ait S.Paulus: *Donec de medio fiat*: id est, omninò auferatur Romanum Imperium. Et tunc quidem revelabitur homo peccati, Antichristus videlicet: qui licèt sit homo; fons tamen erit omnium peccatorum, & filius perditionis. Hic est filius diaboli, quia per omnia adimplebit voluntatem suam, quia plenitudo diabolicæ potestatis, & totius mali ingenij corporaliter habitabit in illo. In quo erunt omnes thesauri malitiæ & iniquitatis absconditi. Itaque non revelabitur Antichristus, nisi primùm venerit discessio: hoc est, (ut habetur in Tractatu de Antichristo, quem aliqui putant esse D. Augustini, nos verò Rabani) nisi discesserint omnia Regna à Romano Imperio, quæ priùs subdita erant. *Hoc autem tempus* (subdit ille Auctor) *nondum aduenit, quia licèt uideamus Romanum Imperium ex maxima parte destructum, tamen quandiù Reges Francorum durauerint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romani Imperij dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus suis stabit. Quidam uerò Doctores nostri dicunt, quòd unus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integro tenebit, qui in nouissimo tempore erit, & ipse erit maximus, & omnium Regum ultimus. Qui postquam Regnum suum feliciter gubernauerit, ad ultimum Hierosolymam ueniet, & in monte Oliueti sceptrum & coronam suam deponet. Hic erit finis & consummatio Romanorum, Christianorumque Imperii. Statimque secundum prædictam sententiam Apostoli Pauli, Antichristum dicunt futurum.* Egregiè liberat Fidem suam. In Fragmentis S.Methodij Martyris ejusmodi quidpiam reperitur. Verùm hæc nullo pacto congruere cum his, quæ hactenus de extinctione & interitu

Antichristus secundum Apostoli sententiam non antea in Mundum est venturus, nisi venerit discessio primùm, seu defectio generalis ab Imperio Romano.

Finis & consummatio Romani Imperii secundum Rabanum.

An ista Rabani opinio de fine & consummatione Romani Imperii sit vera.

teritu Romani Imperij ex Scripturæ & Patrum traditione docuimus, facilè quivis intueri valet. Quamprimum igitur penitùs extinctum & abolitum fuerit Romanum Imperium, subitò & improvisè Antichristus veniet, & totum simul humanum genus suo errore decipiet & perdet. Itaque rectè indicat S. Paulus ubi suprà vers. 6. quòd status Romanus est remora, seu causa dilationis adventus Antichristi, dum ait: *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore: nam mysterium iam operatur iniquitatis*: id est, quid sit quod detineat adventum Antichristi, scilicet ut Nero & Romani Imperatores teneant Imperium, donec illud evertatur & è medio tollatur: quia ejus destructio, seu abscissio in decem Reges, seu Regna, dispersa, Antichristum (ut suprà audisti) superinducet. Et tunc (ut diximus) revelabitur ille iniquus. Quandiù enim Romani Imperij robur steterit, non facilè quisquam subiicietur Antichristo. Romano verò Imperio dissoluto, ei ille inducet anarchiam, hoc est, libertatem, vel potiùs turbulentum rerum statum, qui capite & Principe careat, conabiturque cùm hominum, tùm Dei Imperium rapere. Alludit autem Apostolus (ut inquit ibi Cornelius à Lapide) ad Danielis (quasi omnium temporum Chronologi certissimi, notissimi & celeberrimi) caput septimum: ubi Daniel præcipua Mundi Imperia & Monarchias sibi succedentes ordine recenset. Prima fuit Assyriorum & Babyloniorum, quæ Danieli repræsentata fuit per leonem. Secunda Medorum simul & Persarum, significata per ursum. Tertia Macedonum seu Græcorum, significata per pardum. Quarta & ultima Romanorum, significata per bestiam decem cornuum. Post quæ, ut ait Daniel, undecimum parvulum cornu, id est, Antichristus consurget, & crescet, facietque bellum adversus Sanctos, & prævalebit, donec veniat antiquus dierum, ut Judicium & Regnum tradat Sanctis suis: *Et sermones* (inquit Daniel) *contra Excelsum loquetur* (nempe Antichristus) *& Sanctos Altissimi conteret, & putabit quòd possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem. Regnum autem, & potestas, & magnitudo Regni, quæ est subter omne Cælum, detur populo Sanctorum Altissimi: cuius Regnum, Regnum sempiternum est, & omnes Reges servient ei & obedient.*

Quatuor præcipua Orbis Imperia seu Monarchiæ, significata per bestias.

Caput septimū Danielis explicatum.

XXX.

Daniel ergo docet primò regnasse Assyrios seu Babylonios; hos deinde subactos esse à Medis simul & Persis, ac Persas à Macedonibus seu Græcis, & Græcos à Romanis, Romanis successuros decem Reges, post quos consurrecturum Antichristum, qui non à patribus accipiet Regnum, sed arte magica Principatum usurpabit. Decem igitur Regibus, seu Regnis successurum est undecimum Antichristi

Omnia Imperia debent tandem cedere Christi Regno.

Regnum ad breve tempus, quod à Christi Judicis & Sanctorum glorioso & æterno Regno subvertetur. Ad locum itaque Danielis suprà jam explicatum alludit ibi S. Paulus, quasi dicat: Omnes alij Monarchæ & tyranni, putà Babylonij, Persæ, Græci iam transierunt: supersunt Nero, & Romani, qui tenent nunc Imperium, donec illud auferatur, & tunc veniet Antichristus; & mox Christus Judex, qui Antichristum interficiet Spiritu oris sui, suumque cum Sanctis Regnum æternum inducet & stabiliet. Ita S. Joan. Chrysostomus, Theophylactus, & alii. Simili modo arcano & Prophetico hæc eadem describit S. Joannes in Apocal. 17. ver. 10. *Reges*, inquit, *septem sunt. Quinque ceciderunt; unus est, & alius nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere*. Ubi, ut docent S. Ambrosius, Beda, Richardus, Ribera, & alij, per septem Reges significat conjurationem tyrannorum, qui septem Mundi ætatibus Ecclesiam persecuti sunt, persequuntur, & persequentur. Unde ait quinque transisse, sextum adhuc esse, septimum regnaturum ad modicum tempus. Primus ergo Rex fuit Cain cum gigantibus, alijsque tyrannis, qui prima Mundi ætate, id est, ab Adam usque ad diluvium, pios & Ecclesiam persecuti sunt. Secundus Rex fuit Nemrod & Meropes illi architecti turris Babel, qui à Noe usque ad Abraham (hæc enim est secunda Mundi ætas) fideles vexarunt. Tertius Rex, qui tertia Mundi ætate, quæ ab Abraham ad David excurrit, pios oppressit, fuit Pharao, & similes in Ægypto & Sodomis. Quartus fuit Jeroboam, aliique impij Reges Israel & Juda, qui quarta Mundi ætate, à David scilicet usque ad captivitatem Babylonicam vitulos aureos & idola invexerunt. Quintus fuit Nabuchodonosor cum Antiocho Epiphane, alijsque usque ad Christum: hæc enim est quinta Mundi ætas. Sextus fuit Nero, alijque Imperatores Romani, qui sunt, fuerunt, vel erunt à Christo usque ad Antichristum. Septimus erit Antichristus, qui modicum, scilicet tres annos cum dimidio, regnabit, & à Christo Judice profligabitur, ut infrà in nono ac ultimo Tractatu fusiùs latiùsque dicetur.

Locus Apocalypsis 17. illustratus.

Septem Reges septem significant tyrannos, qui septem Mundi ætatibus Ecclesiam persecuti sunt.

XXXI.

Quartum signũ erit discessio quorundam Christianorum à Fide Catholica.

Quartum signum erit discessio seu recessus quorundam Christianorum à Fide Catholica. Nam defectio illa generalis quamvis fiet ab Ecclesia Romana simul & Imperio, præcipuè tamen futura est à vera & Catholica Fide, quæ similiter illo tempore erit. Dico quorundam Christianorum, non quòd omnes à Fide recedent, sed multi. Ait enim Salvator noster Matth. 24. quòd tunc abundabit iniquitas, & refrigescet multorum charitas: sicque Fides vera in multis deficiet. Propter quod Apostolus inquit primæ Tim. 4. *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis diebus discedent quidam à Fide*. Et S. Petrus in secunda Epistola: *Venient in novissimis diebus illusores* juxta proprias

prias concupiscentias ambulantes, & dicentes, Vbi est promissio aut adventus eius? Ita enim (ut asserit Lactantius Firmianus lib. 7. Divinarum inst. cap. 15.) justitia rarescet, ita impietas, & avaritia, & cupiditas, & libido crebrescent, ut si qui tùm fortè fuerint boni, prædæ sint sceleratis, & divexentur undiq; ab injustis. Confundetur omne jus, & leges interibunt. Nihil quisquam tunc habebit, nisi aut quæsitum, aut defensum manu. Audacia, & vis omnia possidebunt. Non Fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit: atque ita neque securitas, neque regimen, neque requies à malis ulla; omnis enim terra tumultuabitur: frement ubique bella. Omnes gentes in armis erunt, & se invicem oppugnabunt. S. Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus Catech. 15. *Fraternum* (inquit) *odium deinceps locum dabit Antichristo. Præparat diabolus schismata populorum, ut tanto facilius hostis recipiatur.* Et post multa addit: *Terrent me bella gentium. Terrent me schismata Ecclesiarum, terret me odium fraternum.* Nimirum, quòd viam sternant Antichristo. Quid narro quæ fient ab hominibus, cùm ipsa etiam elementa ordinem suum sint negatura, ut asserit S. Hippolytus Martyr in Oratione de cōsummatione Mundi, ubi mores illius temporis describens, ita inquit: *Hæc prænarravimus ut intelligatis cruciatum, & perturbationem extremis futuram temporibus, omniumque hominum inter se vivendi consuetudinem, invidiam, odium, contentionem, pastorum in ovibus negligentiam, populi erga Sacerdotes animum immorigerum, ita omnes suo arbitratu vivent. Filii manus iniicient in parentes, uxor virum suum tradet in mortem: vir uxorem suam ut ream tradet in iudicium. Domini in servos suos erunt inhumani: serui in dominos animum gerent inobedientem: senis canitiem nemo reuerebitur: juuenilis formæ nemo miserebitur. Templa Diuina domorum instar erunt: locis omnibus euersiones fient Ecclesiarum: Scriprura contemnentur: hostes illius Cantica ubique decantabunt. Post hæc stupra, adulteria, periuria, incantationes, diuinationes magno impetu, studioque sequentur. In summa ex his qui Christiani uidentur, tunc exurgent falsi propheta, falsique apostoli, homines impostores, corruptores, malefici, mentientes alius in alium, adulteri, stupratores, rapaces, auari, periuri, detractores. Pastores fient quasi lupi: Monachi expetent quæ sunt Mundi, diuites animum expertem misericordiæ induent, pauperi non succurrent. Principes potentes miserationem abiicient. Judices iustum auferent ex justo, muneribusque obcæcati iniustitiam probabunt. Quid narro quę fient ab hominibus, cùm ipsa etiam elementa ordinem suum sint negatura.* Hucusque S. Hippolytus. Itaque Antichristus veniet in tempore schismatis & discordiæ: & meritò, quia Salvator noster venit tempore pacis: quia ipse

Elementa, antequam appareat Antichristus, ordinem suū sunt negatura.

Sententia S. Hippolyti Martyris describentis, homines prope, seu juxta Antichristi adventum fore in statu omnium corruptissimo, ac moribus depravatissimo.

Antichristus veniet in tempore schismatis & discordiæ.

ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, nos Deo reconciliando, ut patet Luc. 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*. Ita Antichristus, qui erit contra Christum, in tempore schismatis & discordiæ veniet; quando scilicet nemo obediẽs erit Romano Imperio, & plurimi recesserint ab Ecclesia & Fide Catholica. Unde S. Paulus in 2. ad Thess. Epist. c. 2. hortatur fideles per id quod ait: *Tantùm ut qui tenet nunc, teneat; donec de medio fiat*: id est, secundum aliquos, ut infrà in 2. Tract. patebit, tantùm est, ut qui tenet nunc Fidem Christianę religionis, teneat illam: id est, tenaciter perseveret in ea; donec de medio fiat; id est, donec de medio Ecclesiæ exeat mysterium iniquitatis: quod tunc erit, cùm ab Ecclesia exeuntes, ad Antichristum confugerint. Vel, ut D. Anselmus interpretatur, Romanus Pontifex, qui tenet nunc Ecclesias, teneat illas; donec de medio fiat; id est, donec ab ipsa Romana Ecclesia, quæ est medium & cor Ecclesiarum, fiat iniquitas: ob quam ab ea multæ discedant Ecclesiæ.

XXXII. Quintum & ultimum signũ.

Quintum & ultimum signum, quod præcedet adventum Antichristi, erit, quando iniquitas ultra modum abundaverit, & impietas excreverit in immensum. Tunc enim ille veniet, de quo Daniel cap. 8. *Cùm creverint* (inquit) *iniquitates, consurget Rex impudens facie*. Gloss. omnium iniquitatum plenus. Erit enim superbissimus, blasphemus, Dei & Sanctorum contemptor & irrisor, tyrannus homicida, sacrilegus, sævissimus Ecclesiæ persecutor, bonorum osor, impiorum fautor, alienorum bonorum appetitor & direptor, insidiosus & fraudulentus, ut serpens. Et dignum est, ut iniquus Princeps veniens primò in Mundum, ibidem inveniet iniquitatem, & non unam, sed plures. Vnde Ose. 4. dicitur, quòd tempore Antichristi plusquam priùs, homicidium, mendacium, adulterium, furtum, inundabunt in terra, & sanguis sanguinem tanget: id est, unum peccatum aliud impellet, & unum aliud explebit. Et tunc veniet Antichristus iniquus Rex super malos subditos, quia secundum D. Gregor. Secundum merita subditorum tribuuntur à Deo personæ regentium. Et pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, & sæpè ex plebium merito mutatur vita Pastorum. Vnde etiam de hoc dicitur in Deut. *Prælatus malus quandoque datur propter peccata populi*, b. q. 1. ex merito. Idcircò de tempore illo dicit Dominus, ut suprà ostensum est, *Abundabit iniquitas, & refrigescet multorum charitas*. Et hoc erit in fine ætatis hujus, hoc est, in sexta hac, & ultima ætate, in qua modò sumus, quæ duratura est usque ad finem sæculi, & circa finem nascetur Antichristus, & post illum Christus veniet iudicaturus Orbem, ut secundum uniuscujusque merita, vel demerita, præmia, vel pœnas decernat; hanc verò ultimam ætatem no-

[Margin: Antichristus futurus est omnium iniquitatum plenus.]

[Margin: Antichristus veniet tempore abundantię peccatorum.]

[Margin: Matth. 24.]

novissimam horam vocat S. Joannes in prima sua Canonica cap.2. *Pueri*, inquit, *novissima hora est, & sicut audistis, quòd Antichristus sit venturus; nunc autem Antichristi multi facti sunt. Unde cognoscimus, quòd novissima sit hora*. Argumentatur autem S. Joannes, quòd citò sit venturus Antichristus ex abundantia malitiæ & nequitiæ, quæ crevit in Mundo; & idem signum affertur à S. Brigitta lib.6. Revelationum cap. 67. ubi Christus Dominus ita eam alloquitur: *In fine verò ætatis huius nascetur Antichristus. Sicut enim de coniugio spirituali nascuntur filii Dei. Sic Antichristus nascetur de maledicta fœmina simulante se sapere spiritualia, & de maledicto homine, de quorum seminibus permissione mea diabolus formabit opus suum. Sed tempus istius Antichristi non erit sicut frater ille, cuius libros vidisti descripsit. Sed in tempore mihi cognito, quando iniquitas ultra modum abundaverit, & impietas excreverit in immensum. Ideò scito, quòd priùs quàm Antichristus venerit, gentibus aliquibus aperietur porta Fidei. Deinde Christianis diligentibus hæreses, & iniquis conculcantibus Clerum & iustitiam, signum est evidens, quòd citò veniet Antichristus*. Qua de re ita scribit S. Ephrem Syrus in Sermone de Antichristo: *Siquidem Sancti magnique Dei permissu potestatem decipiendi Mundum accipiet Antichristus, quòd impleta iam sit impietas sæculi, hominumque iniquitas multiplicata nimis. Eam ob rem immaculatissimus Dominus spiritu erroris tentari patietur Mundum propter eorum impietatem*. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 14. sic inquit: *Equidem vereor ne præsens rerum status ignis illius in expectatione positi sumus quidam sit, ne hic Antichristus superveniat, ac nostros lapsus, ac morbos in principatus sui occasionem arripiat*. S. Joannes Chrysostomus Hom. 78. in Matth. hæc prodit: *Cùm Antichristus venerit licentius omni turpi voluptate iniqui, & qui salutem suam desperabunt, utentur. Tunc ad explendum furorem mentis multi studebunt. Crapula tunc & temulentia summoperè vigebit, &c*. Ita ipse. Nec opus est in exscribendis pluribus sententijs Patrum tempus absumere, cùm hæc sit firma omnium consensio ad plenissimum impietatum culmen Mundum ascensurum cùm veniet Antichristus. Et quid multis verbis est opus? cùm Christus pravitatem illius temporis prænuntians dicat Matth.24. *Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem*. Scilicet erit multo pejus tempus, quàm illud, quod ita pinxit Catullus:

Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudère manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugère parentes.
Optavit genitor primævi funera nati,

Antichristus, quando, & unde nascetur, secundum revelationem S. Brigittæ.

Mundus corruptissimus erit sub adventum Antichristi.

Liber

Hanc Bellarmini expositionē tradunt Græci Patres & Latini.

larminus, exponunt Græci Patres, & Latini, è quibus duo tantùm à nobis hic afferuntur, Hironymus nempè & Augustinus. Primus qu. 11. ad Algasiam eadem verba Pauli pertractans ita fatur: *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore; hoc est, quæ causa sit, ut Antichristus in præsentiarum non veniat, optimè nostis. Nec vult apertè dicere Romanum Imperium destruendum, quod ipsi qui imperant æternum putant: unde secundum Apocalypsim Joannis in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ Æternæ. Si enim apertè audacterque dixisset, non veniet Antichristus, nisi priùs Romanum deleatur Imperium, justa causa in orientem tunc Ecclesiam persecutionis consurgere videbatur.* Meritò igitur Apostolus ænigmaticè & obscurè locutus est. Neque enim volebat superfluas inimicitias & inutilia pericula suscipere. Si enim dixisset: quoniam adhuc modicum & destruetur jam Romanū Imperium, confestim eum defodissent veluti corruptorem: & credentes omnes tanquam in hoc viventes & decertantes. Et mox exponens illud præexpositum Pauli: *Tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat: & tunc revelabitur ille iniquus*, hæc inquit: *Tantùm ut Romanum Imperium, quod nunc universas gentes tenet, recedat & de medio fiat: & tunc Antichristus veniet fons iniquitatis.* Secundus in 20. lib. de Civitate Dei cap. 19. eundem Apostoli locum edisserens, quamvis prorsùs fateatur se ignorare quid dixerit, tamen ita ait: *Tantùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat. Quidam putant hoc de Imperio dictum fuisse Romano: & propterea Paulum non id apertè scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quòd Romano Imperio malè optaverit, cùm speraretur æternum.* Et post pauca infert: *Illud tamen quod ait Apostolus: Tantùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat, non absurdè de ipso Romano Imperio creditur dictum, tanquam dictum sit: Tantùm qui modò imperat, imperet, donec de medio fiat, id est, tollatur de medio. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem significare Antichristum, nullus ambigit.*

Expositio D. Hieronymi.

Causa quare S. Paulus ænigmaticè & obscurè locutus est de abolitione Romani Imperii.

Expositio D. Augustini.

XXVI.

Roma sub finem Mundi funditùs evertenda, & igni concremanda.

Rectè igitur indicavimus suprà, fore signum non simultaneum, sed prævium, aut proximum adventus Antichristi, omnimodam rei & nominis Romani Imperii demolitionem. In qua plena extinctione & abolitione subintellige Romanæ urbis eversionem: nam cùm extenuaverint Romanum Imperium decem illi Reges in Orbe futuri circiter occasum sæculi, Romam ipsam, quæ fuerat Imperii caput, adorientur, capient & evertent: qua eversa ruet pariter, omninòq; concidet Romanum Imperium. Itaque Roma, & Romanum Imperium evertenda sunt non ab Antichristo, sed ante Antichristum ab illis decem Regibus, qui Romam post eversam igni concremabunt,

quem

quem illa non propter aliud, nisi propter scelera, & impietates, quibus in fine Mundi se commaculabit, iustè merebit.

XXVII. Prophetia S. Ioannis de excidio Romæ paganæ in fine Mundi.

Eiusmodi Romæ Paganæ in fine Mundi excidium prædicit S. Joannes in Apocalypsi cap. 18. ver. 2. sed tacito nomine, immò mutato; vocat enim eam (ut suprà ostẽdimus) Babylonem. Id facit, (ait ibi Cornelius à Lapide) ne Domitianum Imper. & Romanos iam tum adhuc Paganos offendat, eosque contra se ac Christianos magis concitet & inflammet. Porrò prædicit hoc Romæ excidium Ioannes, ad consolationem fidelium & Sãctorum, qui tunc sub Domitiano Romæ & alibi mirè exagitabantur; & paulò pòst sub Trajano & sequentibus Imper. graviùs erant exagitandi, ut scilicet Christiani & Sancti scirent & cogitarent, in suis hisce tàm atrocibus persecutionibus se Deo esse curæ, ac Deum fore ultorem sanguinis sui: quia nimirum Deus in fine Mundi puniet non tantùm præsentia, sed & diu præterita scelera & persecutiones Christianorum factas Romæ, & in Romano Imperio tempore Domitiani & deinceps; eò quòd Romani in fine Mundi futuri priscorum Romanorum infidelitatem, tyrannidem & mores impios laudabunt & imitabuntur: quocirca propter eadem graviùs punientur, quàm punirentur si illa non præcessissent.

Deus puniet priscorum Romanorum peccata in fine Mũdi, quo iure?

Qua de re audi præcitatum Cornelium à Lapide ubi suprà ver. 20. *Quia ergo* (inquit) *Roma olim persecuta est Apostolos, Prophetas (non priscos & Judaicos, sed legis novæ, quales fuerunt Apostoli eorumque posteri) & fideles, rursusque eos cum Pontifice in fine Mundi persequetur; hinc Deus exscindet illam; puniet enim prisca Romanorum peccata, impleta eorum mensura in fine Mundi: unde graviùs punientur Romani tunc futuri, quàm puniti fuissent, si similia priscorum Romanorum peccata non præcessissent. Erunt enim ipsi priscorum posteri (utpote incolæ & cives ejusdem urbis Romæ, quidam etiam à priscis illis prognati, eorumq; nepotes) & asseclæ; quia eorum scelera probabũt, laudabunt, req; ipsa sequentur & imitabuntur. Volent enim æmulari gesta & gloriam Cæsaris, Pompeij, Traiani, Decii, Diocletiani, atq; veteris* Romæ *fumos, & nomina vana Catonum, uti etiamnum aliquos priscis hisce* Romanorum *fumis pasci & gloriari videmus. Quocirca Deus in iis maiorum peccata puniet: quia illis propter approbationem & imitationem, maiorum peccata imputabuntur: graviùs ergo punientur quàm si soli peccassent; quia & graviùs peccabunt, eò quòd illis placebunt scelera maiorum, eaque æmulari volent, ut* Romæ *pristinum sub gentilissimo splendorem, pompam & Imperium restituant: itaque audaciùs & impudentiùs peccabunt, dum facere non timebunt ea, quæ Deo in maioribus suis displicuisse animadvertent. Et quia cum novis, vetera etiam Babylonis peccata luenda erant, Ioannes quasi de re iam diù gesta dixit cap. 16. vers. 19. Et Babylon magna venit in* me-

Sententia hac de re Cornelii à Lapide.

Roma in fine Mundi Christum deseret.

Romani propè finem sæculi imitabuntur gesta & gloriam suorum veterum patrum.

memoriam ante Deum dare illi calicem vini indignationis iræ eius. In memoriam venit : quia iam vetera eius scelera oblivioni data erant, propter Christi fidem, quam amplexa erat: sed postea novis similibusque accedentibus, priora revocantur in Dei memoriam. Hoc est quod ait hic uers. 5. *Quoniam peruenerunt peccata eius usque ad Cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius. Quare sicut Ierusalem impleuit mensuram peccatorum patrum suorum, atque tam pro priscis patrum, quàm pro nouis suis peccatis punita est, cùm eam excidit Titus, uti prædixit Christus Lucæ* 19. *uers.* 42. *Ita fiet & Romæ. Sic Judæi, qui non descendunt ex Cain, quia tamen eius parricidium imitati sunt, occidendo Christum & Apostolos, audierunt à Christo: Et uos implete mensuram patrum uestrorum, &c. ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ.* Hucusque Cornelius à Lapide.

Romæ paganę in fine Mundi excidium prædixère Sibyllæ.

Idem Romanæ urbis excidium, quod S. Joannes toto capite decimo octavo Apocalypsis, quod jam decimo septimo eiusdem cœperat, fusè prophetavit, prænuntiatum iam priùs à Sibyllis fuisse, ex his earum Oraculis patet.

Lib. 2. Sibyllinorum Oraculorum.

Tunc sanè generatio decima post hæc apparebit
Hominum, cum terræ concussor Astrorum Conditor
Idolorum amorem franget, populumque concutiet:
Romæ septem vertices habentis, magnæque diuitiæ peribunt,
Irrigatæ multo igne à flamma Vulcani.

Et rursum:

Lib 8. Sibyllarum Carminum.

Veniet tibi Cælitùs æqualis ò erecta cervice Roma,
Cælestis plaga, & flectes cervicem prima,
Et terræ allideris, & ignis te totam absumet
Inclinatam: novæ terræ, & divitiæ peribunt:
Et in fundamentis tuis lupi, & vulpes habitabunt:
Et tunc eris tota deserta omninò, ac si nunquam fuisses.

XXVIII.

Hæc mirè congruere verbis Evangelistæ Joannis de Roma facilè cognoscitur, cùm inquit cap. 18. Apocalypsis ver. 2. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* Et ver. 8. *Ideò in una die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.* Ecce qualis erit status Romanæ urbis in fine Mundi. Et sic in ea adimplebitur vetus illud adagium: *Ubi uber, ibi tuber: ubi mel, ibi fel: ubi montes, ibi valles: ubi aurum, ibi aurugo & scoria.* Quasi dicat: Ubi libido, ibi lues: ubi voluptas, ibi dolor: ubi fastus, ibi contemptus: ubi avaritia, ibi sordes: ubi saturitas, ibi fames: ubi crapula, ibi mors. Meritò igitur S. Brigitta in suis Revelationibus lib. 4. cap.

57.

57. dicit, quòd Roma debet mundari à zizania, primò acuto ferro, secundò igne, tertiò per juga bovum: *Roma* (ait) *est quasi ager, super quem zizania excrevit. Ideò priùs debet mundari cum acuto ferro. Inde igne purgari. Postea arari cum iugo bovum.* Subdit verò Sibylla:

Sibyllæ Oraculum.

Propè quidem Mundi finis, & extremus dies,
Et probatis inclytis iudicium immortalis Dei:
Sed priùs Romanorum *inevitabilis ira erit,*
Tempus sanguineum, & infelix vita veniet.

Et mox addit:

Alterum Sibyllæ Oraculum.

Tuam primam punitionem Roma, *& fremitum videns,*
Nec ampliùs tibi servili sub iugo cervicem ponet
Non Syrus, non Græcus, non Barbarus, non gens alia.
Subverteris, & fies quæcunque fecisti.
Et cùm fleveris, timebis donec omnia luas:
Et tu triumphus eris Mundo, & opprobrium omnium.

XXIX.

Ex iisdem Lactantius Firmianus lib. 7. Divinarum Institutionum cap. 25. *Cùm caput*, inquit, *illud Orbis occiderit, & pyra esse cœperit, quod Sibyllæ fore ajunt, quis dubitet venisse jam finem rebus humanis Orbique terrarum? Illa est enim Ciuitas, quæ adhuc sustentat omnia: precandusque nobis & adorandus est Deus Cœli, si tamen statuta eius & placita differri possunt, ne citiùs quàm putemus, tyrannus ille abominandus ueniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cujus interitu Mundus ipse lapsurus est.* Itaque finis Orbis non aderit, nisi priùs Roma omninò destructa, & igni concremata. Hinc reiicias veterem illam opinionem Romanorum & aliorum Gentilium existimantium Romanam urbem, ac ejus similiter Imperium æterna fore, cùm utraque ante Antichristum esse prorsùs de Mundo auferenda, satis suprà est demonstratum. Quoniam illic abundè enarravimus Romam circiter extrema Mundi tempora Ethnicam factam, & ad culmen mundanæ potentiæ evectam, Imperiumque Orbis nactam, hostem exitialem Christianæ Ecclesiæ redditam, decem sub suo Imperio potentissimos Reges tunc habituram, nequitia & impietate famosissimos; qui tamen Romanæ urbis dominatus pertæsi, ab ea palam deficient, in eamque coniunctis viribus atque exercitibus insurgent, obsident, vastabunt, incendent, & delebunt: Romanum Imperium inter se divident, ejus nomen, & rem omnem extinguent, cùm nullus eorum ullo pacto sit futurus, aut appellandus Rex, aut Imperator Romanus. His autem, post deletam Romam, & Romanum Imperium de medio sublatum, in Mundo regnantibus, venturum Antichristum. Itaque Romanum Imperium usque ad tempora præfatorum decem Regum est duraturum. Patet id ex cap. 7. Danielis, ac ex Apocalypsis 17. estque com-

Romę interitu, Mundus ipse lapsurus est.

Opinio de æternitate Romæ, ac eius Imperii reiicitur.

Epilogus, seu summa eorum, quæ Author suprà de Roma & Romano Imperio diffusè tractavit.

communis Patrum, teste S.Hieronymo super adductum Danielis locum, traditio, &,ut videtur, Apostolica. Tradit namque S. Paulus (ut suprà ostendimus) in 2. ad Thess.2. ver.3. Antichristum non antea in Mundum esse venturum, nisi venerit discessio primùm: quod Græcè dicitur (ut superiùs audisti) Apostasia, ut omnes gentes quæ Imperio Romano subjacent, recedant ab eo. Priùs igitur erit defectio generalis ab Imperio Romano, & postea illicò apparebit Antichristus, qui interficiet Sanctos, reddita Romanis libertate sub suo tamen nomine. Ita Tertullianus lib.de Resurrect.cap.24. & 25. Lactantius Firmianus lib.7. Divinarum instit. cap.15.& 16. S.Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus Catech.15. S. Hieronymus qu.11. ad Algasiam, S.Augustinus lib.20. de Civitate Dei cap.19. S. Joannes Chrysostomus in 2. ad Thess.2. S.Ambrosius ibidem, Theophylactus, Oecumenius. Qui omnes non tantùm inclinationem Romani Imperij,aut dominij sedisve commutationem,ut hæretici volunt, sed plenam eius desolationem, & contra illud omnium gentium rebellionem, dicunt certò præituram adventum & regnum Antichristi: & hoc est quod ver.seq.ait S.Paulus: *Donec de medio fiat*: id est, omninò auferatur Romanum Imperium. Et tunc quidem revelabitur homo peccati, Antichristus videlicet: qui licèt sit homo;fons tamen erit omnium peccatorum, & filius perditionis. Hic est filius diaboli, quia per omnia adimplebit voluntatem suam,quia plenitudo diabolicæ potestatis, & totius mali ingenij corporaliter habitabit in illo. In quo erunt omnes thesauri malitiæ & iniquitatis absconditi. Itaque non revelabitur Antichristus, nisi primùm venerit discessio: hoc est, (ut habetur in Tractatu de Antichristo, quem aliqui putant esse D. Augustini, nos verò Rabani) nisi discesserint omnia Regna à Romano Imperio, quæ priùs subdita erant. *Hoc autem tempus*(subdit ille Auctor)*nondum aduenit,quia licèt uideamus Romanum Imperium ex maxima parte destructum,tamen quandiù Reges Francorum durauerint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romani Imperij dignitas ex toto non peribit,quia in Regibus suis stabit. Quidam uerò Doctores nostri dicunt, quòd unus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integro tenebit, qui in nouissimo tempore erit, & ipse erit maximus, & omnium Regum ultimus. Qui postquam Regnum suum feliciter gubernauerit, ad ultimum Hierosolymam ueniet, & in monte Oliueti sceptrum & coronam suam deponet. Hic erit finis & consummatio Romanorum, Christianorumque Imperii. Statimque secundum prædictam sententiam Apostoli Pauli, Antichristum dicunt futurum.* Egregiè liberat Fidem suam. In Fragmentis S.Methodij Martyris ejusmodi quidpiam reperitur. Verùm hæc nullo pacto congruere cum his, quæ hactenus de extinctione & interitu

Antichristus secundum Apostoli sententiam non antea in Mundum est venturus, nisi venerit discessio primùm, seu defectio generalis ab Imperio Romano.

Finis & consummatio Romani Imperii secundum Rabanum.

An ista Rabani opinio de fine & consummatione Romani Imperii sit vera.

teritu Romani Imperij ex Scripturæ & Patrum traditione docuimus, facilè quivis intueri valet. Quamprimum igitur penitùs extinctum & abolitum fuerit Romanum Imperium, subitò & improvisè Antichristus veniet, & totum simul humanum genus suo errore decipiet & perdet. Itaque rectè indicat S. Paulus ubi suprà vers. 6. quòd status Romanus est remora, seu causa dilationis adventus Antichristi, dum ait: *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore: nam mysterium iam operatur iniquitatis*: id est, quid sit quod detineat adventum Antichristi, scilicet ut Nero & Romani Imperatores teneant Imperium, donec illud evertatur & è medio tollatur: quia ejus destructio, seu abscissio in decem Reges, seu Regna, dispersa, Antichristum (ut suprà audisti) superinducet. Et tunc (ut diximus) revelabitur ille iniquus. Quandiù enim Romani Imperij robur steterit, non facilè quisquam subiicietur Antichristo. Romano verò Imperio dissoluto, ei ille inducet anarchiam, hoc est, libertatem, vel potiùs turbulentum rerum statum, qui capite & Principe careat, conabiturque cùm hominum, tùm Dei Imperium rapere. Alludit autem Apostolus (ut inquit ibi Cornelius à Lapide) ad Danielis (quasi omnium temporum Chronologi certissimi, notissimi & celeberrimi) caput septimum: ubi Daniel præcipua Mundi Imperia & Monarchias sibi succedentes ordine recenset. Prima fuit Assyriorum & Babyloniorum, quæ Danieli repræsentata fuit per leonem. Secunda Medorum simul & Persarum, significata per ursum. Tertia Macedonum seu Græcorum, significata per pardum. Quarta & ultima Romanorum, significata per bestiam decem cornuum. Post quæ, ut ait Daniel, undecimum parvulum cornu, id est, Antichristus consurget, & crescet, facietque bellum adversus Sanctos, & prævalebit, donec veniat antiquus dierum, ut Judicium & Regnum tradat Sanctis suis: *Et sermones* (inquit Daniel) *contra Excelsum loquetur* (nempe Antichristus) *& Sanctos Altissimi conteret, & putabit quòd possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem. Regnum autem, & potestas, & magnitudo Regni, quæ est subter omne Cælum, detur populo Sanctorum Altissimi: cuius Regnum, Regnum sempiternum est, & omnes Reges servient ei & obedient.*

Quatuor præcipua Orbis Imperia seu Monarchiæ, significata per bestias.

Caput septimũ Danielis explicatum.

XXX. Daniel ergo docet primò regnasse Assyrios seu Babylonios; hos deinde subactos esse à Medis simul & Persis, ac Persas à Macedonibus seu Græcis, & Græcos à Romanis, Romanis successuros decem Reges, post quos consurrecturum Antichristum, qui non à patribus accipiet Regnum, sed arte magica Principatum usurpabit. Decem igitur Regibus, seu Regnis successurum est undecimum Antichristi

Omnia Imperia debent tandem cedere Christi Regno.

Regnum ad breve tempus, quod à Christi Judicis & Sanctorum glorioso & æterno Regno subvertetur. Ad locum itaque Danielis suprà jam explicatum alludit ibi S. Paulus, quasi dicat: Omnes alij Monarchæ & tyranni, putà Babylonij, Persæ, Græci iam transierunt: supersunt Nero, & Romani, qui tenent nunc Imperium, donec illud auferatur, & tunc veniet Antichristus; & mox Christus Judex, qui Antichristum interficiet Spiritu oris sui, suumque cum Sanctis Regnum æternum inducet & stabiliet. Ita S. Joan. Chrysostomus, Theophylactus, & alii. Simili modo arcano & Prophetico hæc eadem describit S. Joannes in Apocal. 17. ver. 10. *Reges*, inquit, *septem sunt. Quinque ceciderunt; unus est, & alius nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere*. Ubi, ut docent S. Ambrosius, Beda, Richardus, Ribera, & alij, per septem Reges significat conjurationem tyrannorum, qui septem Mundi ætatibus Ecclesiam persecuti sunt, persequuntur, & persequentur. Unde ait quinque transisse, sextum adhuc esse, septimum regnaturum ad modicum tempus. Primus ergo Rex fuit Cain cum gigantibus, alijsque tyrannis, qui prima Mundi ætate, id est, ab Adam usque ad diluvium, pios & Ecclesiam persecuti sunt. Secundus Rex fuit Nemrod & Meropes illi architecti turris Babel, qui à Noe usque ad Abraham (hæc enim est secunda Mundi ætas) fideles vexarunt. Tertius Rex, qui tertia Mundi ætate, quæ ab Abraham ad David excurrit, pios oppressit, fuit Pharao, & similes in Ægypto & Sodomis. Quartus fuit Jeroboam, aliique impij Reges Israel & Juda, qui quarta Mundi ætate, à David scilicet usque ad captivitatem Babylonicam vitulos aureos & idola invexerunt. Quintus fuit Nabuchodonosor cum Antiocho Epiphane, alijsque usque ad Christum: hæc enim est quinta Mundi ætas. Sextus fuit Nero, alijque Imperatores Romani, qui sunt, fuerunt, vel erunt à Christo usque ad Antichristum. Septimus erit Antichristus, qui modicum, scilicet tres annos cum dimidio, regnabit, & à Christo Judice profligabitur, ut infrà in nono ac ultimo Tractatu fusiùs latiùsque dicetur.

Locus Apocalypsis 17. illustratus.

Septem Reges septem significant tyrannos, qui septem Mundi ætatibus Ecclesiam persecuti sunt.

XXXI.

Quartum signũ erit discessio quorundam Christianorum à Fide Catholica.

Quartum signum erit discessio seu recessus quorundam Christianorum à Fide Catholica. Nam defectio illa generalis quamvis fiet ab Ecclesia Romana simul & Imperio, præcipuè tamen futura est à vera & Catholica Fide, quæ similiter illo tempore erit. Dico quorundam Christianorum, non quòd omnes à Fide recedent, sed multi. Ait enim Salvator noster Matth. 24. quòd tunc abundabit iniquitas, & refrigescet multorum charitas: sicque Fides vera in multis deficiet. Propter quod Apostolus inquit primæ Tim. 4. *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis diebus discedent quidam à Fide*. Et S. Petrus in secunda Epistola: *Venient in novissimis diebus illusores juxta proprios*

prias concupiſcentias ambulantes, & dicentes, Vbi eſt promiſſio aut adventus eius? Ita enim (ut aſſerit Lactantius Firmianus lib. 7. Divinarum inſt. cap. 15.) juſtitia rareſcet, ita impietas, & avaritia, & cupiditas, & libido crebreſcent, ut ſi qui tùm fortè fuerint boni, prædæ ſint ſceleratis, & divexentur undiq; ab injuſtis. Confundetur omne jus, & leges interibunt. Nihil quiſquam tunc habebit, niſi aut quæſitum, aut defenſum manu. Audacia, & vis omnia poſſidebunt. Non Fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit: atque ita neque ſecuritas, neque regimen, neque requies à malis ulla; omnis enim terra tumultuabitur: frement ubique bella. Omnes gentes in armis erunt, & ſe invicem oppugnabunt. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus Catech. 15. *Fraternum* (inquit) *odium deinceps locum dabit Antichriſto. Præparat diabolus ſchiſmata populorum, ut tanto facilius hoſtis recipiatur.* Et poſt multa addit: *Terrent me bella gentium. Terrent me ſchiſmata Eccleſiarum, terret me odium fraternum.* Nimirum, quòd viam ſternant Antichriſto. Quid narro quæ fient ab hominibus, cùm ipſa etiam elementa ordinem ſuum ſint negatura, ut aſſerit S. Hippolytus Martyr in Oratione de cōſummatione Mundi, ubi mores illius temporis deſcribens, ita inquit: *Hæc prænarravimus ut intelligatis cruciatum, & perturbationem extremis futuram temporibus, omniumque hominum inter ſe vivendi conſuetudinem, invidiam, odium, contentionem, paſtorum in ovibus negligentiam, populi erga Sacerdotes animum immorigerum, ita omnes ſuo arbitratu vivent. Filii manus iniicient in parentes, uxor virum ſuum tradet in mortem: vir uxorem ſuam ut ream tradet in iudicium. Domini in ſervos ſuos erunt inhumani: ſerui in dominos animum gerent inobedientem: ſenis canitiem nemo reuerebitur: juuenilis formæ nemo miſerebitur. Templa Diuina domorum inſtar erunt: locis omnibus euerſiones fient Eccleſiarum: Scripturæ contemnentur: hoſtes illius Cantica ubique decantabunt. Poſt hæc ſtupra, adulteria, periuria, incantationes, diuinationes magno impetu, ſtudioque ſequentur. In ſumma ex his qui Chriſtiani uidentur, tunc exurgent falſi prophetæ, falſique apoſtoli, homines impoſtores, corruptores, malefici, mentientes alius in alium, adulteri, ſtupratores, rapaces, auari, periuri, detractores. Paſtores fient quaſi lupi: Monachi expetent quæ ſunt Mundi, diuites animum expertem miſericordiæ induent, pauperi non ſuccurrent. Principes potentes miſerationem abiicient. Judices iuſtum auferent ex juſto, muneribuſque obcæcati iniuſtitiam probabunt. Quid narro quę fient ab hominibus, cùm ipſa etiam elementa ordinem ſuum ſint negatura.* Hucuſque S. Hippolytus. Itaque Antichriſtus veniet in tempore ſchiſmatis & diſcordiæ: & meritò, quia Salvator noſter venit tempore pacis: quia ipſe

Elementa, antequam appareat Antichriſtus, ordinem ſuũ ſunt negatura.

Sentantia S. Hippolyti Martyris deſcribentis, homines prope, ſeu juxta Antichriſti adventum fore in ſtatu omnium corruptiſſimo, ac moribus depravatiſſimo.

Antichriſtus veniet in tempore ſchiſmatis & diſcordiæ.

ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, nos Deo reconciliando, ut patet Luc. 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*. Ita Antichristus, qui erit contra Christum, in tempore schismatis & discordiæ veniet; quando scilicet nemo obediẽs erit Romano Imperio, & plurimi recesserint ab Ecclesia & Fide Catholica. Unde S. Paulus in 2. ad Thess. Epist. c. 2. hortatur fideles per id quod ait: *Tantùm ut qui tenet nunc, teneat; donec de medio fiat*: id est, secundum aliquos, ut infrà in 2. Tract. patebit, tantùm est, ut qui tenet nunc Fidem Christianę religionis, teneat illam: id est, tenaciter perseveret in ea; donec de medio fiat; id est, donec de medio Ecclesiæ exeat mysterium iniquitatis: quod tunc erit, cùm ab Ecclesia exeuntes, ad Antichristum confugerint. Vel, ut D. Anselmus interpretatur, Romanus Pontifex, qui tenet nunc Ecclesias, teneat illas; donec de medio fiat; id est, donec ab ipsa Romana Ecclesia, quæ est medium & cor Ecclesiarum, fiat iniquitas: ob quam ab ea multæ discedant Ecclesiæ.

XXXII. Quintum & ultimum signũ.

Quintum & ultimum signum, quod præcedet adventum Antichristi, erit, quando iniquitas ultra modum abundaverit, & impietas excreverit in immensum. Tunc enim ille veniet, de quo Daniel cap. 8. *Cùm creverint (inquit) iniquitates, consurget Rex impudens facie*. Gloss. omnium iniquitatum plenus. Erit enim superbissimus, blasphemus, Dei & Sanctorum contemptor & irrisor, tyrannus homicida, sacrilegus, sævissimus Ecclesiæ persecutor, bonorum osor, impiorum fautor, alienorum bonorum appetitor & direptor, insidiosus & fraudulentus, ut serpens. Et dignum est, ut iniquus Princeps veniens primò in Mundum, ibidem inveniet iniquitatem, & non unam, sed plures. Unde Ose. 4. dicitur, quòd tempore Antichristi plusquam priùs, homicidium, mendacium, adulterium, furtum, inundabunt in terra, & sanguis sanguinem tanget: id est, unum peccatum aliud impellet, & unum aliud explebit. Et tunc veniet Antichristus iniquus Rex super malos subditos, quia secundum D. Gregor. Secundum merita subditorum tribuuntur à Deo personæ regentium. Et pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, & sæpè ex plebium merito mutatur vita Pastorum. Unde etiam de hoc dicitur in Deut. *Prælatus malus quandoque datur propter peccata populi*, b. q. 1. ex merito. Idcircò de tempore illo dicit Dominus, ut suprà ostensum est, *Abundabit iniquitas, & refrigescet multorum charitas*. Et hoc erit in fine ætatis hujus, hoc est, in sexta hac, & ultima ætate, in qua modò sumus, quæ duratura est usque ad finem sæculi, & circa finem nascetur Antichristus, & post illum Christus veniet iudicaturus Orbem, ut secundum uniuscujusque merita, vel demerita, præmia, vel pœnas decernat; hanc verò ultimam ætatem no-

Antichristus futurus est omnium iniquitatum plenus.

Antichristus veniet tempore abundantię peccatorum.

Matth. 24.

noviſſimam horam vocat S. Joannes in prima ſua Canonica cap.2. *Pueri*,inquit, *noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quòd Antichriſtus ſit venturus; nunc autem Antichriſti multi facti ſunt. Vnde cognoſcimus, quòd noviſſima ſit hora*. Argumentatur autem S. Joannes,quòd citò ſit venturus Antichriſtus ex abundantia malitiæ & nequitiæ, quæ crevit in Mundo;& idem ſignum affer tur à S.Brigitta lib.6.Revelationum cap. 67. ubi Chriſtus Dominus ita eam alloquitur: *In fine verò ætatis huius naſcetur Antichriſtus. Sicut enim de coniugio ſpirituali naſcuntur filii Dei.Sic Antichriſtus naſcetur de maledicta fœmina ſimulante ſe ſapere ſpiritualia, & de maledicto homine, de quorum ſeminibus permiſſione mea diabolus formabit opus ſuum. Sed tempus iſtius Antichriſti non erit ſicut frater ille,cuius libros vidiſti deſcripſit. Sed in tempore mihi cognito, quando iniquitas ultra modum abundaverit, & impietas excreverit in immenſum. Ideò ſcito, quòd priùs quàm Antichriſtus venerit, gentibus aliquibus aperietur porta Fidei. Deindè Chriſtianis diligentibus hæreſes, & iniquis conculcantibus Clerum & iuſtitiam, ſignum eſt evidens, quòd citò veniet Antichriſtus*. Qua de re ita ſcribit S. Ephrem Syrus in Sermone de Antichriſto:*Siquidem Sancti magnique Dei permiſſu poteſtatem decipiendi Mundum accipiet Antichriſtus,quòd impleta iam ſit impietas ſæculi,hominumque iniquitas multiplicata nimis. Eam ob rem immaculatiſſimus Dominus ſpiritu erroris tentari patietur Mundum propter eorum impietatem*.S.Gregorius Nazianzenus Orat. 14. ſic inquit: *Equidem vereor ne præſens rerum ſtatus ignis illius in expectatione poſiti ſumus quidam ſit, ne hic Antichriſtus ſuperveniat, ac noſtros lapſus, ac morbos in principatus ſui occaſionem arripiat*. S.Joannes Chryſoſtomus Hom. 78. in Matth.hæc prodit: *Cùm Antichriſtus venerit licentius omni turpi voluptate iniqui,& qui ſalutem ſuam deſperabunt, utentur. Tunc ad explendum furorem mentis multi ſtudebunt. Crapula tunc & temulentia ſummoperè vigebit, &c*.Ita ipſe.Nec opus eſt in exſcribendis pluribus ſententijs Patrum tempus abſumere, cùm hæc ſit firma omnium conſenſio ad pleniſſimum impietatum culmen Mundum aſcenſurum cùm veniet Antichriſtus. Et quid multis verbis eſt opus? cùm Chriſtus pravitatem illius temporis prænuntians dicat Matth.24.*Et tunc ſcandalizabuntur multi,& invicem tradent, & odio habebunt invicem*. Scilicet erit multo pejus tempus, quàm illud, quod ita pinxit Catullus:

Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Iuſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudère manus fraterno ſanguine fratres,
Deſtitit extinctos natus lugère parentes.
Optavit genitor primævi funera nati,

Antichriſtus, quando, & unde naſcetur, ſecundum revelationem S.Brigittæ.

Mundus corruptiſſimus erit ſub adventum Antichriſti.

Liber

Liber ut innuptæ potiretur flore novercæ:
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non uerita est Diuos scelerare Penates:
Omnia fanda, nefanda malo permista pudori.

XXXIII. Causa ob quam cessabunt sub Antichristo ab Ecclesia miracula & virtutes.

S.Isidorus lib. 1. de Summo bono cap.27. miranda hæc tradit. *Antequam Antichristus appareat, uirtutes ab Ecclesia & signa cessabunt, quatenus eam quasi abiectiorem persequatur audacius: ob hanc enim utilitatem cessabunt sub Antichristo ab Ecclesia miracula & uirtutes, ut per hoc Sanctorum clareat patientia, & reproborum, qui scandalizabuntur, leuitas ostendatur, & persequentium audacia fortior ac ferocior efficiatur.* Ita S.Isidorus.



TRACTATUS
SECUNDUS
De conceptione, ortu & infantia Antichristi.

I. Antichristus in Babylone nasciturus ex Iudæis de tribu Dan.



Empore igitur, quo in Mundum venturus est Antichristus, ostenso, ac signis, quæ ejus adventum præcedent, etiam ostensis; modò superest ostendendus illius ortus & locus. Quæritur enim ubi, & ex qua gente ac tribu Antichristus nascetur? Respondetur, eum in Babylone, urbe in Assyria seu Chaldæa, ad Euphratem à Nembroth Gigante priùs parva condita, postea inundationibus Euphratis penè diruta & vastata, à Semiramide reædificata atq; amplissima facta, esse nasciturũ è gente Hebræorum, & venturũ de tribu Dan, quam veluti à Deo maledictam, præterit S. Joannes in Apocal. cap.7. cùm duodecim millia signatos, ex omni tribu Deum laudantes, enumerat: sive id fecisse Evangelistam dicunt Patres infra ostendendi in odium ac detestationem Antichristi, quem ex tribu Dan futurum esse cognoverant. Nam etiamsi, nec tri-

Quam ob causam S. Ioannes Apocal. 7. in enumeratione tribuum Israel omiserit tribum Dan.

tribum Ephraim eo loci numeraverit, tamen pro ea posuit tribum Joseph: siquidem postea in locum unius tribus Joseph, duæ tribus ex duobus filijs ejus, Manasse & Ephraim, suffectæ sunt. Totum id accepi ex antiquissima traditione, quæ traditur in primis ab Irenæo, Hippolyto, Cyrillo, Hieronymo super cap. 11. Danielis, Augustino in libro quæstionum in Josue, quæstione vigesima secunda, Prospero in libro de promissionibus & prædictionibus Dei, Gregorio in libro trigesimo primo Moralium, capite decimo, Ambrosio & Rufino in libris, quos scripserunt de benedictionibus Patriarcharum. Deinde ex Theodoreto quæst. 109. in Genesim, Aretha in Apocalypsim cap. 7. Beda super cap. 49. Geneseos, & Ruperto in libro nono cap. 2. de Trinitate & ejus operibus. Qui omnes pro certo tradunt, Antichristum esse in lucem edendum in Babylone ex populo Judęorum, & fore ex tribu Dan ostendunt ex verbis illis Hieremiæ, quæ sunt in capite octavo: *Ex Dan auditus est fremitus equorum ejus, & à voce pugnatorū ejus, cōmovebitur omnis terra.* Atque docent ex eo vaticinio, quod Jacob in capite quadragesimo nono libri Geneseos edidit de tribu Dan, quod sic habet: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro.* Quæ verba licèt aliqui dicant esse impleta in Sampsone, tamen de Antichristo exponunt prædicti Auctores, sed præcipuè D. Gregorius, qui supra dicto loco illa luculenter tractans: Hoc, inquit, vaticinium, præcipuè pertinet ad Antichristum: qui futurus creditur ex tribu Dan. In cujus rei figuram, in libro Numerorum capite secundo scriptum est, tribum Dan posuisse castra ad Aquilonem: videlicet, Babylon Antichristi patria, comparatione Judææ, Aquilonaris est. Appellatur autem Antichristus in hoc vaticinio Iacob, coluber in via, & cerastes in semita: quia dupliciter perdet homines: nam mundanæ felicitatis amatores, latamque hujus Mundi viam ingredientes, mordebit; id est, decipiet, atque corrumpet lenocinijs & blanditijs suæ prędicationis, & amplissimis promissis terrenorum bonorum. At verò, qui angustam terunt semitam virtutis & perfectionis; eos ille adorietur tanquam cerastes; qui serpens geminum capite prætendit cornu. Solet autem Scriptura vocabulo *cornu* denotare fortitudinem & potentiam. Duplici verò potentia ad subjugandos sibi homines, utetur Antichristus: nam vel fucatis blanditijs, & speciosis promissis alliciet : vel terrificis minis ad se pertrahet. *Mordebit ungulas equi.* Equus animal ambitiosi fastus & superbiæ, designat hunc Mūdum: equi ungula, quæ extremum ejus corporis est, significat Antichristum, novissima Mundi ætate venturum. *Ascensor ejus*, indicat potestates & Principes hujus Mundi, qui ei quodammodo insident & præsident; quique omnes suas cogitationes, cupiditates, curas, &

Locus ex capite 49. Geneseos, luculenter tractatus à D. Gregorio.

Cur Antichristus dicatur coluber, & cerastes.

ſpes in hujus Mundi bonis locatas & fixas habent. Hos igitur Mundi præſides & amatores, maximè decipiet & deiiciet Antichriſtus. *Ut cadat retro.* Hoc indicat, qualis futurus ſit exitus reproborum. Cadunt boni, & cadunt mali: ſed longè diſſimilis eſt utrorumque caſus. Cadunt quidem boni, ſed in faciem ſuam: nam etſi peccant nonnumquam boni, ſua tamen peccata agnoſcunt, & dignis pœnitentiæ lamentis eluunt. Audi Davidem: *quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacbrymis meis ſtratum meum rigabo.* Cadunt etiam mali, ſed retro; non enim vident quantum peccent: nam ut ait Salomon: *Impii ambulant in tenebris, & neſciunt ubi corruant*: neque enim conſiderant, quantum malum ſit in peccato; nec quantum ſupplicii cuilibet peccato mortali, ſit in inferno comparatum. Ita D. Gregorius, à quo vix diſcedit Rabanus in Tractatu de Antichriſto, quem aliqui tribuunt D. Auguſtino: nam ille ibi ſic ait: *Sed jam de exordio Antichriſti videamus. Non autem quod dico, ex proprio ſenſu fingo vel excogito, in libris diligenter relegendo, hæc omnia ſcripta invenio. Sicut ergo Authores noſtri dicunt, Antichriſtus ex populo Judæorum naſcetur de tribu Dan, ſecundum Prophetam dicentem, Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita. Sicut enim ſerpens in via ſedebit, & in ſemita erit: ut eos qui per ſemitam juſtitiæ ambulant, feriat, & veneno ſuæ malitiæ occidat.* Unde in ejus execrationem meritò ab Evangeliſta Joanne loco ſuprà indicato in enumeratione tribuum Iſrael fuit omiſſa tribus Dan, quòd ex ea, homo ille nefandus ſit oriturus, prout ſuprà oſtendimus, & oſtendunt etiam præadducti Patres expreſſis ſententiis, nihil hæſitantes, aut ſub dubio tradentes, ſed clarè diſertèque unanimi conſenſu affirmantes Antichriſtum naſciturum (ut ſuprà audiſti) ex tribu Dan; quæ tribus propter hoc non numeratur in Apocalypſi cum illis quæ ſalvantur. Sed audi hac de re in primis Venerabilem Bedam, qui in 7. Apocal. elucidans cur à Joanne in ſerie illa tribuum Iſrael ipſa tribus Judæ primo loco ponatur, & tribus Dan ſilentio penitùs obruatur: *Hæc*, inquit, *convenienter & à Juda incboat, ex qua tribu ortus eſt Dominus noſter: & Dan prætermiſit, ex quo dicitur Antichriſtus eſſe naſciturus, ſicut ſcriptum eſt: Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c.* Deinde Aretham, qui in eundem locum Apocalypſis ſic ait. *Notandum verò eſt, quòd tribus Dan ob id quòd ex ea naſciturus ſit Antichriſtus, cum cæteris non recenſeatur, ſed loco ejus tribus Levi ponatur.* Et poſtea addit: *Verùm Dan cognominationem quamvis & ipſe Princeps tribus fuerit, cæteris non copulavit, ob id videlicet quòd initio dictum eſt, quòd ex ipſius tribu dubio procul naſciturus ſit Antichriſtus.* Eadem diſertè docent D. Anſelmus, Haimo,

Diſſimilis caſus bonorum, atque malorum.

Locus ex cap. 7. Apocalypſis, ubi in enumeratione tribuum Iſrael, tacetur ſola tribus Dan, unde naſciturus eſt Antichriſtus.

mo, Strabus, S. Rupertus, Richardus, D. Thomas, Nicolaus de Lyra, S. Antoninus, & alii, quorum sententiam refert & sequitur Cornelius à Lapide super 2. ad Thess. Epistolam cap. 2. nam ibi quærens, Quis & qualis erit Antichristus? Respondet, Omnes docent fore Judæum, multique addunt fore ex tribu Dan; id que probant ex Genes. 49. v. 16. ubi dicitur, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Quod licèt ad literam de Sampsone instar colubri astutè & fortiter Philistinos impugnante intelligatur, mysticè tamen de Antichristo accipi potest: ideòque, inquiunt, Apocal. 7. inter duodecim tribus, in quarum qualibet duodecim millia signati numerantur; omittitur tribus Dan, eò quòd ex ea orietur Antichristus. Vnde omnes Danitæ Antichristum ut contribulem sequentur, nemoque ex eis salvabitur. Hæc à Lapide.

Quis & qualis sit futurus Antichristus.

Antichristus erit Judæus ex tribu Dan.

II.

Sicut autem Antichristus in omnibus (ut in initio præcedentis Tractatus ostensum est) adversabitur Christo, testante idipsum nominis utriusque appellatione: nam dicitur ab anti quod est Græcè contra, & Christus quasi contra Christum; ita ex his quoque partibus contrarius erit. Primò, quoniam quemadmodum Christus de tribu Juda à Deo electa natus est, ita vicissim Antichristus de tribu Dan à Deo maledicta nascetur. Vnde Otho Frisingensis Episcopus lib. 8. Chron. c. 1. *Porrò*, inquit, *Antichristus de tribu Dã, servili scilicet conditione, ex illa quæ dicitur auctoritate, Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, nasciturus creditur.* Secundò sicut Christus nasci voluit, cùm universus Orbis summa rerum tranquillitate & pace Romano pareret Imperio, descripto etiam tunc (ut suprà audisti) toto Orbe sub Augusto, ita alternatim veniet Antichristus, quando exitialium bellorum incendiis, totus deflagrabit Orbis, prout suprà ostensum est. Tertiò sicut Dominus ac Redemptor noster Bethleem parvam civitatem sibi prævidit, ut ibi pro nobis humanitatem assumeret & nasci dignaretur, sicut prædixit Propheta, *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Sic diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur, locum novit aptum, unde radix omnium malorum oriri debeat, scilicet civitatem Babylonem, ad Euphratem fluvium sitam. In hac enim Civitate, quæ quondam erat inclyta & gloriosa Urbs Gentilium, & totius Chaldææ caput, à quo magna Mesopotamiæ Assyriæque pars Babylonia (ut scribit Plinius lib. 6. nat. Historiæ cap. 26.) appellata est, Antichristus nascetur, qui Jesu Christo (ut sæpè suprà audisti) ex diametro contrarius in rebus omnibus omninò erit. Christus enim (ut tradit Pererius in Commentariis in Danielem lib. 14.) plenus Spiritu Sancto, ejus ductu ad omnia facta, dicta, & cogitata movebatur ac dirigebatur; itaque nihil

Antichristus unde dicatur.

Bethleem patria Christi.

Babylon patria Antichristi.

Auctor persequitur cœptã Christi & Antichristi, in rebus omninò contrariis, comparationem.

ab eo proficiſcebatur niſi Sanctum, Deoque gratiſſimum: Antichriſtus, totus à dæmone obſeſſus atque poſſeſſus, quanquam non ob id uſu liberi arbitrij privatus, eius incitatu, ad omnia flagitia impelletur; adeò ut nihil, quod vel moraliter bonum ſit, acturum eſſe eum, non temerè liceat exiſtimare. Jam verò, vita, moribus, & converſatione, Chriſto erit maximè contrarius. Chriſtus, fuit humilis, uſque ad formam ſervi, ſeipſum abiiciens: Antichriſtus ſuperbiſſimus erit, uſque ad uſurpationem Divini nominis & honoris, ſeipſum extollens. Chriſtus, placidus & mitis, velut agnus & columba: Antichriſtus ut leo, & ſerpens, atque draco, ferox & truculentus; horum enim animalium ſæviſſimorum nominibus, ſceleſtus ille in Divinis literis inſignitus eſt. Chriſtus mirè pius & religioſus erga Deum, ejuſque voluntati per omnia obſequentiſſimus: Antichriſtus contumelioſus in Deum & blaſphemus erit; quam ob cauſam, in Apocalypſi dicitur eſſe plenus nominibus blaſphemiæ. Chriſtus, integerrimus ac ſimpliciſſ. ſine fuco & dolo, veraciſſimus ac fideliſſimus: Antichriſtus, fraudulentiſſimus, callidiſſimuſque ſimulator & hypocrita, mendax pariter atque fallax. Chriſtus gaudebit & ſociabitur humilibus & ſimplicibus, & timentibus Deum: Antichriſtus verſabitur cum iis, qui improbitate & impietate præter cæteros inſignes erunt, cum magis, incantatoribus, quique maleficis & abominatis artibus ſtudebunt. Sanè, quales futuri ſint Antichriſti ſectatores, amici & miniſtri, mirabiliter expreſſit S. Joannes in Apocalypſi cap. 9. ad ſimilitudinem locuſtarum, propriis eos coloribus depingens, ſi quis proprietates earum locuſtarum allegoricè intelligens, ad ſectatores Antichriſti ſcienter accommodet. Agè verò, quàm diverſum erit Chriſti & Antichriſti propoſitum, quàm diverſus, immò adverſus utriuſque finis? Chriſti finis fuit, docere homines veritatem; in hoc, dixit ipſe apud S. Joannem, *Ego natus ſum, & veni in Mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*. Venit ille, ut omne genus hominum, peccati & mortis neceſſitate conſtrictum, exolveret atque liberaret; ut Deum verum, pauciſſimis mortalium cognitum, per univerſum Orbem manifeſtaret; & ad eum ritè colendum, omnes adduceret: denique venit, ut imperium diaboli, quo cunctos mortales tenebat oppreſſos, penitùs everteret. Finis Antichriſti erit, planè contraria docere & facere: ſed in primis, ſuadere hominibus, Dominum Jeſum non fuiſſe verum Meſſiam, nec Dei Filium; nec legem ejus eſſe bonam & utilem hominibus; ſe autem eſſe Deum, promiſſumque Judæis Meſſiam. Chriſtus contempſit, & contemnere docuit, omnes Mundi hujus divitias, delitias, honores, atque dignitates: quin, cùm Regem ipſum facere vellent Judæi, fugit, teſtatuſque Pilato eſt, Regnum ſuum non eſſe de hoc Mundo. Contrà, ſuper omnes homines, Antichri-

Sectatores Antichriſti quàm bellè præſignentur in Apocalypſi.

christus erit ambitiosissimus, cupidissimusque laudis, gloriæ & Imperij: quas res per summam vim acquirere conabitur, atrocissima gerens bella, plurimum fundens humanum sanguinem, maximasque bonorum, qui ei parere recusabunt, faciens strages. Christus caput fuit omnium bonorum:at Antichristus caput erit malorum. Verùm, non omninò simili ratione:illud simile in utroque;quòd sicut omniū bonorum & Sanctorum hominum,Christus fuit optimus & Sanctissimus, ideòque meritò caput & perfectum exemplar omnium virtutum omnisq; Sanctitatis censetur:sic Antichristus, quia omnes improbos, qui post Orbem conditum fuerunt, suntque, & usque ad extremum Mundi erunt, nequitia, impietate, crudelitate,omnique genere improbitatis longè superabit; propterea rectè ponitur malorum caput & exemplum. Verùm, illud dissimile est; quòd Christus verissimè caput est bonorum: nam quemadmodum ex capite, motus & sensus defluit, & per omne corpus dispensatur:sic ex Christo, quidquid boni est in Sanctis viris,profluit:ipse enim omnis gratiæ, omniumque bonorum, ad æternam vitam pertinentium, causa fuit, non tantùm exemplaris, sed meritoria & efficiens. Hoc autem dici non potest de Antichristo:neque enim ipse eorum hominum,qui ante ipsum fuerint, nequitiæ & improbitatis causa esse poterit.Hucusque ex Pererio.

Quomodo Antichristus, caput sit malorum.

III.

Sunt qui existiment, Antichristum nasciturum in urbe Dan,quæ postea dicta est Cæsarea Philippi. Sequuntur hanc opinionem Ribera & Melo in cap.7. Apocalypsis, permoti illo præadducto Hieremiæ vaticinio, *A Dan auditus est fremitus equorum ejus,& c.* Sed id S.Irenæus lib.5. adversus hæreses cap. 30. & alij Patres & Doctores suprà relati exponentes, asserunt Hieremiam manifestasse non urbem illam Dan extremum limitem terræ Sanctæ,sed tribum ex qua Antichristus veniet. Quocirca sequi debet præadducta opinio, tanquam certa & communissima sententia, quæ (ut suprà audisti) docet Antichristum ex vilibus Judæis de genere Dan filij Jacob ex ancilla Rachel,oriturum in Babylone.Unde habetur in Apocalypsi cap.13. *Vidi de mari bestiam ascendentem*; id est, de Babylone, quæ jacet secus mare. Gloss.id est, de vili genere: nam de humillimo loco prodibit, & modicam originem habebit. Inde enim à Daniele cap. 7. vocatur cornu parvulum, quod sensim crescet, quodque non hæreditate, sed fraude Regnum obtinebit:& magnam exercebit crudelitatem, cùm ad summam pervenerit potentiam.Cùm enim aliquis infimo loco natus sublimatur,crudelior omnibus benè natis efficitur. Hinc Poeta: *Asperius nihil est vili, dum surgit in altum. Quia non curat, si quo modo perdat honorem,* quem priùs non habuit, & nunc indignus possidet.

Opinio nonnullorum existimantium, Antichristum nasciturum in urbe illa Dan extremo limite terræ Sanctæ.

Certa, & communissima sententia de patria Antichristi.

Antichristus humili loco, & ex vilibus Iudæis nascetur.

Causam

IV.

Causa & ratio cur *Deus* in Babylone potiùs, quàm alibi Antichristum nasci voluerit.

Causam verò (ut inquit Malvenda lib.2.cap.15.) rationemque cur Deus Babylone potiùs quàm alibi gentium Antichristum nasci voluerit, ipsemet in altissimo arcano pectoris sui retonditam conservat; nec ulli mortalium, quod sciri possit, hactenus patefecit: erudita tamen ac pia aliquorum Orthodoxorum meditatio quoad humani ingenij viribus valuit, quatuor congruas rationes ejusce modi Divini decreti pervestigatas depromit. Prima est, quia sicut sævus ille Tyrannus ac dirus hominum oppressor Nembroth, qui turrim Babel condidit, Deo bellum apertum indixit; ita quoque consentaneum erit ut ab eadem Babylone nascatur ultimus atque omnium truculentissimus Ecclesiæ persecutor Antichristus. Secunda est, quia Nabuchodonosor & Antiochus Epiphanes, qui insigniter præfigurarunt Antichristum, in Babylone regnaverunt; ita consentaneum erit ut Antichristus ex eadem urbe exoriatur: nam quemadmodum illi, maximis calamitatibus afflixerunt & contriverunt populum Hebræum: ita populum Christianum vexabit & pessumdabit Antichristus. Tertia est, quia Babylon civitas est diaboli è diametro semper contraria Hierosolymæ; ergo congruum est, fore Babylonem patriam Antichristi, qui totus erit diaboli, & Civitatis Dei acerrimus hostis.

Quatuor rationes assignantur.

Nabuchodonosor & Antiochus Epiphanes, Antichristi imagines fuerūt

V.

Antichristus à qua matre nascetur.

Sed antequam ad quartam transeam rationem, priùs ostendam matrem Antichristi: nam quæritur à qua matre nascetur? Respondetur, quòd nascetur ex quadam impurissima & turpissima muliere, quę illum non ex justo & legitimo matrimonio, sed ex damnato coitu est in lucem editura. Itaque ex hac adultera muliere per summum libidinis flagitium Antichristus prodibit super terram. Hinc D. Augustinus in lib. de generali Iudicio ad Sil. *Priusquam*, inquit, *veniat Dōs Mundum judicare per ignem, ex fornicatione nascetur ille filius perditionis in Babylonia*. S. Ephrem Syrus serm. de Antichristo: *Nascetur*, ait, *ex spurcissima & falacifs. muliere*: & hanc futuram Judæam docent D. Hieronymus in Commēt. in Danielem cap. 11. & Theodoretus ibidem cap.7. ad illa verba *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum*. Idem habet S. Ambrosius in 2. ad Thess. Epist. cap. 2. Favet etiam D. Cyrillus Catechesi 15. ubi affirmat Antichristum valdè futurum esse studiosum Templi Hierosolymitani, ut se de progenie David esse ostendat. Postremò tantam etiam matris Antichristi impuritatem ac malitiam futuram esse tradit Rabanus ubi suprà, ut eam totam diabolus malitia sua repleturus sit, sicuti Spiritus Sanctus Matrem Domini Divinitate replevit. Scribit autem Rabanus in hunc modum: *Nascetur autem Antichristus ex copulatione patris & matris sicut alij homines, non, ut aliqui dicunt, ex sola virgine, sed tamen totus in peccato concipietur, in pec-*

Antichristus non ex legitimo matrimonio, sed ex fornicaria muliere & turpissima est nasciturus.

Mater *Antichristi* erit Hebræa.

Impuritas & malitia matris Antichristi.

Antichristus totus in peccato concipietur, in peccato generabi-

peccato generabitur, & in peccato naſcetur. In ipſo verò conceptionis initio, diabolus ſimul introibit in uterum matris ejus: & ex virtute diaboli conſovebitur & contutabitur in ventre matris, & uirtus diaboli ſemper cum illo erit. Et ſicut in Matrem Domini noſtri Spiritus Sanctus uenit, & eam ſua uirtute obumbrauit, & Diuinitate repleuit, ut de Sancto Spiritu conciperet, ut quod naſceretur Diuinum eſſet & Sanctum: ita quoque diabolus in matrem Antichriſti deſcendet, & totam eam replebit, totam circundabit, totam tenebit, & totam interius exteriuſque poſſidebit, ut diabolo per hominem cooperante concipiat, & quod natum fuerit totum ſit iniquum, totum perditum. Vnde & ille homo peccati, filius perditionis appellatur, quia inquantum poterit genus humanum perdet, & ipſe in nouiſſimo perdetur. Ita Rabanus, à quo vix diſcedit Author Hiſtor. Scholaſticæ Petrus Comeſtor in Hiſtoria libri Danielis cap.6. nam ibi ad illa relata Danielis verba *Et ecce cornu aliud paruum ortum eſt de medio eorum*, ſic inquit: *Hic eſt Antichriſtus de tribu Dan ignobilis in obſcuro loco Babyloniæ naſciturus. Ex ſeminibus quidem parentum concipietur: ſed poſt conceptum ſpiritus malignus deſcendet in uterum matris, cujus uirtute deinceps puer aletur, naſcetur, adoleſcet. Vnde filius perditionis dicitur.* Hæc Comeſtor.

bitur, & in peccato naſcetur: at poſt conceptum diabolus deſcendet in uterum matris eius, cuius virtute deinceps puer aletur, naſcetur, adoleſcet.

VI.

Antichriſtus utrum ex fornicatione, an ex inceſto, vel ex ſacrilegio, ſit naſciturus.

Naſcetur igitur Antichriſtus ex impuriſſima & turpiſſima fœmina Hebræa, & per fornicationem: unde Damaſ. vocat eum baſtardum: etſi aliqui ſuſpicati ſint, vel per incæſtum graviſſimum, ut ex patre & filia, aut ex filio & matre, aut ex fratre & ſorore; vel per immane ſacrilegium ex Sacris parentibus, ut ex monacho & ſanctimoniali Antichriſtum eſſe procreandum; cùm tamen ex corrupta & fornicaria muliere ſit naſciturus: & hoc eſt, quod lib.6. Revel. c.67. refert S. Brigitta ex verbis Chriſti ſecū loquentis: *Antichriſtus naſcetur de maledicta fœmina ſimulante ſe ſapere ſpiritualia, & de maledicto homine, de quorum ſeminibus permiſſione mea diabolus formabit opus ſuum:* nam Antichriſtus omnem operationem diaboli in ſe ſuſcipiet à puero, quia diabolus primò, in utero matris Antichriſti humores ſic attemperabit, ut Antichriſti temperamentum & complexio fiat propenſiſſima ad omnia vitia, prout ſuprà in initio præcedētis Tract. oſtenſum eſt. Secundò, ab infantia Antichriſtum replebit dæmon malitia ſua, non quaſi Antichriſtus à dæmone poſſidendus ſit corporaliter, tanquam arreptitius: ſic enim non eſſet liber, nec peccaret; ſed quia ſemper, & in omnibus eum à puero reget & gubernabit dæmon, inquit Damaſcen. lib.4. de Fide cap.27. Tertiò, in virili ætate dæmon per Antichriſtum operabitur non tantùm omne ſcelus & nequitiam, ſed etiam omnia ſigna & portenta mendacia, omnem blandiloquentiam, ſapientiam, minas, terrores, & tormenta, omnem-

Antichriſtus aptiſſimum ad omnia mala diaboli inſtrumentum.

que

que vim suam exeret, ad decipiendos & alliciendos à Christo ad se homines omnes: & hoc maximè vult S. Paulus in 2. ad Thes. 2. cùm ait: *Cujus adventus est secundum operationem sathanæ*. Dicit *est* pro *erit*. Loquitur enim Apostolus more Prophetico de futuro per modum præsentis. Ex his autem dictis reiicias in primis opinionem eorum, qui putarunt Antichristum fore diabolum incarnatum, ut opponatur Christo Deo incarnato; ut, sicut Verbum per humanitatem assumptam operatum est, & vim suam exeverit: ita sathanas per carnem assumptam operetur, & vim suam exerat. Ita videtur loqui Theodoretus. Verùm quia fieri non potest, ut diabolus aut alia creatura carnem aliamve creaturam hypostaticè assumat, sicut Deus assumpsit carnem humanam, ut docent Theologi. Secundò refellas opinionem à Patribus damnatam S. Hippolyti Martyris, qui in lib. de Consummat. sæculi censuit Antichristum fore dæmonem, non incarnatum, sed in carne apparentem, & de falsa virgine falsam & phantasticam carnem assumentem. Quasi putavit ille, Antichristum non alium fore quàm ipsummet diabolum, sub specie simulata humani corporis & naturæ; non enim verum fore hominem. Verba ejus ita se habent apud Pererium lib. 14. Commentariorum in Danielem: *Christus Dominus ex immaculata Virgine natus, in figura carnis humanæ, hostem conculcauit, suæ Diuinitatis propria potentia. Ad eundem modum diabolus, ex impura muliere prodibit super terram; sed falsò nascetur ex virgine: nam Christus veram carnem, & præter peccatum, nostræ per omnia similem assumpsit: diabolus carnem secundum visionem tantùm & opinionem assumet, & phantastica carnis substantia, organi vice, utetur. Propterea edetur ex virgine, veluti spiritus, qui quidem tum reliquis apparebit caro*. Sic Hippolytus. Quam opinionem, (inquit ibi Pererius) tacito ejus nomine, damnat D. Hieronymus; adversus eam utens illis verbis Danielis, quæ sunt in capite septimo: *Et ecce oculi, quasi oculi hominis, erant in cornu isto*. Hoc, ait Hieronymus, propterea dictum est, ne putemus Antichristum, juxta quorundam opinionem, diabolum esse futurum; sed unum de hominibus, in quo totus sathanas habitaturus sit corporaliter. Et Damascenus, Non, inquit, diabolus fiet homo, instar humanationis; absit enim, sed nascetur homo ex fornicatione, & suscipiet omnem operationem sathanæ: unde Paulus dixit, adventum ejus futurum secundum operationem sathanæ. Nam præsciens Deus irrationabilitatem futuræ ejus voluntatis, permittet, ut illum inhabitet diabolus. Quod autem (subdit Pererius) dixit Hieronymus, totum sathanam in Antichristo habitaturum corporaliter; non significat, diabolum conjunctum iri Antichristo, secundum unionem personalem; aut penitùs animæ ipsius illapsurum; hæc enim

Reiicitur opinio nonnullorum, existimantiū Antichristum fore diabolum incarnatum.

Refellitur opinio à Patribus damnata S. Hippolyti Martyris, putantis Antichristum nō alium fore, quàm diabolum sub specie humanæ naturæ.

Quomodo sathā corporaliter habitabit in Antichristo, ut dixit D. Hieronymus.

enim præter Deum, nulli sunt possibilia: sed illis verbis significare voluit Hieronymus, diabolum habitaturum omninò; id est, tàm secundum animam, quàm secundum corpus, Antichristum in sua potestate; ita ut in ipso & per ipsum omnem malitiæ suæ vim exerat atque exerceat. Sed Antichristum fore verum hominem, non autem ipsum diabolum, sub figura hominis, ut credidit Hippolytus, præter Ecclesiasticos Auctores, confirmat etiam B. Paulus, appellans eum hominem peccati, & filium perditionis: hoc est, hominem, qui & futurus est ipse maximus omnium peccator, & in gravissimos errores atque peccata quamplurimos inducturus: & vocat filium perditionis, quòd futurus ipse sit perditissimus, miserrimèque perituus, quique multos à se deceptos, æterna perditione secum trahet in tartarum. Subdit etiam Paulus, adventum Antichristi, futurum secundum omnem operationem sathanæ; quo non dubiè significatur, eum fore diversum sathanæ. Denique Paulus inquit, de Antichristo, *Quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui*: hoc autem minimè competit in diabolum, in quem videlicet mors & interitus non cadit. Hæc Pererius.

Cur homo peccati & filius perditionis, à S. Paulo dictus sit Antichristus.

VII.

Refellitur opinio eorum, qui putaverunt, Antichristũ ex virgine opera dæmonis esse concipiendum.

Tertiò reiicias opinionem eorum apud Rabanum ubi suprà, qui putaverunt Antichristum ex virgine opera dæmonis esse concipiendum, uti Christus conceptus est ex Virgine de Spiritu Sancto. Hoc quidem est verum, sed illud est falsissimum. Primò, quia nunquam alicui virgini collatum, sive datum est de præterito, sive in præsenti; nec conferetur, sive dabitur in futuro, quòd aliqua virgo simul concipiat, aut cõceperit sine semine viri: sola Maria Virgine exẽpta, quæ de Spiritu Sancto concepit, & Virgo permansit: unde canitur de ea: *Quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Ideò nominatur ipsa in Sacra Scriptura *Virgo singularis.* Secundò, quia non potest dæmon virginem fœcundare, nisi ut succubus aliunde semen humanum exceperit, quod deinde virginis utero infundat: ac proinde non manebit virgo, quæ ab eo imprægnata fuerit: sed more cæterarum puerperarum claustris virginitatis resignatis concipiet & pariet. Esse autem concipiendum Antichristum opera dæmonis ex præfata corrupta muliere, seu meretrice possumus affirmare: nam non desunt qui putent illum generatum iri à dæmone incubo, quorum opinionem, ut probabilem multi tradunt, sed præcipuè Robertus Card. Bellarminus tom. 3. de Rom. Pont. in cap. 17. Apoc. sect. 2. de Antichristo, cui favere videtur S. Hieron. qui in Isai. 16. (ut suprà audisti) vocat diabolum Antichristi patrem; non quòd potuerit ipsum per se gignere, sed quòd in Sacra Scriptura filii dicamur eorum, quos imitamur; vel quia ex incubo dæmone nasciturus sit, qui ab aliquo viro semen furatus, & fortasse ab eo, cui ut mulier succu-

Antichristus nũ ex dæmone incubo sit nasciturus.

Antichristi patrem cur D. Hieronymus diabolum vocet.

succu-

succubuit, ipsum deindè fœminæ ingerat, quo in casu dicetur filius nasciturus dæmonis proles; re vera autem filius illius viri erit, cujus semine ad ipsum generandum usus esset dæmon. Qua de re audi doctissimum virum Consalvum Durantum in Notis ad Revelationes S. Brigittæ lib.6.cap.lxvii. hunc fermè in modum scribentem: *Cæterùm non defuerunt, qui etiam existimaverint, quòd Antichristus etiam concipiendus sit opere dæmonum, qui humana quandoque corpora assumentes, mulieribus commiscentur; assumunt tamen tunc ex hominibus semen, & fiunt succubi, capiuntque aliquoties illud decisum à viro, servantque cum calore naturali per aliquod breve temporis spatium, donec iterum fiant aliquibus mulieribus incubi, illudque semen viri in matricem transfundant mulieris. Qua de re latè agit D. Augustinus lib.15. de Civitate Dei cap.23. & multi etiam hoc probarunt ex illo Genesis sexto, videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ nimis, acceperunt uxores: ubi per filios Dei Angelos intelligunt, qui ex illis Gigantes genuerint, quanquam secundum communem interpretationem per Angelos ibi filii Seth intelligendi sint, ut habet Gloss. Interlinearis, & D. Augustinus loco citato, Theodoretus q.47. in Genesim, D. Thomas P.P.q.51.art.3. ad sextum, & alii plures: sed quicquid sit, asserunt aliqui Antichristum opere dæmonis modo explicato nasciturum, quod fortasse insinuant illa verba hujus capitis circa finem, de quorum seminibus per missione mea diabolus formabit opus suum; diceretur tamen tunc Antichristus sic natus, non filius diaboli, sed ejus hominis, à quo dæmon semen accepit, ut probat D. Thom. loco suprà citato, sed legendus est D. Augustinus libro tertio de Trinitate cap. octavo, & nono, ubi plura hac de re scitu dignissima affert.* Hæc ille.

Utrum, qui natus est ex incubo dæmone, debeat dici filius dæmonis; an hominis, ex quo dæmon semen accepit.

VIII. Quartò reiicias opinionem eorum, qui existimarunt Antichristũ nasciturum ex monacho & monacha: quod planè esse incertissimum affirmat Malvẽda lib.2.cap.8. ea potissimum ratione: nam cùm Antichristus sit nasciturus ex gente Iudæorum, prout suprà ostensum est, haud apud Iudæos eiusmodi vota monastica poterunt reperiri. Quocirca nos reiicimus & meritò illorum opinionem tanquam contrariam sententiæ præfatorum Patrum, & præfatæ revelationi S. Brigittæ, ac illi S. Hildegardis: nam ista Sancta Spiritu etiam imbuta Prophetico, hæc de Antichristi conceptione & nativitate prodit: *Mater illa, quæ istum fallacem in Mundum eiiciet, à pueritia sua in puellari ætate diabolicis artib. vitiisq; plena, in deserto abiectionis inter nefandissimos enutrita est, ibi parentibus suis eam nescientibus, nec illis, cum quibus moratur, eam scientibus. Quoniam diabolus illuc eam ire persuadet, & illic eam secundum voluntatem suam decipiendo componit quasi Angelus Sanctus. Et ideò ab omnibus se separat,*

Antichristus num ex monacho & monacha sit oriturus.

Revelatio Sanctæ Hildegardis de Antichristi conceptione & nativitate.

vat, ut tanto facilius celari possit. Unde etiam aliquibus, sed tamen paucis viris nequissimo latrocinio fornicationis occultè commiscetur, & in tanto studio turpitudinis cum illis se polluit, velut Angelus Sanctus fervorem pravitatis illius eam perficere jubeat. Et sic ferventissimo ardore fornicationis istius filium perditionis concipiet, nesciens de quo semine virorum illorum eum conceperit. Sed Lucifer serpens videlicet antiquus, turpitudine ista delectatus, coagulationem hanc justo meo judicio artibus suis inflat, & eam omnibus viribus totam in ventre matris possidet. Sic illo proditore de ventre matris suæ, pleno diabolico spiritu, egrediente: deinde consuetam fornicationem devitat, & apertè stulto & insipienti populo dicit, quia virum non habet, nec patrem infantis sui sciat, fornicationem quam perpetravit Sanctam dicit. Unde populus illam Sanctam putat & nominat. Sic filius perditionis diabolicis artibus usque ad fortiorem ætatem nutritur. Hæc S. Hildegardis ex Christi, ut ait, ore. Quæ quoque Albertus Stadensis in Chronico retulit.

Quintò refellas opinionem eorum, qui suspicati sunt, non alium fore Antichristum, quàm ipsum Neronem, qui in fine Mundi venturus est; ut qui Ecclesiam Christi, in ejus exordio, primus crudeliter persecutus est; idem sub finem ejus, & prope Mundi interitum, eandem crudelissimè persequatur. Scilicet, hoc illos putasse verisimile est, propter magnitudinem crudelitatis & turpitudinis, qua cunctos mortales Nero superavit. Fuit in hac opinione Victorinus in cap. 17. Apocalypsis, & multi veterum Ecclesiasticorum Scriptorum, teste D. Hieronymo in cap. 11. Danielis, moti ex illo S. Pauli in 2. ad Thessalonicenses Epist. cap. 2. *Nam mysterium jam operatur iniquitatis*: ubi illi sic explicarunt: mysterium, id est, occultum, secretum, & symbolum iniquitatis jam operatur, putà ipse Nero jam regnans; in quo latet magnum arcanum, scilicet quòd ipse erit Antichristus. Putarunt enim Neronem necdum esse mortuum, vel certè in fine Mundi resuscitandum, ut ipse sit Antichristus. Iuvit hanc opinantium suspicionem, quòd etiam inter Gentiles fama sparsa fuit Neronem non esse occisum, sed à morte subductum. Certè, id memorat Severus Sulpitius in libro secundo Sacræ Historiæ, cùm de Nerone scribit: *Nero*, inquit, *creditur, etiamsi se ipse gladio transfixerit, curato vulnere ejus, servatus: secundum illud quod de eo scriptū est in Apocalypsi, capite decimotertio; & plaga mortis ejus curata est. Idemque putatur sub finem sæculi mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat.* Verùm, idem Sulpitius, in Dialogo secundo, hæc de Nerone & Antichristo, à B. Martino prodita, Gallum facit referentem: *Cùm*, inquit, *ab eo de fine sæculi quæreremus, ait nobis, Neronem & Antichristum priùs esse venturos, Neronem in Occidentali pla-*

IX.

Antichristum fore Neronem, quidam putarunt.

Quidam putarunt Neronem fore

plaga, Regibus subactis decem, imperaturum: persecutionem hactenus exercendam, ut idola Gentium coli cogat. Ab Antichristo verò Orientale Imperium esse capiendum: qui quidem sedem, & caput Regni Hierosolimam esset habiturus: ab illo Vrbem & Templum esse reparandum. Illius eam persecutionem futuram esse, ut Christum Dominum cogat negari, se potiùs Christum esse confirmans, omnesque secundum legem Mosis circumcidi jubeat; & ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum, atque sub illius potestate universum Orbem, cunctasque gentes esse redigendas: donec adventu Christi, impius opprimatur. Itaque S. Martinus secundum Severum Sulpitium asseruit Neronem sub sæculi finem rediturum, & fore socium & collegam Antichristi in Occidente. Quod si verum est hæc D. Martinum dixisse, non quasi Propheta hæc dixit, sed quasi recensens & enarrans ea, quæ nonnulli opinati essent partim ex rumore Gentilium, partim ex præadducto loco S. Pauli, ut dixi. Cæterum hi Dialogi titulo Postumiani & Galli (sic enim inscribuntur, eò quòd hi sint interlocutores) in Conc. Romano sub Gelasio, decreto de libris apocryphis relati sunt inter apocrypha. Verùm hæc opinio temeraria est, caretque fundamento: certum enim est ex Svetonio, Tacito & aliis, Neronem esse occisum & mortuum; resurrecturum verò eum nec D. Paulus, nec alius quispiam Propheta prædixit. Vnde meritò illam opinionem reiicimus, prout etiam reiicit eam S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 19. nam ibi S. Doctor postquam retulit illam sententiam, ita subdit: *Sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio*. Ab Augustino vix discedit Venerabilis Beda super præfatum D. Pauli locum, cùm inquit: *Quod autem ait Apostolus, & nunc quid detineat scitis: id est, quid sit in mora, quæ causa sit dilationis ejus ut reueletur in suo tempore, scitis. Quoniam scire illos dixit, apertè hoc dicere noluit. Et ideò nos qui nescimus quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus, præsertim quia & illa quæ addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Nam quid est, Iam enim mysterium iniquitatis operatur, tantùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur iniquus? Ego prorsùs quid dixerit, me fateor ignorare: suspiciones tamen hominum quas vel audire vel legere potui, non tacebo. Quidam putant hoc de Imperio dictum fuisse Romano, & propterea Paulum Apostolum non id apertè scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quòd Romano Imperio malè optaverit cùm speraretur æternum, ut hoc quod dixit: Jam enim mysterium iniquitatis operatur, Neronem voluerit intelligi, cujus jam facta velut Antichristi videbantur. Vnde nonnulli ipsum resurrecturum, & futurum Antichristum suspicantur. Alii verò nec occisum putant; sed*

fore socium & collegam Antichristi in Occidente.

Quomodo S. Martinus prædixerit Neronē venturum, & fore collegam Antichristi.

Nero seipsum gladio peremit, ut qui aliis crudelis extiterat, in seipso crudelitatis officium exerceret.

sed subtractum potiùs, ut putaretur occisus: & vivum occultari in vigore ipsius ætatis, in qua fuit, cùm crederetur extinctus; donec suo tempore reveletur, & restituatur in Regnum. Sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio. Illud tamen quod ait Apostolus, tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat, non absurdè de ipso Romano Imperio creditur dictum, tanquam dictum sit, tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat: id est, de medio tollatur. Et tunc revelabitur iniquus, quem significari Antichristum nullus ambigit. Hucusque Beda, quæ ad verbum ferè sunt ex D. Augustino transcripta.

Est igitur illa opinio, Augustini & Bedæ judicio, temeraria, prout ego suprà dixi: sed est præterea omninò improbabilis, ut inquit ubi suprà Pererius, qui ibi assignat ejusmodi rationem. Nam sive Nero non sit mortuus, sed vivat, victurusque sit usque ad finem sæculi; sive mortuus fuerit, & in finem Mundi, ante generalem hominum resurrectionem, sit in vitam revocandus: neutrum profectò sine maximo Divinæ omnipotentiæ miraculo fieri potest. Deum autem tanto miraculo, Neronem, aut vivum per tot sæcula conservare, aut mortuum ad vitam esse reducturum; scilicet, hominem flagitiosissimum, & pestilentissimum humano generi, futurumque, ut illi arbitrati sunt, Antichristum, Christianus animus planè respuit credere. Cui etiam Fidem illud addit, quòd secundum antiquam traditionem, futurus Antichristus creditur Hebræus, & ex Hebræis (prout suprà ostensum est) generandus; quod ad illam de Nerone opinionem, minimè quadrat. Adde, per *mysterium iniquitatis*, non intelligit D. Paulus Antichristum, sed præcursores Antichristi, ut Simonem Magum, ejusque asseclas; vel potiùs intelligit ipsum Neronem cum suis, & sua sceleratorum colluvie, aliosq; Imperatores Romanos, qui Neronem vel præcesserunt, vel secuti sunt; qui magno fastu & tyrannicè imperarunt, atque Christum Christianosq; persecuti sunt: qualis fuit Caius Caligula, Adrianus, Decius, Heliogabalus, Diocletianus, & alii per trecentos annos. De hisce enim subdit Apostolus: *Tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Fuit enim Nero æquè ac Antiochus Epiphanes (ut suprà ostensum est) insignis typus & figura Antichristi, quia fuit Monarcha superbissimus, luxuriosissimus, potentissimus, sceleratissimus; fovit Simonem, aliosque magos: fuit hostis Christi & Christianorum, qui primam in eos persecutionem solemnem excitavit, voluitque coli ut Deus, & maximus fuit tyrannus, qualis erit Antichristus: q. d. Nero, & similes tyranni iam eodem spiritu aguntur & operantur, quo agetur Antichristus ipse, totius iniquitatis caput & Princeps; ac proinde eius *mysterium*, id est, figura & typus, & præcursores sunt. Ita Chrysost.

X.

Opinio illa de Nerone futuro Antichristo est temeraria & improbabilis.

Mysterium iniquitatis fuit Simon Magus, eiusque asseclæ, vel potiùs Nero.

Imperatores tyranni fuerunt typi & figuræ Antichristi.

fost. Ambros. August. Hieron. ubi suprà. Vult ergo dicere S. Paulus: Hoc mysteriū est, quod detinet & remoratur adventum Antichristi, quia scilicet necesse est ut Nero, & similes, quasi typi & figuræ præcurrant ipsū Antichristum, ipsumq; quasi parturiant. Sicut n. Moses, Ioan. Baptista, & Prophetæ præcesserunt Christum, illiq; viam præpararunt; ita par est ut Nero & tyranni atq; hæretici præcedant Antichristum, illique sensim viam parent suis sceleribus & blasphemijs; ut veniens Antichristus omnē suam iniquitatem parturire & effundere possit. Quocirca rectè quidam apud D. Augustinum & Venerabilem Bedam locis suprà indicatis id quod ait S. Paulus, *Quid detineat scitis, & mysterium operatur iniquitatis*, non putant dictum nisi de malis & fictis, qui sunt in Ecclesia: donec perveniat ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat: & hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum jam in impiis hypocritis & hæreticis, ac præsertim in impiissimo Nerone, in quo operatur arcana & mystica iniquitas, quæ sensim proserpit & crescit, donec per Antichristum in publicam iniquitatem prosiliat. Hoc enim est Græcum energeitai, id est, vim suam exerit. Sicut ergo carbo ignis inter ligna occultè vim suam exerit, & vicina adurit, sensimque proserpit, donec in flammam & incendium manifestum erumpat: sic iniquitas à dæmone accensa, occultè in impijs vim suam exerit, serpitque, donec in publicam omnium scelerum flammam sub Antichristo erumpat. Hortari autem Apostolum fideles ut in Fide quam tenent, tenaciter perseverent, dicendo tantùm qui modo tenet supple Fidem Christi, teneat eam: donec iniquitas mystica, id est, occulta, in magnum populum crescat: itaque cum Antichristo de medio fiat: hoc est, donec exeat de medio Ecclesiæ mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est. Ad ipsum enim mysterium pertinere arbitrantur, quod ait in Epistola sua Joannes Evangelista: *Pueri novissima hora est. Et sicut audistis, quòd Antichristus sit venturus: nunc autem Antichristi multi facti sunt: unde cognoscimus, quòd novissima hora sit. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: quòd si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Sicut ergo ante finem in hac hora (inquiunt) quam Joannes novissimam dicit, exierunt multi hæretici de medio Ecclesiæ, quos multos dicit Antichristos; ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Christum, sed ad illum novissimum Antichristum pertinebunt: & tunc revelabitur.

Antichristus præcursores habet, uti Christus Dominus.

S. Paulus hortatur fideles, ut in Fide quam tenent, tenaciter perseverent.

XI. Patet igitur, quòd per *mysterium iniquitatis* D. Paulus non intelligit Antichristum, sed ejus præcursores, ut liquet ex ver. seq. ubi subdit Apostolus: *Et tunc* (scilicet post hoc mysterium adimpletum) *revelabitur ille iniquus*, (Antichristus scilicet) *quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui*. Hinc est manifestus error hæreticorum, qui mysterium iniquitatis non minùs perniciosè, quàm audacter detor-

S. Paulus per mysterium iniquitatis non intelligit Antichristum, sed ejus præcursores.

torquent ab Antichristi præcursoribus ad Romanum Pontificem, Christi Vicarium. Sed quàm turpiter errent, videant. Quòd cùm illud protulit D. Paulus, in Romana sede sedebat B. Petrus. At quis tantùm desipiat, ut velit S. Petrum iniquitatis mysterium operari? Nullus quidem: idcircò turpiter errant hæretici, asserentes mysterium iniquitatis à D. Paulo intelligi Romanum Pontificem, cùm jàm intelligatur ab Apostolo (ut suprà ostendimus) de Antichristi præcursoribus: nam *mysterium* eo loci Apostoli idem est, quod figura & typus Antichristi, ejusque summæ iniquitatis: tota enim iniquitas, & omnium peccatorum colluvies videbitur esse collecta in Antichristo, & Regno Antichristi. Quamobrem Patres & Doctores per *mysterium iniquitatis* asserunt S. Paulum intelligere Neronem, qui erat typus & figura Antichristi, prout suprà ostensum est. Porrò de Norone & Romano Imperio Apostolus ubi suprà valdè tectè & obscurè loquitur, non ex metu; sed prudenter, ne sine causa eum contra se, & Christianos concitaret. Si enim clarè dixisset Neronem esse mysterium iniquitatis, & figuram Antichristi, ac Romanum Imperium fore dissolvendum; tam Nero, quàm Romani in eum quasi impostorem insurrexissent, ac vivum eum defodissent, aliosque fideles cum eo, tanquam qui super tanti Imperii demolitione prophetarent & lætarentur. Est in hac sententia Theophylactus: nam iste illa præadducta & explicata D. Pauli verba *Mysterium enim iam operatur iniquitatis*, ita interpretatur: *Neronem hic intelligit Apostolus, qui erat figura Antichristi. Etenim immundus erat, ac Deus quærebat nominari. Pulchrè autem mysterium dicit: non enim palam Nero adversus omnem Deum incedit, ut ille, neque citra ruborem & verecundiam. Quod autem dicit, est huiusmodi: Priusquam instaret tempus Antichristi, inventus est alius non multo inferior: quid igitur mirum, si jam Antichristus est? Obscurè autem hoc de Nerone dixit, non metus sanè causa, verùm ut erudiat nos ne supervacaneas inimicitias suscipiamus si nihil urgeat.* Quamvis cùm scriberet illa S. Paulus, necdū regnabat Nero: nam illa Epistola scripta est anno Christi 53. quo adhùc regnabat Claudius: Nero enim Claudio successit anno Dñi 57. Potest tamē accipi ille locus de Nerone, nō ut actu regnante, sed ut proximè regnaturo, ut jam supradixi.

> Error hæreticorum, asserentium Romanum Pontificem esse mysterium iniquitatis.

> Mysterium iniquitatis est figura & typus Antichristi.

> Quàm prudenter & tacitè est agendum de vitijs Principum.

> Nero Antichristi figura.

> Secunda D. Pauli Epistola ad Thessalonicenses quādo scripta.

XII.

Sed ut magis patefiat & destruatur error hæreticorum de Romano Pontifice, non committam ut hoc loco prætercam, quæ fusiùs latiùsque tradit hac de re super præfatum locum Apostoli Cornelius à Lapide, qui quærit ibi, an Antichristus venerit, an verò sit adhuc venturus? Hæretici (inquit ille) docent eum venisse. Papam enim Romanum, qui antea erat Pastor & Episcopus Romanus, factum esse dicunt Antichristum, cùm cœpit contra legum Christi induce-

> Antichristus nū venerit, an verò venturus sit.

ducere Missas, imagines, Purgatorium, Indulgentias, cultum Sanctorum; cùmque cœpit dominari alijs Episcopis, sibique arrogavit jus & titulum Pastoris ac Principis totius Ecclesiæ. Id factum ajunt sub annum Domini 600. Vnde David Chitræus Gregorium magnum (quem omnes tam Græci quàm Latini ut Sanctum coluerunt) vocat primum Antichristum. Illyricus verò, Lutherus, & plures Novantium, Gregorium, vocant ultimum Romanum Pontificem. Gregorio enim successit Sabinianus: sed hic statim eodem anno defunctus est. Sabiniano successit Bonifacius III. qui anno Domini 606. à Phoca Imper. Oecumenici nomen accepit, ut scilicet vocaretur, Vniversalis totius Orbis Episcopus & Pontifex. Hunc ergo volunt esse primum Antichristum.

Haeretici volunt Antichristum incepisse sub annū Domini sexcentesimum.

XIII. Verùm falluntur & fallunt. Nam, ut alia taceam, Concilium Oecumenicum Chalcedone habitum, actione prima, secunda & tertia, passim S. Leonem, qui longè ante S. Gregorium fuit Romanus Pontifex, vocat Pontificem universalis Ecclesiæ. Quid est hoc aliud, quàm esse Oecumenicum? ideòque Pontifices Romani semper vel per se, vel per Legatos suos Concilijs Oecumenicis præfuerunt, tanquam capita & Principes totius Ecclesiæ; quam repræsentat Concilium Oecumenicum.

Pontifex universalis Ecclesiæ titulus Pontificis Romani antiquissimus.

XIV. Rursum si à Bonifacio III. Pontifices Romani omnes fuerunt Antichristi; ergo jam per mille annos Ecclesiam suam deservit Christus; ergo per mille annos Ecclesia Christi periit, quę tamen in Scriptura prædicatur esse Regnum Christi æternum; ergo per mille annos omnes Catholici & Christianissimi Reges, Principes, Dinastæ, Episcopi, Doctores, totusque Orbis Christianus adoravit Antichristum; ergo per mille annos tota Ecclesia, (quæ tamen ab Apostolo dicitur esse columna & firmamentū veritatis) in gravissimis fuit erroribus, immò in idololatria, fuitque synagoga sathanæ; ergo in Ecclesia non Christi, sed Antichristi & diaboli natus, baptizatus, educatus est Lutherus, Calvinus, aliique Novantes; si verum est, quod ipsi aiunt, sub annum sexcentesimum cœpisse Missas, imagines, invocationem Sanctorum, orationes pro defunctis. Sed absit. Hæc enim fuisse in Ecclesia ante annum sexcentesimum, immò à temporibus Apostolorum, docent S. Ignatius, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieron. Chrysost. & alij omnes, quos in singulis materiis per singulas annorum à Christo nato centurias proferunt & citant Catholici omnes, qui de controversiis scripserunt.

Missæ, imagines, invocatio Sanctorum ab initio Ecclesię fuère.

XV. Respondeo ergo & dico, Antichristū necdū venisse, sed esse venturum, ac consequenter nec Papam Romanum, nec quempiā alium, qui vivat aut vixerit esse Antichristum. Id breviter novē rationibus demonstrat ubi suprà Cornelius à Lapide; nos verò decem fusiùs latiùs-

Antichristus necdum venit, sed venturus est.

tiùſque oſtendimus: quarum prima eſt,quia unus erit ſingularis homo, qui dicetur Antichriſtus, quem ſic deſcribit D. Paulus loco ſuprà indicato ; in primis dicit Antichriſtum eſſe hominem peccati: quoniam manifeſtè, ac totus ſceleſtus erit, adeò, ut mereatur potiùs dici ſcelus ſeu homo peccati, quàm peccator. Secundò nominat illum filium perditionis, cujus tota induſtria erit adverſari Chriſto,perdere,& ex omni parte tendere ad deſtructionem tàm ſui,quàm aliorum. Tertiò extollentem ſe ſuper omne,quod dicitur Deus,aut colitur, ita ut in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Quartò dicit,illum fore admirandum ſecundum operationem ſathanæ,quam operabitur per eum ſathanas in omni virtute ,& ſignis,& prodigiis mendacibus , & in omni ſeductione iniquitatis iis qui pereunt. Hæc de Antichriſto Apoſtolus Paulus, ex quibus evidenter apparet, Antichriſtum fore ſingularem quandam perſonam ; atqui Papa non eſt nomen hominis ſingularis , ſed nomen officii communis, in quo unus alteri ſuccedit: nomen enim Papæ tàm commune eſt multis, quàm nomen Regis , Imperatoris, Epiſcopi : ergo Papa non eſt Antichriſtus.

Antichriſtus erit ſingularis quædam perſona.

Cõditiones Antichriſti.

XVI.

Obiicies hæreticorum.

At ſi objiciant hæretici ex D.Auguſtino, qui in lib.20. de Civit. Dei cap.19,hunc hominem peccati,id eſt, Antichriſtum , intelligit, non certam perſonam , ſed totam multitudinem impiorum Chriſto contrariam; quod avidè arripit Beza & Novantes omnes: Antichriſtus, inquiunt, eſt totum Eccleſiaſticæ tyrannidis corpus , quod eſt & erit uſque ad finem Mundi,cujus caput eſt Papa: qui adoratur & circumgeſtatur, ut Deus. Reſpondeo & aſſero, licèt Antichriſtus ex etymologia ſignificet Chriſto contrarium,& ſic teſte S.Joanne Epiſt. 1. cap.2. ver.18. & 22. omnes hæretici ſint Antichriſti: tamen certum eſt & de Fide , cùm ſit ſenſus & conſenſus totius Eccleſiæ & Patrum omnium, quos citat Sanderus lib.de Antichriſto , Bellarminus lib.3.de Pontifice,& alij,Antichriſtum ſecundum prææadductam de eo Apoſtoli deſcriptionem fore unum hominem , & certam perſonam, cujus nomen adhuc eſt ignotum,quique Antichriſtus Antonomaſticè dicetur, quia Chriſto erit inimiciſſimus: illud tamen conſtat, quòd literæ nominis ejus Arithmeticè cõficient numerum 666. ut patet Apocal.13. v.18. Hinc nonnulli Catholici, nec ignobiles, fruſtrà putarunt Mahometem monſtrum illud nefandiſſimum & impuriſſimum , cujus ſe Turcæ diſcipulos profitentur , Antichriſtum fuiſſe;quia hic impoſtor cœpit ſub hunc annorum Domini numerum regnare. Secuti ſunt hanc opinionem Joan.Annius Viterbienſis peculiari Opuſculo, Iodocus Eliethonæus in S.Dam.lib.4. cap.27. Arnaldus Puntacus in Chronico, Ioan.Entinius Præfat.in Com.Aretæ in Apocal. Gilbertus Genebrardus lib.3. Chronograph. pag.376. & lib.4.

Reſponſio.

Eſt de Fide Antichriſtũ fore unũ hominem.

Nomen Antichriſti ignotum.

Mahometem fruſtrà putarunt aliqui fuiſſe Antichriſtum.

Qui Mahometem Antichriſtum crediderunt.

ducere Missas, imagines, Purgatorium, Indulgentias, cultum Sanctorum; cùmque cœpit dominari alijs Episcopis, sibique arrogavit jus & titulum Pastoris ac Principis totius Ecclesiæ. Id factum ajunt sub annum Domini 600. Vnde David Chitræus Gregorium magnum (quem omnes tam Græci quàm Latini ut Sanctum coluerunt) vocat primum Antichristum. Illyricus verò, Lutherus, & plures Novantium, Gregorium, vocant ultimum Romanum Pontificem. Gregorio enim successit Sabinianus: sed hic statim eodem anno defunctus est. Sabiniano successit Bonifacius III. qui anno Domini 606. à Phoca Imper. Oecumenici nomen accepit, ut scilicet vocaretur, Vniversalis totius Orbis Episcopus & Pontifex. Hunc ergo volunt esse primum Antichristum.

Hæretici volunt Antichristum incepisse sub annũ Domini sexcentesimum.

XIII. Verùm falluntur & fallunt. Nam, ut alia taceam, Concilium Oecumenicum Chalcedone habitum, actione prima, secunda & tertia, passim S. Leonem, qui longè ante S. Gregorium fuit Romanus Pontifex, vocat Pontificem universalis Ecclesiæ. Quid est hoc aliud, quàm esse Oecumenicum? ideòque Pontifices Romani semper vel per se, vel per Legatos suos Concilijs Oecumenicis præfuerunt, tanquam capita & Principes totius Ecclesiæ; quam repræsentat Concilium Oecumenicum.

Pontifex universalis Ecclesiæ titulus Pontificis Romani antiquissimus.

XIV. Rursum si à Bonifacio III. Pontifices Romani omnes fuerunt Antichristi; ergo jam per mille annos Ecclesiam suam deservit Christus; ergo per mille annos Ecclesia Christi periit, quę tamen in Scriptura prædicatur esse Regnum Christi æternum; ergo per mille annos omnes Catholici & Christianissimi Reges, Principes, Dinastæ, Episcopi, Doctores, totusque Orbis Christianus adoravit Antichristum; ergo per mille annos tota Ecclesia, (quæ tamen ab Apostolo dicitur esse columna & firmamentũ veritatis) in gravissimis fuit erroribus, immò in idololatria, fuitque synagoga sathanæ; ergo in Ecclesia non Christi, sed Antichristi & diaboli natus, baptizatus, educatus est Lutherus, Calvinus, aliique Novantes; si verum est, quod ipsi aiunt, sub annum sexcentesimum cœpisse Missas, imagines, invocationem Sanctorum, orationes pro defunctis. Sed absit. Hæc enim fuisse in Ecclesia ante annum sexcentesimum, immò à temporibus Apostolorum, docent S. Ignatius, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieron. Chrysost. & alij omnes, quos in singulis materiis per singulas annorum à Christo nato centurias proferunt & citant Catholici omnes, qui de controversiis scripserunt.

Missæ, imagines, invocatio Sanctorum ab initio Ecclesię fuère.

XV. Respondeo ergo & dico, Antichristũ necdũ venisse, sed esse venturum, ac consequenter nec Papam Romanum, nec quempiã alium, qui vivat aut vixerit esse Antichristum. Id breviter novẽ rationibus demonstrat ubi suprà Cornelius à Lapide; nos verò decem fusiùs latiùs-

Antichristus necdum venit, sed venturus est.

tiùsque ostendimus: quarum prima est,quia unus erit singularis homo, qui dicetur Antichristus, quem sic describit D. Paulus loco suprà indicato; in primis dicit Antichristum esse hominem peccati: quoniam manifestè, ac totus scelestus erit, adeò, ut mereatur potiùs dici scelus seu homo peccati, quàm peccator. Secundò nominat illum filium perditionis, cujus tota industria erit adversari Christo,perdere,& ex omni parte tendere ad destructionem tàm sui,quàm aliorum. Tertiò extollentem se super omne,quod dicitur Deus,aut colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus. Quartò dicit,illum fore admirandum secundum operationem sathanæ, quam operabitur per eum sathanas in omni virtute, & signis,& prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. Hæc de Antichristo Apostolus Paulus, ex quibus evidenter apparet, Antichristum fore singularem quandam personam; atqui Papa non est nomen hominis singularis, sed nomen officii communis, in quo unus alteri succedit: nomen enim Papæ tàm commune est multis, quàm nomen Regis, Imperatoris, Episcopi: ergo Papa non est Antichristus.

Antichristus erit singularis quædam persona.

Cõditiones Antichristi.

XVI.

Obiicies hæreticorum.

At si objiciant hæretici ex D.Augustino, qui in lib.20. de Civit. Dei cap.19, hunc hominem peccati,id est, Antichristum, intelligit, non certam personam, sed totam multitudinem impiorum Christo contrariam; quod avidè arripit Beza & Novantes omnes: Antichristus, inquiunt, est totum Ecclesiasticæ tyrannidis corpus, quod est & erit usque ad finem Mundi, cujus caput est Papa: qui adoratur & circumgestatur, ut Deus. Respondeo & assero, licèt Antichristus ex etymologia significet Christo contrarium,& sic teste S.Joanne Epist. 1. cap.2. ver.18. & 22. omnes hæretici sint Antichristi: tamen certum est & de Fide, cùm sit sensus & consensus totius Ecclesiæ & Patrum omnium, quos citat Sanderus lib.de Antichristo, Bellarminus lib.3.de Pontifice, & alij, Antichristum secundum præadductam de eo Apostoli descriptionem fore unum hominem, & certam personam, cujus nomen adhuc est ignotum,quique Antichristus Antonomasticè dicetur, quia Christo erit inimicissimus: illud tamen constat, quòd literæ nominis ejus Arithmeticè cõficient numerum 666. ut patet Apocal.13. v.18. Hinc nonnulli Catholici, nec ignobiles, frustrà putarunt Mahometem monstrum illud nefandissimum & impurissimum, cujus se Turcæ discipulos profitentur, Antichristum fuisse;quia hic impostor cœpit sub hunc annorum Domini numerum regnare. Secuti sunt hanc opinionem Joan.Annius Viterbiensis peculiari Opusculo, Iodocus Eliethonæus in S.Dam.lib.4. cap.27. Arnaldus Puntacus in Chronico, Ioan.Entinius Præfat.in Com.Aretæ in Apocal. Gilbertus Genebrardus lib.3.Chronograph. pag.376. &

Responsio.

Est de Fide Antichristũ fore unũ hominem.

Nomen Antichristi ignotum.

Mahometem frustrà putarunt aliqui fuisse Antichristum.

Qui Mahometem Antichristum crediderunt.

lib.4. pag. 765. Franciscus Fevardencius in Notis ad librum 5. cap. 30. S.Irenæi, & alij. Sed errant: non enim cœpit Mahometes regnare anno Christi 666. sed 623. ut ostendimus 1. Par. nostri Divini Theatri Tract. IV. fol.61. num.16. Neque D. Ioannes de numero annorum, sed de nomine Antichristi loquitur. Illorum autem errorem ostendunt verba Christi Matth. 24. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.* Persecutio verò Mahometis duravit jam per mille & amplius annos: sed persecutio Antichristi, licèt gravior & terribilior futura sit qualibet alia; abbreviabitur tamen propter electos. Quare expectandus est Antichristus, de quo S. Paulus ait 2. ad Thess. Epist.cap.2. *Revelabitur ille homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus:* nam impius venditabit se pro vero Messia,& supra Deum se extollet: quod Mahometes ausus non est, sed tantùm se prophetam Dei nominavit. Vnde valde miror viros illos doctos & Catholicos potuisse assentiri præfatæ opinioni; nam paulò post Antichristum Mundi occasum futurum ex Scriptura & Patribus habemus; at post Mahometem jam amplius ferè, quàm XI. sæcula præterierunt; natus est enim circa annum Domini 600. & præsens, quo hæc scribo, est 1704. & proximè interituri Mundi nullum adest signum; ergo non ipse fuit Antichristus. Confirmatur: nam inter signa, quæ præcedent adventum Antichristi, suprà in 1. Tractatu assignavimus primum fore Evangelij prædicationem in toto Orbe terrarum. Itaque Antichristus non est venturus, nisi postquam ubique prædicatum fuerit Evangelium; est enim expressa sententia Domini, ante consummationẽ Mundi in toto Orbe Evangelium prædicandum; nam Matth.24. ver.3. cùm interrogassent Dominum discipuli: *Dic nobis, quando hæc erunt: & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* inter alia dixit Dominus ver.14. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo Orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* Et iterum Matth.26.ver.13. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto Mundo dicetur, & quòd hæc fecit in memoriam eius.* Quòd autem hoc sit futurum ante Antichristi adventum probatur, quia tempore ipsius crudelitas illius novissimæ persecutionis impediet omnia publica exercitia veræ Religionis. Præterea breve erit Antichristi Regnum, & paulò post ipsius interitum finietur Mundus; ergo non aderit tempus disseminandi per universum Orbem Evangelium. Et sic istud, antequam appareat Antichristus, erit ubique prædicatum; sed tempore Mahometis nondum in toto Orbe prædicatum erat Evangelium: ergo nondum venit Antichristus: ergo Mahometes non fuit (ut ostendimus) Antichristus. Minor probatur. Patet enim ex regio-

Prædicatio Evangelii in toto Orbe terrarum, erit primum signum, quod præcedet adventum Antichristi.

Ex multis Sacræ Scripturæ locis patet, Evangelij prædicationem in toto Orbe præcessuram Antichristi adventum.

regionibus & populis Indiæ Occidentalis, ac continuis in ea Hispanorum navigationibus, quibus præterito sæculo novæ gentes plurimæ & maximæ, usque ad illud tempus incognitæ, repertæ sunt, quæ nihil de Christo & Evangelio audierunt. Præterea nondum totus Orbis est detectus; nam quotidiè novæ regiones, novæ insulæ, novæ gentes reperiuntur. Igitur Evangelium nondum in toto Orbe prædicatum est; sed ubique prædicandum, & ante Antichristi adventum, liquet ex Patribus Hilario, Cyrillo, & Theodoreto, qui ita sentiunt, & in hanc sententiam exponunt Evangelium. Confirmatur, quia non solùm prædicari debet in toto Orbe Evangelium, sed oportet etiam recipi, ut Prophetiæ adimpleantur; nam Christus est lapis ille, de quo dicitur Dan. 2. quòd universam terram erat repleturus; ut Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: & Psal. 71. *Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos Orbis terrarum.* Isajas 49. *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Aggæi 2. 8. *Ecce ego commouebo Cœlum & terram, & ueniet desideratus cunctis gentibus.* Et Apocal. 7. recensentur electi ex omnibus gentibus, & populis, & linguis, & deducitur etiam ex eo, quod ait S. Paulus 1. Timot. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire*; qui enim vult finem, eligit & adhibet media necessaria; at sine prædicatione non possunt omnes salvi fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ergo cùm omnes velit Deus salvos fieri, omnibus etiam providebit, ut eis Evangelium prædicetur. Quare de Fide esse hanc assertionem traditur à Suarez tom. 2. in 3. Partem D. Thomæ disput. 56. sect. 4. quem sequitur Cornelius de Baucio in Tract. de Regno Iudaico quæst. 1.

Evangelium nondum in toto Orbe prædicatum: sed ubique prędicandum, & ante Antichristi adventum; atque ubique etiam suscipiendum.

XVII.

Sunt qui putent, Fidem Evangelicam per totum Orbē esse publicatam ante excidium Hierosolymæ per Titum: nam suspicantur, quòd Evangelium ubique omnibus hominibus prædicaverunt Apostoli per seipsos & suos discipulos. Secuti sunt hanc opinionem D. Io. Chrysostomus, Lyrensis, Theophylactus, & multi recentiores, ut Ioan. Maldonatus testatur, & Paulus Sherlogus vest. 35. in cap. 7. Cant. num. 60. qui idcircò negat, suprà positam assertionem esse de Fide, ut Suarez affirmabat. Moti sunt autem illi in primis ex hoc, quòd Christus Dominus suos Apostolos misit per totum Orbem Matth. 28. ver. 19. *Euntes*, ait, *docete omnes gentes*; cui præcepto obedientes ipsi, post Christi ascensionem inter se Orbem diviserunt, & quisque provincias & gentes sibi assignatas adijt & convertit. Sed hoc de plerisque & potioribus eo tempore provincijs verum est, non tamen universim de omnibus omninò. Quocirca reijcias adductam opinionem, quam negant D. Anselmus, Origenes, & alij infrà allegan-

Opinio nonnullorum, existimantium prædicationem Evangelii factam esse apud omnes gentes ante captionem Hierosolymæ per Titum.

Refellitur einsmodi opinio.

Eam negant Patres.

Quomodo intelligatur vaticiniũ Davidis de prædicatione Apostolorum.

Modus loquendi Sacræ Scripturæ per præteritum de futuro.

Mundus non est interiturus, nisi priùs ubique prædicatum fuerit Evangelium.

gandi. Deinde moti sunt ex illo Davidis vaticinio de Apostolorum prædicatione in Psalmo 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum*; id est, prædicatio eorum; *& in fines Orbis terræ uerba eorum*: hoc est, Evangelium. Et sic, ajunt illi, nulla fuit pars in Mundo aut lingua, ad quam non pervenit Evangelium, aut per Apostolos, aut successores eorum. Sed decipiuntur ex adducto motivo, quod est contra ipsos: nam illud quidam sic explicant; *In omnem terram*, scilicet Romanis subjectam, & nobis nostroque Orbi cognitam, exivit sonus & prædicatio Evangelii. Alij verò quibus nos adhæremus ita interpretantur: Apostolorum sonus exiuit partim, partim exibit in omnem terram. Paulatim enim impletum est, & etiamnum impletur illud Davidis vaticinium. Præteritum ergo illic ponitur pro futuro, Prophetico more, ob rei futuræ certitudinem: quod enim Prophetæ futurum prædicunt, tàm certò fiet ac si jam factum esset: atque ita in D. Paulo ad Romanos 10. ubi allegatur idem Davidis vaticinium, explicatur, ut tradit ibi Venerabilis Beda, cùm inquit: *Quamuis Apostolus locutus sit præteriti temporis uerbis, tamen quod futurum fuerat, dixit, non quod jam factum, atque completum, sicut & ipse Propheta quo usus est teste, non ait, in omnem terram exiturus est, sed exiuit, inquit, sonus eorum, quod utique nondum erat factum. Quale est etiam illud, Foderunt manus meas & pedes meos, quod tam longe factum postea nouimus. Sed ne istas Propheticas tantùm locutiones, non & Apostolicas fuisse credamus, nonne idem Apostolus ait, Quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis? Sine dubio magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in Mundo, assumptum est in gloria. Nempè manifestum est hoc quod in extremo posuit, etiam nunc nondum esse completum, quantò magis tunc quando ista dicebat? Ecclesia quippè tunc assumetur in gloriam quando dicetur, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum; & tamen tanquam factum fuisset est dictum quod certò sciebatur futurum. Multò minus mirandum est, quod etiam verbis præsentis temporis usus est in eo quod illum identidem dixisse manifestavit, Propter spem quæ reposita est in vobis, qui ante audistis in verbo veritatis Evangelij quod aduenit in vos, sicut & in omni Mundo est fructificans & crescens: quamuis Euangelium nondum Mundum tenebat uniuersum: sed fructificare illud in uniuerso Mundo dixit & crescere, ut ita significaret quousque fuisset fructificando, & crescendo venturum.* Hucusque Beda, cujus expositio, seu sententia, Patribus, & Ecclesiæ sensui est multò magis consentanea; censent enim fideles communiter non interiturum Mundum, nisi priùs ubique (ut suprà ostensum est) prædicatum fuerit Evangelium. Tradit id in primis

nis D.Hieronymus in cap.24. Matth.his verbis: *Signum Dominici adventus est Euangelium in toto Orbe prædicari, ut nullus sit excusabilis.* Deinde S.Joannes Damascenus lib.4. cap.28. cùm ait: *Sanctum Evangelium apud omnes prædicetur, necesse est, & tunc revelabitur iniquus ille &c.* Sed ante Damascenum D. Augustinus in Epist.80. ad Hesychium non solùm ita sensit, sed etiam pro hac sententia pugnat; ait enim: *Quod dicitur: prædicabitur Euangelium in toto Orbe, per ipsos Apostolos factum esse, non ita esse, certis documentis probatum est; sunt enim in Aphrica barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum esse prædicatum Euangelium ex his, qui ducuntur inde captivi, addiscere in promptu est:* & infrà concludit: *si ergo latet quando Euangelio universus Orbis implebitur, procul dubio latet, quando finis erit.* Idem docuit Origenes Tract.28.in Matth. Theodoretus in Epist.2. ad Thessalonicenses cap. 2. S.Thomas lect. 3. in cap.10. Epist.ad Rom.& alij multi Patres recentiores, quos citat Suarez tom.2. in 3.P. D.Thomæ disput.56. sect. 1. Bellarminus lib.3. de Romano Pontifice cap.4. Sherlogus loco suprà citato sect. 15.& Malvenda lib.3. cap.32.

An tempore Apostolorum Evangelium jam prædicatum fuerit in universo Orbe.

XVIII.

Ex Evangelio nondum in toto Orbe prædicato rectè concluditur, quòd Antichristus nondû venit: ac proinde Mahometes, aut Papa, nullo modo dici potest Antichristus.

Manet igitur firmum, Antichristum non venturum, nisi priùs prædicato in toto Orbe Evangelio, quod cùm hucusque impletum non sit, rectè concluditur, Antichristum nondum apparuisse: ac proinde Mahometem, aut Romanum Pontificem nullo modo dici posse Antichristum; quamvis hæretici ex D.Augustino (ut suprà dicebam) velint probare, Romanum Pontificem esse Antichristum: nam ad S.Augustinum respondet Cornelius à Lapide ubi suprà. Primò, eum nihil habere commune cum hæreticis: non enim ipse Pontificem Romanum vocat Antichristum; nec populum, aut Ecclesiam illi adhærentem; sed totam impiorum, putà Turcarum, Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum, & malorum Christianorum, multitudinem. Hujus autem non est caput Romanus Pontifex: quid enim juris habet ipse in Turcas, Saracenos, Paganos? Immò hujus multitudinis nullum in terris est caput, nullus homo, nullus Rex, Pontifex, aut Monarcha, qui illi præsit, ut patet. Non ergo S. Augustinus per Antichristum Romanum Pontificem, aut alium hominem, qui impiorum multitudini præsit; sed solùm ipsam impiorum multitudinem & congeriem intellexit. Adde, S. Augustinum non loqui asseveranter, sed dubitando, & ex aliorū sententia, ut patet intuenti:& tantùm explicare quomodo Antichristus dicatur sessurus in templo Dei, de quo infrà dicam; alioqnin eodem cap. inferiùs bis dicit August. Antichristum fore particularem hominem, & non nisi in fine Mundi venturum: hæcque, ut suprà dixi, communis est aliorum Patrum sententia, cui nemo præponet unum Augustinum

Respondetur ad authoritatem S. Augustini.

D. Augustinus asserit Antichristum fore particularem hominem.

stinum (etsi concederemus diversæ eum fuisse sententiæ, quòd tamen non concedimus) cùm nec Augustinus illi se præponere, vel opponere voluisset. Sic alibi sæpè, uti patet in explicatione Psalmorum, S. Augustinus, omisso (non tamen negato, sed potiùs præsupposito) sensu literali S. Scripturæ transit ad mysticum vel symbolicum, tanquam magis subtilem, reconditum & pium. Hic enim est genius S. Augustini, ut novis, ingeniosis & piis sensibus se pascat.

XIX. Secunda ratio est, quia ait S. Paulus, ut suprà demonstratum est, quòd homo peccati, scilicet Antichristus non veniet, nisi venerit discessio primùm: sed quid per discessionem intelligat Apostolus, & à quo futura sit, declarant uno consensu (ut suprà audisti) Sancti Patres. Primò quidem, ut à Romano Imperio deficiat Orbis: quod non ita apertè declaravit, ne si dixisset Romanum Imperium defecturum, justam causam dedisset consurgendi contra tunc nascentem Ecclesiam, & eam opprimendi. Satis sibi factum esse credens, quod ore sive verbo priùs illis declaraverit. Deinde illa futura discessio totius Orbis, non modò erit à Romano Imperio, sed ab Ecclesia quoq; & Fide Christiana. Ut tunc venturus sit filius perditionis, cùm ingens multitudo eorum, qui Christi vocabulum portant, à Religione Christiana deficiat. Facilè namque ab hominibus ita depravatis filius sathanæ suscipitur. Quomodo ergo Romanus Pontifex est Antichristus, si iste non est venturus, nisi illo à Sede Apostolica pulso? Ostendimus enim suprà, & est communis recentiorum sententia, Romam extremo illo Mundi tempore ad antiquam potentiam & Ethnicismum esse redituram, & suum Pontificem exacturam: sed ille tunc Roma exactus aliò commigrabit, vel in deserta se condet & latitabit. Forsan in partes Orientis ac Terræ Sanctæ eo tempore secedet: nam cùm veniet Antichristus in Judæa Christianismum repertum iri demonstrat Malvenda lib. 10. cap. 9. At quamquam Sedes Apostolici Principis Roma tunc dimovebitur: attamen Summus Ecclesiæ Antistes semper manebit Christi Vicarius re ipsa & nomine Episcopus Vrbis Romæ, & si in ea Vrbe non habitet: quod aliquando jam fuisse factum, norunt omnes: nimirum illis septuaginta annis quibus Romani aliquot Pontifices vixerunt in Gallijs. Confirmat id Robertus Card. Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 4. his verbis: *Neque obstat, quòd tempore Antichristi Roma desolanda & concremanda videatur, ut deducitur ex capite* 17. *Apocalypsis. Nam hoc non fiet nisi in fine Mundi: & præterea tunc etiam Summus Pontifex Romanus Pontifex dicetur, & erit, licèt Romæ non habitet, ut accidit tempore Totilæ Regis Gothorum.* Nimirum in Vigilio, qui tunc aberat.

Discessio quid sit.

Romanus Pontifex, antequam veniat Antichristus, Roma erit expulsus.

Eo tempore ubi se condet, aut latitabit.

Romanus Pontifex, etsi Roma ejectus, tamen Rom. Pontifex dicetur, & erit, licèt Romæ non habitet.

XX. Tertia ratio est, quia ostendimus suprà, Antichristum non esse ven-

venturum, nisi postquam omninò eversum fuerit à decem Regibus Romanum Imperium: & hoc esse signum proximè advenientis Antichristi suprà quoque demonstravimus. Atqui necdum omninò eversum est Romanum Imperium, nec hactenus visi sunt decem Reges illud evertentes: ergo necdum venit Antichristus. Quarta ratio, quia suprà demonstratum est, quòd Antichristus erit ex diametro contrarius Iesu Christo, ejusque nomen, Fidem & cultum tollet, voletque ipsemet haberi Christus & Messias: atqui nec Papa, nec quis alius similis hactenus Christi Fidem & cultum sustulit, voluitque haberi Christus: ergo nec Papa, nec aliquis illi similis hactenus fuit, qui esse possit Antichristus. Quinta, quia Antichristus abrogabit in Ecclesia juge Sacrificium (quod non potest esse aliud quàm Missa) omnemque Dei cultum & cæremonias, immò omnem Religionem, ut patet Danielis 12. ver. 11. atqui hactenus perdurat Missæ sacrificium, Dei cultus, & cæremoniæ in Ecclesia Romana: ergo hactenus in Ecclesia Romana non est visus Antichristus. Sexta, quia Antichristus Deo vero omnique Numini adversabitur, voletque ipse solus haberi & coli in templo ut Deus & Numen: atqui nec Papa, nec quis alius hactenus omne Numen sustulit, voluitque ipse in templo coli ut Numen: ergo nec Papa, nec quis alius hactenus fuit Antichristus. Ridiculè ergo Vvolfgangus Musculus, Antichristus (inquit) idem est, quod Vicarius Christi, qualem se jactat Papa Romanus: ipse ergo est Antichristus. Primò enim, hoc repugnat Græco anti, quod in compositione non Vicarium, sed oppositum, aut contra positum & æqualem significat. Sic antitheos apud Homerum & alios dicitur, non qui Dei Vicarium se dicit, sed qui Deo adversatur, vel qui Deo est æqualis, & quasi contra positus; sic antipalos significat antagonistam, & æmulum in lucta. Sic antistrategos, non significat Vicarium Ducis, sed Ducis oppositum, aut eum qui est loco Ducis, non ut Duci subjectus, sed ut illi æqualis & contrapositus. Adde, si Antichristus idem est quod Vicarius Christi: ergo Petrus & Paulus omnesque Apostoli fuerunt Antichristi: ipsi enim fuerunt Vicarij Christi. *Pro Christo* (inquiunt 2. Corinth. 5. ver. 10.) *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Legatus enim vice Regis legatione fungitur, estque Regis Vicarius. Et cap. 10. dicit Paulus se incestuosum absolvere ab excommunicatione *in persona Christi*; non tantùm ergo vicem, sed & personam Christi gerebat Paulus. Secundò, Antichristum significare, non vicarium, ut vult Musculus, sed contrarium Christo, suprà ostendimus, & patet id ex D. Paulo 2. ad Thess. 2. ubi Apostolus explicans nomen Antichristi, quòd scilicet Christo, & Deo omnique Numini sit se oppositurus, sic ait: *Qui adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus,* aut

Extinctio Romani Imperii erit signum proximè advenientis Antichristi.

Antichristus erit cõtrarius ex diametro Iesu Christo.

Abrogabit juge Sacrificium.

Antichristus omni Deo adversabitur.

Nomen Antichristi non convenit Romano Pontifici.

Antichristus non significat Vicarium Christi.

Antichristus erit omni Deo contrarius.

aut quod colitur. Vnde liquet primò, Antichristum non solùm Christo, sed etiam omni Deo fore contrarium. Vel ex hoc solo videant viri cordati Novantium calumniam & imposturam, dum Romanum Pontificem contendunt facere Antichristum; ut enim alia taceam, hæc demonstratio calumniam hanc evertit. Antichristus negabit Christum, eritque Christo & Deo (ut audisti) contrarius: immò volet ipse haberi & coli (ut ostendimus) quasi Deus & Christus: atqui Romanus Pontifex non vult coli ut Christus, nec Christum negat: immò credit in Christum. Christum colit & adorat: ergo non est Antichristus. Secundò liquet, Antichristi superbiam fore tantam, non tantùm ut adversetur Christo & Deo; sed etiam ut se extollat ac præponat Christo omnique Deo, dicatque se majorem esse, magisque colendum & adorandum esse Christo, ac quovis Deo. Volet enim Antichristus non tantùm coli super omnem cultum & Religionem, sed etiam super omne Numen, immò ipse solus volet haberi pro Numine & Deo. Hoc enim subiicit S. Paulus: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*; vel, ut clarè habet alia lectio, *ostendens quòd ipse sit Deus*. Hinc patet, nomen Dei illic propriè accipi. Perperam ergo Novantes sic explicant, Papa, inquiunt, extollitur super omnes Deos, id est, Reges & Principes, qui Psal. 81. ver. 1. vocantur Dij, cùm dicitur: *Ego dixi, Dii estis*. Perperam inquam: nam quales Deos ibi intelligat Psaltes, mox explicat, dum subdit: *Et filii Excelsi omnes*. Illic verò de Antichristo dicitur, quòd adversabitur & extollet se super omnes Deos & Numina, ita ut in templo Dei sedeat, velitque coli ut Numen, ostentans se quasi ipse solus sit Deus, ut ostensum est. Dii ergo & Deus non Reges illic, sed ipsum Numen significant, uti docent omnes Patres, & fatentur Erasmus, Vatablus & Beza. Idem de Antichristo docet Daniel cap. 11. ver. 36. & 57. *Elevabitur*, inquit, *& magnificabitur adversus omnem Deum, & adversus Deum Deorum loquetur magnifica, & Deum patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia adversus universa consurget*. Hinc sequitur primò, quòd Antichristus omni Divino cultu, & omnis Religionis actibus quasi Numen coli volet, ac consequenter volet sibi fieri sacrificia, templa, vota, volet per suum nomen jurari; volet adorari, non tantùm dulia, sed etiam latria; volet invocari ut dator & auctor omnium frugum, opum & bonorum, immò ut auctor omnis gratiæ & gloriæ. Quis Pontificum hactenus ita se extulit, ut ita coli vellet? qui Reges & Principes tam stolidi fuerunt, ut hos illi honores detulerint.

Antichristi superbia.

Perperam Novantes Papam esse Deum nugantur.

XXI.

Cultus qui defertur Romano Pontifici qualis.

Dices, Romanus Pontifex sella aurea circumgestatur triplici tiara insignis in supplicationibus, quasi Numen quoddam, cui Reges & Principes pedes exosculantur. Respondeo, Hic omnis honor non

est

est Numinis, nec latriæ, sed longè inferior, quem multi etiam Reges & Principes apud varias gentes usurparunt. Sic enim Abraham adoravit filios Heth curvans se in terrã Gen.23.ver.7.Sic Saraceni, Asiani, Iapones, Sinæ, dum quem honorare volunt, in terram se prosternunt, & fronte humum feriunt. Denique hunc honorem & reverentiam Ecclesiæ in suo capite Pontifice à Regibus esse deferendam prædixit Isaias cap.49.ver.13.*Et erunt*, inquit, *Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terra demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* An non amplius est lingere pulverem pedum, quàm pedes exosculari? hic honor ergo Pontifici debetur tanquam Hierarchæ, & summo Sacrorum Antistiti, ac Christi Vicario; ac consequenter hoc honore non tàm Pontificem, quàm Christum in Pontifice veneramur. Propter Christum enim, & respectu Christi, cujus vicem gerit Pontifex, hunc honorem Pontifici deferimus. Vnde patet, hunc honorem non esse contrarium honori Christi, nihilque de Christi honore demere; immò potiùs Christi honorem augere & amplificare. Sicut enim qui Legatum honorat, Regem, qui eum misit honorat; Rexque putat se honorari, si Legatus suus honoretur; & vice versa se despici, si Legatus despiciatur: ita & Christus se honorari aut contemni putat, cùm sui Vicarii Apostoli, & Pontifices honorantur aut contemnuntur: *Qui vos audit*, inquit, *me audit; qui vos spernit, me spernit.*

XXII.

Secundò sequitur, Antichristum atheum fore, & cùm pleno potietur Imperio, non tantùm Christum, idola & Deos Gentium, sed & Deum verum, ejusque cultum, quantum in se est, è Mundo ablaturum. Ipse enim solus volet coli, ut Deus; id enim clarè significant præadducta D.Pauli verba. Dices, Quomodo ergo Daniel cap.11.ver. 18. dicit de Antichristo, per typum Antiochi Epiphanis, quòd colet Deum Maozim? Resp. Quia Antichristus licèt publicè solus coli volet ut Deus, privatim tamen colet suum dæmonem, quem nuncupabit Deum Maozim, id est, fortitudinum & munitionum; quia ejus ope, fortitudine & potentia omnia sibi subjiciet Antichristus.

Antichristus erit atheus.

Occultè tamen colet Deum Maozim.

XXIII.

Septima ratio est, quia Antichristus, ut docet Daniel cap. 12. ver. 11. tantùm regnabit dies mille ducentos nonaginta: atqui Papa per plures dies, immò annos regnavit: ergo Papa non est Antichristus. Respondent Novantes, Danielem diem pro anno accipere; sed contra hoc facit, quòd D.Ioannes Apocal. 11. ver.2. & 3. dies redigat ad menses, numeretque menses persecutionis Antichristi quadragintaduos, quibus calcabit Ecclesiam & Civitatem Sanctam. Rursum Daniel cap.7. ver. 25. docet Antichristum regnaturum *per tempus*, id est, annum (sic enim Daniel cap. 4. ver.29. dicit Nabuchodonosorem cum bestiis vixisse per septem tempora, id est,

Antichristus regnabit dies mille ducentos nonaginta.

septem annos, uti omnes exponunt) *& tempora*, id est, duos annos, *& dimidium temporis*, id est, anni. Voluit enim Daniel numerare & consignare certa & definita tempora, id est, annos Monarchiæ & persecutionis Antichristi, dicitque eos fore tres cum dimidio, qui efficiunt menses 42. quos numerat S. Joannes in Apocal. & dies 1290. quos numerat Daniel cap. 12. ita docent passim Patres: atqui Pontifex non tres annos cum dimidio, sed plusquam mille annis in Ecclesia regnavit & præsedit: ergo Pontifex non est Antichristus.

Monarchiæ Antichristi tres anni cum dimidio.

XXIV. Octava ratio est, quia Antichristi Imperium erit ultimum Mundi, eritq; sub finem Mundi, paulò ante Judicium, ut patet Daniel. 7. ver. 21. 22. 25. 26. atqui Papa iam diu ante finem Mundi diemq; Judicii, scilicet mille & amplius annis, regnavit: ergo Papa non est Antichristus. Nona, quia Antichristus occidet Eliam & Enoch, ut patet Apocal. 11. ver. 7. estque communis sententia Patrum: atqui Papa non occidit Eliam & Enoch, nec Elias & Enoch hisce mille annis visi sunt: ergo Papa nõ est Antichristus. Decima & ultima ratio est, quia Antichristus non regnabit Romæ (illa enim ante Antichristum evertetur & concremabitur à decem Regibus, ut suprà ostensum est) sed Hierosolymis, ut patet Apocal. loco indicato ver. 8. Papa autem non regnat Hierosolymis, sed Romæ: ergo Papa non est Antichristus. Hinc patet, ridiculum esse dicere venisse Antichristum, ut asserunt Novantes, qui id probant ex multis locis D. Joannis: sed perperam illa intelligunt. Vnde, ut ea Apostoli & Evangelistæ loca lector agnoscat, audiat Bartholomæum Medinam, qui in 3. Partem D. Thomæ quæst. 8. art. 8. loquens de Antichristo, adducit loca Sancti Joannis, & explicat, ita scribens: *Joannes dicit prima sua Canonica cap. 2. Filioli nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt, unde scimus, quia novissima hora est: & statim subiiciens definitionem Antichristi ait: Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Item omnis spiritus, qui solvit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus. Et in secunda sua Canonica, Omnis, qui non confitetur Iesum Christum venisse in carnem, hic est seductor & Antichristus. Vnde secundum traditionẽ Ioannis, & vocis etymologiam Antichristus nihil aliud est, quàm adversarius Christi, & tales quidem sunt multi in Mundo, immò tales fuère temporibus Apostolorum, dicente Ioanne in loco præallegato, quia Antichristus venit, & iam sunt Antichristi multi. Sed observet Theologus, quòd hoc in loco vox, venit, non est præteriti temporis, sed præsentis, ut evidenter constat ex Græco. Dicimus enim venire, quidquid certò futurum nunciamus, & iam in proximo est. Sed addit Ioannes, & nunc Antichristi multi sunt. Quin & cap. 4. dicit, Antichristus iam venit, & nunc iam est in Mundo, quid*

Antichristus occidet Eliam & Enoch.

Regnabit Hierosolymæ.

Ridiculum Novantium deliriũ Papam dicere Antichristum.

Definitio Antichristi.

igitur

igitur modo prædicatur venturus, si tunc temporis erat iam in Mundo? Ad hanc interrogationem duplex responsio adhiberi solet. Prior est, hoc nomen Antichristus in Sacris literis dupliciter sumi: uno modo pro collectione hominum sceleratorum, qui dicuntur Antichristi ex eo quòd adversantur Christo, & ex eo quòd sunt figura illius hominis pessimi, qui futurus est temporibus extremis, & ita usurpat, hanc vocem D. Ioannes in locis præallegatis. Accipitur rursus, hæc vox pro quadam persona singulari, quam suis coloribus describit D. Paulus 2. ad Thes. cap. 2. Posterior solutio est, quòd tempore D. Ioannis erat Antichristus in Mundo non secundum personam, sed secundum similitudinem spiritus & rebellionis. Sicut Helias dicebatur venturus ante Christum prædicantem, quia Ioannes venit præcedens Christum in spiritu & virtute Heliæ. Et si vultis scire, inquit Salvator, ipse Joannes est Helias, scilicet spiritu & virtute. Prorsus eadem phrasi dixit Joannes Evangelista: & nunc Antichristi multi sunt: quia nunc multi rebelles, & subdoli homines sunt in Mundo, præcurrentes illum in spiritu seductionis & malitiæ. Attamen sub specie ac velamine quodam pietatis, quod Apostolus dicit: Nam mysterium jam operatur iniquitatis, scilicet in præcursoribus suis. Addo, ut vox, Christus, communis est multis, ita vox Antichristus. Et sicut aduentum Christi præcesserunt multi Christi, typum gerentes illius venturi, qui Antonomaticè præ omnibus aliis dignus est possidere nomen Christi: ita multi seminantur per Mundum Antichristi malitia & rebellione, typum gerentes illius venturi, qui Antonomaticè dicitur Antichristus præ omnibus aliis, eò quòd scelere & rebellione longè, & ultra modum antecellet uniuersos. Sic Medina. Sed nimirum livor mentem excæcat & durum est telum necessitas. Novantes vident suas & alias aliorum quavis ætate hæreses à Romano Pontifice damnari, & damnatas esse. Quid agant ut judicem hunc declinent? necesse est ut faciant Antichristum: si enim eum Christi esse, cum Christo, pro Christo, Christique Vicarium faterentur, diceremus eis, Cur ergo ejus sententiæ, immò Christi sententiæ non acquiescitis? Tolerabilius foret, & in speciem probabilius quippiam dicerent, si Papam non Antichristum, sed Antichristi prodromum & præcursorem clamitarent: tunc enim Scripturæ, quam se sequi clamitant, de Antichristo loquenti vim tantam non inferrent; licèt Pontifici atrocem calumniam & injuriam irrogarent. Verùm odium & indignatio eos ultra metam abripit, perinde ut rixosæ mulieres, quæ ubi rixari cœperint, ex animi impotentia quiquid cholera suggerit, adeòque plaustra convitiorum evomunt. Viri cordati qui rem non passione, sed rationis trutina metiuntur, satis perspiciunt has calumnias ex odio in Pontificem profectas, quæ in ipsosmet qui eas jaciunt, lon-

Varia significatio huius nominis Antichristus


Hæretici symmystæ Antichristi.

gè veriùs quadrent. Hæreticos enim esse Antichristos, id est, Antichristi symmystas & socios, eodemque cum Antichristo spiritu agi, docet S. Joannes Epist. 1. c. 2. v. 22. *Quis est*, inquit, *mendax, nisi qui negat quoniam Jesus non est Christus:* (uti negavit Cherinthus hæreticus) *hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium*. Et ver. 18. *Nunc*, inquit, *Antichristi multi sunt. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* An non Lutherus, Calvinus, Menno exiverunt ex nobis? ex nostra Ecclesia Catholica Romana? atque ut se excusent, clamitant illam factam esse meretricem Babylonis, scortum Antichristi & diaboli. Verùm hoc ipso faciunt se Antichristi & meretricis hùjus filios, spurios, diabolicos. Ipsi enim, ut dixi, in hac Ecclesia nati & baptizati & educati sunt.

XXV.

Quarta ratio, quare Deus Antichristum in Babylone potiùs, quàm alibi nasci voluerit.

His igitur ostensis, modò transeo ad ostendendam quartam rationem, quare Deus Antichristum in Babylone potiùs, quàm alibi nasci voluerit. Est hujus ultra præostensas rationes alia ejusmodi, quoniam Babylone magis, quàm alibi Iudæi florent, & ibi mendaciis confictam successionem quandam à tribu Iuda & familia David servant, & ex ea nasciturum expectant Messiam; Antichristus autem pro Messia à Iudæis recipietur; ergo ibi nascetur. At, si dicatur Antichristus ex tribu Dan nasciturus, ut suprà demonstratum est, quomodo ex hac prosapia Davidis Babylone servata orietur? Respondet Malvenda lib. 2. cap. 15. fraude diaboli contingere posse, ut aliqua mulier, vel orta ex familia Davidis, vel matrimonio viro alicui ex eadem tribu conjuncta, arte dæmonis incubi per acceptum semen ex viro quopiam Davidico gravida reddita Antichristum pariat.



TRA-



TRACTATVS TERTIUS

De educatione & progreſſu Antichriſti à pueritia uſque ad ſuam coronationem, ac debellationem & extinctionem, quam ipſe perpetrabit, trium Regum, nempè Ægypti, Libyæ atque Æthiopiæ.



Irca locum ubi educandus eſt Antichriſtus extat ſententia proximè narranda S. Methodii Martyris, qui multa de Antichriſto ſcripſit: nam huic in carcere exiſtenti (ut ait D. Hieronymus de viris illuſtribus, & refert Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 8. cap. 90.) facta eſt revelatio plurimorum de tempore adventus Antichriſti, quæ S. Martyr Scripturæ commendavit: & aſſerit in illa ſecundum D. Antoninum Archiepiſcopum Florentinum 4. Par. Theolog. tit. 13. cap. 4. §. 5. Antichriſtum nutriendum eſſe in Nazareth, & appariturum primò in Capharnaum & Corozain, ubi regnare incipiet. Motus eſt forſan S. Methodius id aſſerere ex his rationibus, ſeu conjecturis. Primùm, quòd Chriſtus Dominus in Nazareth nutritus & educatus, & converſatus fuerit: ac ſæpè vixerit, prædicaverit, & multa præclara miracula ediderit in Capharnaum & Corozain: at Anti-

I.

S. Methodius Martyr multa de Antichriſto ſcripſit.

Huic dicitur Chriſtus multa revelaſſe.

Locus ubi educandus & nutriendus eſt Antichriſtus ſecundù S. Methodium Martyrem.

Antichristus, ut se verum Christum mentiatur, videtur simiam veri Christi in his acturus & iisdem passibus incessurus. Deinde, quia Dominus noster Vrbibus illis vehementer exprobravit infidelitatem, ac eas graviter objurgavit ob superbiam & incredulitatem, quoniam tantis ab eo patratis Divinis operibus, tàm salutari prædicata doctrina, nec permovebantur, nec resipiscebant. Quæ sanè tàm diræ imprecationes nescio quæ mali ominis præsagia portendisse videntur, nimirum quia Christum non receperint, in pœnam sceleris Antichristum sint suscepturæ. Et planè videri potuit Dominus ardentius in istas incanduisse, quòd præsciret veluti maledictas & execrabiles futuras præsentia & conversatione Antichristi.

II. Ex his igitur fortasse induci potuit S. Methodius Martyr ad asserendam enarratam sententiam, quam etsi multi (ut infrà patebit) reiiciant, eò quòd libellus revelationum de novissimis temporibus, qui circumfertur sub nomine S. Methodii, supposititius censetur, tamen admittunt quidam haud ignobiles, sed graves Auctores, qui illum libellum non tanquam supposititium, sed ut verum S. Methodii, Olympi primò Lyciæ aut Pataræ, postea Tyri Episcopi, partum agnoscunt. In qua sententia videtur Malvenda lib. 1. de Antichristo cap. 1. cùm inquit: *Verùm quo loco habenda sint, quæ hujus Patris nomine scripta feruntur, eruditorum judicio relinquimus: nobis enim ut suspecti partus haud satis probantur.* Præterea S. Methodius Martyr cùm esset vir eloquii nitidi compositique sermonis conscripsit pro defensione Sanctarum Scripturarum adversus insanum Porphyrium, qui eas oppugnaverat, præclarissimum opus. Edidit etiam de decem Virginibus Symposium seu Convivium: & de Resurrectione contra Origenem sermonem optimum, cujus nunc solùm extant fragmenta satis magna apud S. Epiphanium hæresi 64. ubi S. Methodium & Eubulium dictum esse tradit. Reliquit quoque S. Martyr De exitu animæ librum unum. Item composuit Chronicam seu librum Chiliadum. Qui liber multis scatet erroribus: unde Iacobus Salianus tom. 1. Annalium Ecclesiasticorum veteris Testamenti ad annum Mundi 1756. existimat illum, Rabinorum potiùs commentum, quàm scriptum S. Methodii. Alphonsus verò Tostatus in cap. 10. Gen. quæst. 5. dicit esse S. Methodii, & ante Tostatum Petrus Comestor Auctor Historiæ Scholasticæ in Historia libri Genesis cap. 37. idem affirmat. At Augustinus Torniellus tom. 1. Annalium Ecclesiasticorum ad annum Mundi 1756. quædam hujus libri S. Methodii suspecta putat, sive ab aliquo perperam adjecta, sive ab ipso S. Methodio falsò prolata: nam asserit ibi Torniellus S. Methodium in præostenso suo libro in multis fuisse deceptum. Et quamvis in illis fallatur; non tamen (subdit Torniellus) reliqua omnia, quæ ibidem

S. Methodius Martyr scripsit libellum revelationum de novissimis temporibus.

Aliæ huius S. Martyris lucubrationes.

Liber Chiliadum S. Methodii, qui & Eubulius dictus est, multis scatet erroribus.

Scripsit S. Methodius de resurrectione opus egre-

dem S.Martyr ait, tanquam fabulosa, & falsa reiicienda videntur. Scripsit adhuc S. Methodius in Genesim Commentarios. Item in caput 28. primi Regum de Phytonissa & libera voluntate librum unū adversus præfatum Origenem: & de arte georgicorum. Edidit quoque in Cantica Canticorum librum unum. In Apocalypsim librum unum: cujus fragmenta leguntur in Rapsodiis explanationum Arethæ in Apocalypsim. Vnde nihil mirum si multa de Antichristo tradiderit vir ille eximiæ doctrinæ, & præcellentissimæ Sanctitatis; Pontificio calore paucis Sanctorum secundus, & plerisque etiam senior atque illustrior; cujus virtutum merita gravissimus Scriptor S. Hieronymus Stridonensis lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis dignis laudum Encomiis celebravit.

gregium contra Origenem, & aliud contra eundem de Phytonissa & libera voluntate.

III.

S. Methodius quo tempore claruerit.

Hic fuit natione Græcus, & claruit (ut inquit ubi suprà D. Hieronymus) tempore Diocletiani Imperatoris, & anno ejus 20. in Chalcide Græciæ urbe, quæ Nigropontum appellatur, glorioso Martyrio coronatus est XIV. Kal. Octobris: licèt sint, qui affirment eum passum esse sub Decio & Valeriano, quam opinionem secutus est & Suidas in Methodio: nam de ejus passione loquens, ita scribit: *In extrema persecutione sub Decio & Valeriano, Chalcide, quæ est in Oriente, Martyrio est coronatus.* Sed hæc opinio refellitur ex eo, quòd idem Suidas ait, & nos ostendimus suprà, S. Methodium Martyrem, splendida & composita oratione scriptis nobilissimis editis, redarguisse vesaniam Porphyrii, qui à Fide apostata in Christi Religionem tres virulentos ediderat commentarios: constat enim Porphyrium scripsisse tempore Diocletiani Imp. cùm Dei Ecclesiæ destruerentur, & immanis in Christianos sæviret persecutio, ut constat ex Lactantio lib. 5. cap. 2. qui licèt eum non nominet, tamen suis coloribus pingens, ipsum optimè repræsentat.

Eius Martyrium.

Cōposuit adversus insanum Porphyrium libros luculentos.

IV.

Auctor redit ad id unde digressus est.

At verò à sententia suprà enarrata S. Methodii Martyris de loco ubi educandus est Antichristus non absunt D. Anselmus in Elucidario, Rabanus in Tractatu de Antichristo, & alii, qui tradiderunt Antichristum nutriendum atque educandum esse in Bethsaida & Corozain urbibus quondam Galilææ insignibus, quæ quasi præscitæ ad hoc malum in Christi prædicatione, qua fuère nobilitatæ, converti noluerunt. Unde eis Dominus in Evangelio S. Matth. cap. 11. ver. 21. imprecatur, dicens: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, si usque in Cælum exaltaberis* (ob Christi scilicet præsentiam) *usque ad Infernum detraheris*, ob Antichristi scilicet educationem, & Regnum. Rabanus quidem hæc ait: *In ciuitatibus Bethsaida & Corozain nutriri & versari dicitur Antichristus: quibus ciuitatibus Dominus in Euangelio imprecatur, dicens: Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim.* Sed hæc, & alia suprà enarrata, Franciscus Suarez tom. 3.

A sententia S. Methodii Martyris de loco ubi educandus est Antichristus non absunt D. Anselmus, Rabanus, & alii.

Com-

Auctores, qui hanc sententiam reiiciunt.

Commentariorum in 3. Part. Angelici Doctoris S. Thomæ disp. 54. sect. 5. & Cornelius à Lapide in 2. ad Thess. Epist. cap. 2. censent vel frivola, vel incerta esse, nullaque auctoritate Sacræ Scripturæ, aut solido rationis fundamento suffulta. Malvenda verò lib. 2. cap. 21.

Auctores, qui eam admittunt.

existimat nullo pacto esse repudianda, nimirum à præstantibus Sanctitate & eruditione Patribus prodita, quos aliquas causas ita asserendi habuisse, quamvis nos lateant, negari non potest. Respondetur ad Malvendam, non omnes Patres in his convenire, nec ea tradere, ut certa; sed tantùm ut probabilia, seu ut vocantur à D. Au-

Auctoris iudiciũ.

gustino lib. 20. de Civitate Dei cap. 5. ut suspiciones; quare & pro talibus à nobis haberi, nullum est inconveniens.

V.

Antichristus forsan in Babylone educandus secũ Malvendam.

Verùm si quibusvis conjecturis (ut ait ubi suprà Malvenda) esset agendum, haud absurdè censeremus in ipsamet Babylone ubi nasciturus est, educandum fore Antichristum: nam cùm suprà sit à nobis ostensum ex infimæ fæcis parentibus Babylone esse procreandum, quænam ratio esse potest, ut mox natus ab ipsis extrema paupere sordidissimis è Babylone in Judæam, ut ibi educetur exportandus sit, nisi dicamus ipsum à circumforaneo quopiam mendicabulo, quæ nullibi consistere solent, generandum: at cùm Babylone sit nasciturus, & ibidem Regnum auspicaturus, verisimilius apparet in eadem regione pueritiam & adolescentiam traducturum. Quamvis

Antichristus clam & furtivè educandus secundum S. Ioannem Damascenum.

ipse cùm rapiet Imperium, omnia de sua origine atque prima pueritia mentietur, quo facilius pro Messia à cæcis obtusisque Judæis recipi possit, ut infrà dicturi sumus. Libentius tamen (ut subdit Malvenda) S. Damasceno assenserimus asserenti lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 27. Antichristum clam & furtivè educandum esse, quod probabilius censet Viegas sect. 5. de Antichristo; nempe ignoratis ab improbo vulgo ejus solo, natalibus, parentibus &c. faciliùs imponet hominibus ac se de Cælo lapsum mentietur, & quæcunque volet de se finget. Nec dubitamus asserere primæ pueritiæ & infantiæ suæ tempus in magna inopia & abjectione, atque obscuritate gessurum, ut nulla ejus ratio eo tempore ab ullo hominum sit habenda. Hæc Malvenda.

VI.

Antichristus professor in pueritia curiosarum & reprobatarum artium.

Occultè igitur educabitur Antichristus, qui veneficiis, incantationibus, & malis artibus erit instructissimus: quoniam clanculum & in abdito strenuam ac impigram operam præcipuè positurus in studio curiosarum ac reprobatarum artium, & Magiæ omne genus, in hisque præceptores exquisitissimos habiturus, ac ita evasurus omni ex parte absolutissimus magus, necromanticus, aruspex, divinator, sortilegus & incantator, ut sit superaturus omnes quotquot in studio ejusmodi feralium artium habiti sunt in Mundo primarii. Et id haud mirum, quia puer clam nutrietur à Magis divinatoribus & in-

& incantatoribus, à quibus plenè replebitur accuratissima omnifariæ Magiæ disciplina & omni falsitate: ultrà quàm paredrum, hoc est, familiarem quendam dæmonem ex scelestissimis habiturus, quocum sæpiùs colloquetur, cujus tanquam intimi convictoris consilio, opera, doctrina, monitis, ac præcipuo magisterio in omnibus utetur: qui ipsum præsertim in præstigiis, incantationibus, & universa Magia affatim imbutum & instructum reddet. Itaque dæmon docebit Antichristum scientiam rerum multarum & admirabilium, quæ nimirum vel nullis mortalium, vel paucissimis notæ sunt. Harum rerum, duo sunt genera. Sciet namque occultas vires rerum naturalium, quibus invicem ritè applicatis & compositis, mirifica perficiet opera. Alterum est genus rerum futurarum, quas noscendi, incredibili mortales ardent cupiditate. Huc spectat, quod sub figura Antiochi, de eo dixit Daniel cap. 8. *Et erit intelligens propositiones*: vel, ut alii verterunt, *ænigmata*: quo significatur, eum fore intelligentissimum rerum obscurarum, ad quarum scilicet intelligentiam, cæteri homines adspirare minimè possint. Quod autem diximus, Antichristum unum habiturum dæmonem familiarem, tradit Nicolaus de Lyra in 2. ad Thess. Epist. cap. 2. At Rabanus ubi suprà, non unum tantùm, sed plures dæmones duces, socios, & vitæ comites indivisos habiturum affirmat his verbis: *Habebit autem Antichristus magos, maleficos, divinos, incantatores, qui eum diabolo inspirante nutrient, & docebunt in omni iniquitate & falsitate & nepharia arte, & maligni spiritus erunt duces ejus & socii semper & comites indivisi.*

Occultè nutrietur à Magis divinatoribus & incantatoribus, à quibus plenè replebitur arte Magica & omni falsitate.

Antichristus habebit dæmonem familiarem, qui eum docebit scientiam rerum multarum & admirabilium.

Antichristus nō unum tantùm, sed plures dæmones comites & duces habiturus.

VII.

Exacta verò Antichristus infami pueritia, adolescentiam auspicabitur multo deteriorem: nam quis dubitet improbissimum omnium mortalium adolescentiam suam per omnia probra ac dedecora vitiorum contaminatissimam & exercitatissimam traducturum, ac penitùs rapturum? Sed in hac ætate acutissimo illo & præcocissimo ingenio quo pollebit, statim studijs omnis generis scientiarum se daturus, ac brevi ingentes progressus in his facturus, amplissima Encyclopædia parvo tempore percepta, usque adeò sanè, ut earum magistros ac doctores in admirationem & stuporem rapiat acuminis tàm præsentis & prompti. Admirandos etiam & stupefactos reddet illos & alios Antichristus, dum se verterit ad studium Sacrarum & profanarum literarum: nam totam Sacram Scripturam ejusque sensus multiplices, doctrinam, traditionesque Ecclesiæ, Patrum Commentaria: insuper Iudæorum comprimis, Mahometanorum, Hæreticorum, & omnium pravarum sectarum dogmata, memoriter proculdubio hausurus, ac retenturus iam inde ab adolescentia, ut omnibus his pro se & adversus Christum, ejusque Sacrosanctam Religionem abuti facilè queat. Quis enim istiusmodi quantumvis ingentia de

Studium & progressus Antichristi in adolescentia.

Antichristus omnes artes & Sacram Scripturam memoriter sciet.

ingenio tàm diabolico non credat? D. Anselmus ubi suprà, ita ait: *Erit sapientia & eloquentia incredibili; & omnes artes & Scripturam memoriter sciet.*

VIII. Sed ante omnia (ut inquit Malvenda lib.2. cap.22.) in Oratoria seu Rethorica, universaque arte dicendi ac persuadendi potissimùm omnes ingenii animique nervos intendet, ut quàm absolutissimus evadat. Assentator futurus est suprà quàm dici potest, facundiæ incredibilis, mentiendi & imponendi acutissimus artifex. Modis omnibus cuncta hominum ingenia demereri conabitur, nullo officii aut obsequij genere erga quoscunque prætermisso, profusissimis largitionibus, nepotinis sumptibus, monstrosa atque efficacissima eloquentia omnes sibi devinciet, obstringet, reddet obnoxios, ac veluti alter Hercules Gallus homines cujusvis generis ceu catenis vinctos trahet, retrahetq; pro libito, ut omnes ex ipsius ore pendere videantur. Gratiā & favorem hominū specie sanctimonię, pietatis, religionis, doctrinæ ac scientię sanè prodigiosæ, fictæ morum integritatis mirū in modū aucupabitur. Ingenio illo suo rerum omnium ad portentum usque capacissimo, forma ac specie pulcherrimi corporis, oris elegantia, verborum lenocinio, pigmentis dicendi, pollicitationibus, futurorum prænotionibus, vaticinationibusque quibus nihil validius inveniri possit ad permovendos, irretiendos, ac demetandos miseros mortales, & his similibus mille dolorum & fraudum artibus Mundum in admirationem & stuporem defiget, & omnium amorem ac propensissimum studium, operamque strenuam sibi potentissimè conciliabit. Itaque varijs utetur artificijs ad circumveniendos homines, sibique subijciendos: nam est futurus omnium callidissimus & vaferrimus, prout varia erunt hominum ingenia & studia. Equidem principio adeò simulator, hypocrita, & mirificus fingendi & imponendi architectus existet, ut raram & exquisitam sanctimoniā simulet, & omnis virtutis exemplum atque effigiem mentiatur. Flagitia siquidem cuncta secretò patrabit; at publicè palamque in cœtibus humanis omnes virtutum umbras & simulacra effingere conabitur, seque pro valdè bono, pio, religioso, probo venditabit. Et sic innumerabiles sui sectatores efficiet. In primis, eos qui studebunt virtuti, ac religioni, capiet specie ac simulatione sanctitatis: præcipuè trium virtutum, castitatis, abstinentiæ, & pietatis. Et verò, Antichristum egregium fore simulatorem & hypocritam, testantur Patres: Cyrillus, Damascenus, & alij infrà allegandi.

Antichristus erit absolutissimus Rhetor & Orator.

Antichristus maximus simulator & hypocrita.

IX. His nimirum (ut ait ubi suprà Malvenda) studiis tantisque artibus Antichristus abundè decoctus magnam amicorum cohortem, multam perditissimorum hominum colluviem coget, sibique adjunget: & ejusmodi fæcium & purgamentorum agminibus succinctus atque val-

Antichristus traducta perinfami adolescētia, multos coget, sibiq; adiunget,

vallatus, cum fidissimis amicorum primùm communicato consilio, se initio inter paucissimos clanculum prædicabit à Deo missum magistrum, Orbis instauratorem ac refectorem, quem Deus extraordinario & amplissimo munere instruxerit ad docendum, regendum, restituendumque Mundum, ac tot tantisque rebus fessis ac perditis ferendam opem. Quod equidem haud magna difficultate ipsum persuasurum, non ambigimus. Quinam autem sint futuri fidissimi amicorum Antichristi. Dico fore Judæos, quia eos maximè omnium sibi adjunget Antichristus, mentiendo se esse Messiam, & promittendo facturum se omnia, quæ Sancti Vates prædixerunt, Messiam esse facturum. Sed eo præcipuè Judæis placebit, quòd profitebitur se acerrimum hostem Christi & Christianorum. Judæos autem recepturos esse Antichristum pro Messia, tradunt Patres; & probant illis verbis Christi, quæ sunt apud D. Joannem cap. 5. ver. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, veniet alius in nomine suo, & illum recipietis.* Lege D. Joan. Chrysostomum homilia 40. in S. Joannem, & D. Hieronymum: qui verba illa Danielis in cap. 11. *Simulabit se ducem fœderis*, pertinere ait, ad Antichristum, qui faciet se principem fœderis & testamenti Judæorum, id est, Messiam.

Inter paucissimos ex fidissimis amicorum clam prædicabit se à Deo missum, Orbis instauratorem.

Quinam sint futuri fidissimi amicorum Antichristi.

X.

Itaque Antichristus primò Judæos sibi conciliabit, judaizando & promittendo eis bona temporalia, quæ ipsi à suo Messia avidè expectant: dando eis thesauros, quos dæmon ei subministrabit; erit enim opulentissimus: ejus enim thesauros extollit Daniel cap. 11. ver. 43. cùm inquit: *Dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis.* D. Anselmus in Elucidario, per thesauros hos intelligit omnem pecuniam, quæ in mari; vel in terræ visceribus occulta delitescit: hanc enim per dæmonem Antichristo prodendam esse. Hinc ergo Antichristus à Judæis recipietur & habebitur quasi Messias promissus, & tot sæculis ab iis avidissimè expectatus. Sed per Judæos sensim crescet Antichristus, fietque Rex: nam ostendimus suprà, quòd ipse traducta perinfami adolescentia, & detestando vitæ genere, ingenti versutia, fraudibus, dolis, & malis artibus comparatis nequissimorum hominum copiis, stipatus numerosissima amicorum, & aliorum nefandissimorum nebulonum phalange, re omni priùs diabolicis consiliis, & apparatibus tutissimè confecta, animis omniũ in se unum conversis, tandem cunctis exposcentibus, acclamantibus, publicè palamque Regnum, quod astu primùm recusaturus, ut propensiùs illi offerant, invasurus, atque rapturus: quia certum esse norunt omnes Antichristum non jure hæreditario, aut alio quovis justo titulo Regnum consecuturum, sed per fraudes & dolos illud comparaturum. Cùm enim ipsum dixerimus in præcedenti Tractatu futurum ex vilissimis parentibus, ex gente ac familia sordida, per-

Judæos in primis sibi conciliabit Antichristus

Opulentia Antichristi.

Antichristus fiet Rex opera Judæorum

Primordia Regni, & manifestationis Antichristi.

Antichristus nõ habiturus aliquod Regnum jure

iure hæreditario, sed habiturus potiùs modicam originem & paulatim, & fraudulenter Regnũ occupaturus

infami, ac prorsùs extremæ fortis, nullo pacto ad tantos Regni honores conscendere poterit, nisi per summam fraudulentiam: sicut clarè innuit Daniel cap. 11. cùm ait: *Et stabit in loco ejus despectus, & non tribuetur ei honor Regius: & ueniet clam, & obtinebit Regnum in fraudulentia.* Quæ verba, licèt secundùm Historiam, verissimè conveniant Antiocho Epiphani: ita quia is fuit multis in rebus figura Antichristi; tamen per typum, rectissimè intelliguntur de Antichristo.

Antichristus ab initio, obscurus & invalidus erit.

Hic enim à principio, erit valdè obscurus, abjectus, & nullius potentiæ, aut nominis: quamobrem idem Daniel cap. 7. appellavit eum, *Cornu modicum*; velut in ejus loci expositione, D. Hieronymus, Theodorētus, & alij communiter tradiderunt.

Cur Antichristus à Daniele fit dictus Cornu parvulum.

Nuncupavit igitur Antichristum S. Propheta Cornu parvulum propter ipsius vile, & obscurum principium. Quæ ratio est concors Patrum omnium ac Interpretum assertio, ut tradit Malvenda lib. 5. cap. 6. Joannes quoque in Apocalypsi, de Antichristo loquens, ait se vidisse bestiam de terra ascendentem: id est, Antichristum, qui primùm humili & infimo loco futurus erat. Latinorum enim proverbio, ignobiles & obscuri homines, appellantur filii terræ. Paulatim tamen Antichristus vires acquiret, & potentiam augebit. Principium autem crescendi faciet, conciliando sibi astutia, fraude, & cunctis malis artibus per summum scelus, multos, qui eum sectentur & prædicent, & potentiam ejus extendant. Et sic impius Regnum sibi usurpabit. S. Hieronymus super adducta illa verba Danielis 11. *Stabit in loco &c.* scribit, quòd etsi hęc aliquo modo intelligãtur de Antiocho Epiphane, lõgè perfectiùs implenda sunt in Antichristo, *qui*, inquit, *consurgere habet de modica gente, id est, de populo Judeorum, & tàm humilis erit atque despectus, ut ei non detur honor Regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat Principatum.* Eadem Theodoretus, Strabus, & alij omnes, quibus favet D. Cyrillus Catechesi 15. dum ait: *Antichristus non à Patribus accipiens Regnum, sed arte Magica Principatum usurpabit.* Ea namque arte atque ficta Sanctimonia decipiet Judæos, qui ipsum sibi Regem præficient, quamquam ipse initio subdolè hunc honorem & gloriam repudiabit, uti ostendimus, &

Antichristus antequam regnet, summam sanctitatem, religionemque simulabit.

ostendit etiam S. Hippolytus Episcopus Portuensis & Martyr in Orat. de consummat. Mundi, ubi fusiùs latiùsque enarrans, quæ annotavimus de exordiis Regni Antichristi, in hunc modum scribit: *In primordiis suis Antichristus clemens erit, quietus, religiosus, odio habens injustitiam, detestans munera, idololatriã non admittens, amans Scripturas, observans Sacerdotes, honorans senes, scortationes & adulteria repudians, non dans aures obtrectatoribus, hospitalis, studiosus pauperum, pupillos & viduas defendens, dissidentes inter se pacificans & concilians, nullum divitiarum studium præ se ferens. Atque hæc*

omnia

omnia faciet consilio simulato ac fraudulento, quo circumveniet omnes, ut se Regem creent. Nam ubi populi tantas eius virtutes perspexerint, uno consensu convenient omnes in unum ad creandum illum Regem. Potissimùm gens Hebræorum præ omnibus, Antichristo chara erit. Dicentq; alius alii: Nunquid in generatione nostra, talis & tàm bonus, iustusque homo inveniri potest? Iudæi igitur sperantes illum amplissimo potiturum Imperio, his verbis eum alloquentur: Omnes tibi obtemperare volumus: agnoscimus enim te iustum super omnem terram, omnes à te salutem nos consecuturos speramus, & ex ore tuo justum & incorruptum judicium accipiemus. Atque initio quidem, mendax & iniquus ille, subdolè gloriam hanc repudiabit: at perseverantes homines & obsecrantes, illum declarabunt Regem. Hæc S. Hippolytus Martyr, cujus vestigia sequens S. Ephrem Syrus in Serm. de Antichristo, in primum Metrum, tom. 3. sic ait: *Veniet scelestissimus ille, ut fur: & ut cunctos decipere possit falsus & irreligiosus impostor, se humilem simulabit, atque quietum, injustitiæ osorem, aversorem idolorum, magnum impietatis æstimatorem, benignum, pauperum amatorem, speciosum ultra modum, longè placidissimum, hilarem in cunctos: supra modum autem Judæorum gentem honorabit, quòd ii scilicet maximè illius expectent adventum, tanquam ipsius veri Christi. Atque inter hæc omnia, editurus est signa, portenta, atque terrores in potestate magna. Astu doloque placere conabitur cunctis, ut citò populi amorem atque benevolentiam sibi conciliet. Munera non captabit, cum iracundia non loquetur, mæstus nunquam apparebit; at lætus apud omnes semper. Et in his omnibus, sub specie religionis, quoad regnaverit, decepturus est Mundum. Quando autem multi è populo ac plebe, tot tantasque ejus virtutes aspexerint, ipsumque decore atque potentia adeò præstantem, cuncti pariter in eandem sententiam condescendent, summoque cum gaudio illum sibi in Regem eligent, dicentes ad invicem: Nunquid reperiri poterit alius vir tantus, adeòque benignus ac justus? Potissimùm autem impiorum ac homicidarum Judæorum populi ipsum honore afficient, applaudentque ejus Regno.* Hactenus S. Ephræm.

XI.

Ex quonam terrarum loco suû Regnum inchoaturus sit Antichristus.

Antichristus igitur per Judæos ab eo deceptos fiet Rex: idcircò eum non legitimè, sed fraudulenter Regnum usurpaturum, suprà satis est demonstratum; attamen ipse astu accepto à Judæis Regno, se verum ac legitimum Regem pronuntiabit. In quonam autem terrarum loco sit auspicaturus Regnum? S. Methodius Martyr, ut suprà annotavimus, asseruit in Capharnaum & Corozaim. Nos verò asserimus, quòd Antichristus incipiet regnare in Babylone. In ea namque Vrbe Judæi eum quantumvis nolentem & speciem reluctantis mirè mentientem, Regno tamen inungent, & Sacris cære-

Regnare incipiet in Babylone.

moniis

moniis inaugurabunt incredibili omnium Ordinum lætitia, magnificentissimo apparatu, & spectaculo sanè splendidissimo; ut equidem nullus Rex majore hominum favore, unquam apud mortales exceptus fuerit. Mox ut Regni clavum acceperit, domum aulamque Regalem Babylone constituet, magnosque delectus aget, prævalidum ac numerosissimum exercitum, innumeris tormentis æneis, reliquoque immenso bellico apparatu coget, palam edicens, jam tempus adesse quo omnes ad ingentia bella se præparent, quibus Tyrannos oppressoresque Mundi Reges de medio tollat, omneque genus humanum, sub sua unius Monarchia à gravi servitutis & tyrannidis jugo vindicet atque liberet: se Regem mitissimum ac cunctis proficuum futurum, reliquos qui tunc in Orbe rerum potientur Reges, duros tyrannos ac injustos dominatores esse, quos excindi oporteat & extingui.

XII.

Patres omnes Ecclesiastici cum D. Hieron. docent Antichristū, & in Babylone Chaldaica nasciturū, & in eadem urbe primordia Regni inchoaturum.

Quòd autem Antichristus thronum solij sui initio Regni sit constituturus in terra Babylonis, produnt Patres omnes Ecclesiastici cum D. Hieronymo super caput 11. Danielis: nam ibi S. Hieron. suam & Ecclesiæ Patrum de hac re sententiam promens, hæc ait: *Nostri autem secundum superiorem sensum interpretantur omnia*, nimirum quæ illis verbis Daniel cœpit dicere: *Et concitabitur fortitudo ejus, & cor ejus*, &c. *de Antichristo, qui nasciturus est de populo Judæorum, & de Babylone venturus, primùm superaturus est Regem Ægypti*, & c. Idem sine dubio significasse videtur Lactantius Firmianus lib. 7. Divin. Inst. cap. 17. cùm de Antichristo loquens, ita inquit: *Alter Rex orietur ex Syria, malo spiritu genitus, eversor ac proditor generis humani*. Syriam, Assyriam & Babylonem intellexisse docet Malvenda lib. 2. de Antichristo cap. 15. Sequuntur hanc sententiam Dominicus Soto in 4. Sententiarum dist. 49. quæst. 1. art. 1. & 2. Pererius lib. 14. in Danielem, Suarez tom. 2. disput. 54. sect. 5. Ribera in Apocalypsim cap. 17. & alij multi. Hi enim omnes asseverant Antichristum in Babylone Chaldaica primùm Regni fundamenta jacturum, ac ibidem se primùm Regem pronuntiaturum comparata aula Regali, & reliquo opum, armorum, militariumque copiarum apparatu. Probant id ex illa visione Zachariæ cap. 5. ver. 11.

Doctores, qui sequuntur hanc sententiam.

Visio Zachariæ.

Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me: & dixit ad me: Leva oculos tuos, & vide quid est hoc, quod egreditur. Et dixi: Quidnam est? & ait: Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur: & ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus. Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas, quasi alas milvi: & levaverunt

verunt amphoram inter terram & Cœlum. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me. Quò istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super sedem suam. Quam visionem miram ut intelligas, Nota Primò. Amphora hæc, sive, ut Hebraicè est, epha, id est, mensura, significat mensuram peccatorum Judæorum, quæ sensim crevit, & tandem omninò impleta est tempore Christi, quando planè à Deo & Christo rejecti fuerunt Judæi. Secundò, oculus, inquit Zacharias, id est, aspectus omnium Judæorum est ad hanc amphoram undique, ut scilicet eam peccatis suis impleant. Tertiò, mulier quæ primò umbilico tenus sedebat in amphora, est impietas (ait Zacharias) Judæorum necdum completa ante Christum; sed postea mulier hæc omninò projecta est, & demersa ad caput usque in amphoram, quando per necem Christi & Apostolorum omninò consummata est Iudæorum impietas & mensura. Quartò, talentum sive massa plumbi missa in os ejus, sive amphoræ, ut vult Ribera, sive potiùs mulieris, ut vult Hieron. & Vatablus, qua omninò clausa & oppilata fuit, significat gravitatem supplicii, & diuturnitatem, quod scilicet durabit usque ad finem Mundi. Quintò, duæ mulieres significant Judæorum obcæcationem & obstinationem, quæ spiritu diabolico agitatæ suis alis quasi milui rapacissimis & fortissimis, per aerem hanc amphoram portant in terram Sennaar, id est, in Babylonem; quia Judæorum cæcitas, pœna & desolatio durabit, donec in Babylone quasi stabili & firmo loco ac Regno suo Antichristum regnantem adorent: idcircò gens hæc perfida, Mundo odibilis, & Deo execrabilis, in Babylone, comprimis diligentissimè conservat successionem Principum è tribu Juda & familia Dividis, quos ipsa Capita Captivitatis, seu Patriarchas appellat, ex qua suum falsum Messiam, revera Antichristum, nasciturum præstolatur. Neque defecturam eam, quam sibi mendaciis compinxit, & mendaciis propagat, confictam successionem credit, quousque suus Messias, hoc est, Antichristus adveniat. Præfatam autem adductæ Zachariæ visionis explanationem tradit Cornelius à Lapide in 2. ad Thess. 2. ver. 11. & alii, quibus se subscribit Malvenda lib. 5. cap. 4. Is namque ibi postquam tres illius visionis interpretationes retulit, quartam tandem refert, ita scridens: *Nonnulli denique, quorum nobis rectè cunctis expensis ac perlibratis, potiora jura esse videntur, locum totum de obcæcatione, induratione, pervicacia, & perenni impietate populi Iudaici à Deo rejecti & repudiati propter occisum, & non receptum Christum, accommodatissimè interpretantur. Mulier sive impietas, in medio amphoræ seu mensuræ (sic enim amphoram, mensuram reddiderunt Septuaginta Interpretes) est impietas Iudæorum cum pleno cumulo & men-*

Zachariæ visio explicatur.

Iudæi servant Babylone commentitiam successionem Principum è tribu Iuda.

mensura, ut cum illis Dominus dixit Matth.23.v.32. Et vos implete (pro implebitis, Hebraica phrasi imperativus pro futuro, ut illud Matth.26.v.45. Dormite jam & requiescite, id est, dormietis postea, & requiescetis: nam satis est, quòd hucusque dormistis. Et illud Ioan. 21.v.19. Sequere me, id est, sequeris me.) mensuram patrum vestrorum. Nimirum sic impleuerant mensuram interficiendo Christum, Apostolos profligando, & Euangelium repudiando. Duæ autem mulieres portantes amphoram, sunt perennis eorundem Iudæorum excæcatio & induratio. Quæ amphoram, seu plenam impietatem in terram Babylonis portare dicuntur, quia in ea regione potissimum magis viget, ut numerus, ita & impietas perfidorum Iudæorum: ubi auidius expectant Messiam, & sollicitius conseruant inanem illam & ementitam successionem Principum è tribu Iuda Davidicæ stirpis, semperq; deinceps ibidem durabit, quousque in Babylone pro Messia Antichristum recipiant, & Regem suum in eadem urbe constituant, eundem pseudomessiam. Quod erit omnem mensuræ impietatis cumulum implere. In Babylone igitur huic summæ & absolutæ impietati domus ædificanda prædicitur, ut ibidem stabiliatur, & ponatur super basem suam. Quia nimirum quando ad terminum, finemque suæ peregrinationis ac dispersionis per totum terrarum Orbem gens impia Iudæorum perveniet, tunc Babylone Regnum Antichristo deferet, honorem Messiæ tribuet, Palatium domumque Regalem constituet, pro Rege adorabit, omnique apparatu & ornatu Regio, atque bellico fulciet. Ibique stabilietur impietas, siue aptabitur, quia ibidem confirmabitur prima Antichristi potentia & Regia majestas, inde Regnum auspicabitur, in eaque urbe Regno ritu solemni & Sacris cæremoniis inaugurabitur, & ibi prima Imperii sedes, & basis ponetur Antichristo. Hanc loci explanationem esse congruentissimam, agnoscent eruditi. Vnde Chaldæus Paraphrastes illud: Hæc est amphora egrediens: ita reddidit: Isti sunt populi, qui acceperant, & dederunt in mensura iniqua: & ecce ipsi manifesti sunt coram omnibus habitatoribus terræ. Et per duas mulieres alatas, intelligit populos leves, & expeditos, qui peccantes in mensuris iniquis, Deo ordinante abducuntur in omnem plagam Mundi. Quibus verbis apertè satis perenne exilium, quo nunc miseranda Iudæorum natio dispergitur, indicauit. Hucusque Malvenda.

Antichristus è Babylone Regnũ auspicabitur.

XIII.

Antichristus initio Regni est pugnaturus cũ tribus Regibus, nimirum Ægypti, Libyæ, atque Æthiopiæ, & eorum

Antichristus igitur, in Babylone accepto Regni regimine, & magno comparato exercitu, illicò ab ea Vrbe exiet, & pugnabit cum tribus Regibus sibi resistentibus, nimirum Ægypti, Aphricæ, atque Æthiopiæ. Ostendimus namque suprà in 1. Tractatu, & est certum, fore decem Reges in Orbe, cùm veniet Antichristus, ac eos inquit Ribera loco infrà allegando principio Romæ & Romano Imperio fore subjectos, quia Roma in fine Mundi erit, uti olim fuit, dives & potens:

potens: unde in fine capitis 17. Apocalypsis ait S. Ioannes, *Ciuitas magna quæ habet Regnum super Reges terræ*: ergo illa tunc obtinebit Imperium, præsertim quia non tantùm Gentiles, sed & Christiani multi censuerunt Romam, æquè ac Romanum Imperium, fore æternam, id est, duraturam usque ad finem Mundi, putà usque ad illos decem Reges in Orbe futuros, qui inter se Romanum Imperium partientur, antequam ab Antichristo superentur; futurū enim est, ut Antichristus tres ex illis, sibi nempè viciniores, prælio vincat & occidat. Et sic impius eorum Regna opesque illis devictis atque interfectis in exordiis sui Regni occupabit. Reliquos autem septem Reges timore perterritos, & ipsius Imperio colla spontè subiicientes recipiet.

rum Regna illis devictis atq; interfectis est occupaturus.

XIV.

Ex Daniel. 7. v. 24. & ex Apocal. 17. v. 12. certum est, fore decem Reges in Orbe, cùm veniet Antichristus.

Quòd autem est certum, fore decem Reges in Orbe præsertim Romano, cùm veniet Antichristus, patet ex Daniel. 7. v. 24. & ex Apocal. 17. v. 12. Estque communis Patrum & Interpretum sensus & traditio, ut ait S. Hieronymus super indicatum locum Danielis. At non ita certum est, hosce decem Reges, quos tùm, cùm Romanum invaserint Imperium, suspicari possumus cum Sherlogo tom. 3. in Cant. vest. 37. explan. mystic. sect. unic. num. 42. Catholicos futuros, libidine autem dominandi, aut propter alios titulos, adversus Romanam Monarchiam conspiraturos, Romam eversuros & cōcrematuros, licèt id pari modo cum primo certū esse affirmet Cornelius à Lapide in Apocal. 17. ver. 17. quia nihil de eo Patres tradiderunt. At quamvis res non sit tantæ certitudinis, nihilominus magni habenda est, cùm sit consona & verisimilis ei, quod inquit S. Joannes in Apocal. 17. ver. 12. *Et decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt: qui Regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges una hora accipient post bestiam.* Et ver. 16. *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Ea namque super loca tametsi S. Ambrosius, Ticonius, Beda, & alii passim, per decem cornua accipiant omnia Regna Regibus impiis subjecta, sive licèt Alcazar piè & ingeniosè, sed mysticè accipiat polyarchiam, seu multitudinem Senatorum Romæ; planè tamen & genuinè D. Anselmus, Ansbertus, Haymo, Richardus, Ribera & Viegas, quos refert & sequitur Cornelius à Lapide, qui primam opinionem, quæ videtur esse communis sententia, refellit, accipiunt decem Reges, qui erunt in Orbe sub finem Mundi, quasi Orbis domini, cùm veniet Antichristus, qui Romæ & Romano Imperio erunt subjecti; aut ex eo prodibunt. Et quia Roma (ut suprà diximus) in fine Mundi ad pristinam Imperii dignitatem redibit, ut liquet ex illo Apocalypsis 18. ver. 7. *Sedeo Regina.* Hinc patet, inquit ibi Cornelius

An sit ita certum hosce decem Reges eversuros & concrematuros Romam.

Roma in fine Mūdi suum pristinum dominiū &

mensura, ut cum illis Dominus dixit Matth.23.v.32. Et vos implete (pro implebitis, Hebraica phrasi imperativus pro futuro, ut illud Matth.26.v.45. Dormite jam & requiescite, id est, dormietis postea, & requiescetis: nam satis est, quòd hucusque dormistis. Et illud Ioan. 21.v.19. Sequere me, id est, sequeris me.) mensuram patrum vestrorum. Nimirum sic impleuerant mensuram interficiendo Christum, Apostolos profligando, & Euangelium repudiando. Duæ autem mulieres portantes amphoram, sunt perennis eorundem Iudæorum excæcatio & induratio. Quæ amphoram, seu plenam impietatem in terram Babylonis portare dicuntur, quia in ea regione potissimum magis viget, ut numerus, ita & impietas perfidorum Iudæorum: ubi auidius expectant Messiam, & sollicitius conseruant inanem illam & ementitam successionem Principum è tribu Iuda Davidicæ stirpis, semperq; deinceps ibidem durabit, quousque in Babylone pro Messia Antichristum recipiant, & Regem suum in eadem urbe constituant, eundem pseudomessiam. Quod erit omnem mensuræ impietatis cumulum implere. In Babylone igitur huic summæ & absolutæ impietati domus ædificanda prædicitur, ut ibidem stabiliatur, & ponatur super basem suam. Quia nimirum quando ad terminum, finemque suæ peregrinationis ac dispersionis per totum terrarum Orbem gens impia Iudæorum perveniet, tunc Babylone Regnum Antichristo deferet, honorem Messiæ tribuet, Palatium domumque Regalem constituet, pro Rege adorabit, omnique apparatu & ornatu Regio, atque bellico fulciet. Ibique stabilietur impietas, siue aptabitur, quia ibidem confirmabitur prima Antichristi potentia & Regia majestas, inde Regnum auspicabitur, in eaque urbe Regno ritu solemni & Sacris caeremoniis inaugurabitur, & ibi prima Imperii sedes, & basis ponetur Antichristo. Hanc loci explanationem esse congruentissimam, agnoscent eruditi. Vnde Chaldæus Paraphrastes illud: Hæc est amphora egrediens: ita reddidit: Isti sunt populi, qui acceperant, & dederunt in mensura iniqua: & ecce ipsi manifesti sunt coram omnibus habitatoribus terræ. Et per duas mulieres alatas, intelligit populos leves, & expeditos, qui peccantes in mensuris iniquis, Deo ordinante abducuntur in omnem plagam Mundi. Quibus verbis apertè satis perenne exilium, quo nunc miseranda Iudæorum natio dispergitur, indicauit. Hucusque Malvenda.

Antichristus è Babylone Regnũ auspicabitur.

XIII.

Antichristus initio Regni est pugnaturus cũ tribus Regibus, nimirum Ægypti, Libyæ, atque Æthiopiæ, & eorum

Antichristus igitur, in Babylone accepto Regni regimine, & magno comparato exercitu, illicò ab ea Vrbe exiet, & pugnabit cum tribus Regibus sibi resistentibus, nimirum Ægypti, Aphricæ, atque Æthiopiæ. Ostendimus namque suprà in 1. Tractatu, & est certum, fore decem Reges in Orbe, cùm veniet Antichristus, ac eos inquit Ribera loco infrà allegando principio Romæ & Romano Imperio fore subjectos, quia Roma in fine Mundi erit, uti olim fuit, dives & potens:

potens: unde in fine capitis 17. Apocalypsis ait S. Ioannes, *Ciuitas magna quæ habet Regnum super Reges terræ*: ergo illa tunc obtinebit Imperium, præsertim quia non tantùm Gentiles, sed & Christiani multi censuerunt Romam, æquè ac Romanum Imperium, fore æternam, id est, duraturam usque ad finem Mundi, putà usque ad illos decem Reges in Orbe futuros, qui inter se Romanum Imperium partientur, antequam ab Antichristo superentur; futurũ enim est, ut Antichristus tres ex illis, sibi nempè viciniores, prælio vincat & occidat. Et sic impius eorum Regna opesque illis devictis atque interfectis in exordiis sui Regni occupabit. Reliquos autem septem Reges timore perterritos, & ipsius Imperio colla spontè subiicientes recipiet. rum Regna illis devictis atq; interfectis est occupaturus.

XIV.

Quòd autem est certum, fore decem Reges in Orbe præsertim Romano, cùm veniet Antichristus, patet ex Daniel. 7. v. 24. & ex Apocal. 17. v. 12. Estque communis Patrum & Interpretum sensus & traditio, ut ait S. Hieronymus super indicatum locum Danielis. At non ita certum est, hosce decem Reges, quos tùm, cùm Romanum invaserint Imperium, suspicari possumus cum Sherlogo tom. 3. in Cant. vest. 37. explan. mystic. sect. unic. num. 42. Catholicos futuros, libidine autem dominandi, aut propter alios titulos, adversus Romanam Monarchiam conspiraturos, Romam eversuros & cõcrematuros, licèt id pari modo cum primo certũ esse affirmet Cornelius à Lapide in Apocal. 17. ver. 17. quia nihil de eo Patres tradiderunt. At quamvis res non sit tantæ certitudinis, nihilominus magni habenda est, cùm sit consona & verisimilis ei, quod inquit S. Joannes in Apocal. 17. ver. 12. *Et decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt: qui Regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges una hora accipient post bestiam.* Et ver. 16. *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Ea namque super loca tametsi S. Ambrosius, Ticonius, Beda, & alii passim, per decem cornua accipiant omnia Regna Regibus impiis subjecta, sive licèt Alcazar piè & ingeniosè, sed mysticè accipiat polyarchiam, seu multitudinem Senatorum Romæ; planè tamen & genuinè D. Anselmus, Ansbertus, Haymo, Richardus, Ribera & Viegas, quos refert & sequitur Cornelius à Lapide, qui primam opinionem, quæ videtur esse communis sententia, refellit, accipiunt decem Reges, qui erunt in Orbe sub finem Mundi, quasi Orbis domini, cùm veniet Antichristus, qui Romæ & Romano Imperio erunt subjecti; aut ex eo prodibunt. Et quia Roma (ut suprà diximus) in fine Mundi ad pristinam Imperii dignitatem redibit, ut liquet ex illo Apocalypsis 18. ver. 7. *Sedeo Regina.* Hinc patet, inquit ibi Cornelius

Ex Daniel. 7. v. 24. & ex Apocal. 17. v. 12. certum est, fore decem Reges in Orbe, cùm veniet Antichristus.

An sit ita certum hosce decem Reges eversuros & concremataturos Romam.

Roma in fine Mũdi suum pristinum dominiũ &

L

& gloriam temporalem est recuperatura.

nelius à Lapide, Romam in fine Mundi ad pristinum Imperii splendorem, opes, vires & pompam redituram, ut sit, sicut olim fuit, Regina Orbis & domina Mundi: veluti affirmant Ribera in cap. 14. Apocalypsis num. 46. Viegas in cap. 17. eiusdem sect. 3. num. 1. in fine, Gaspar Melo ibidem, Thomas Bozius lib. 24. de signis Ecclesiæ cap. 6. & alii: idcircò decem illi Reges invidentes tantam huius Vrbis gloriam, ejus jugum excutient, eamque invadent, vastabunt & concremabunt, uti clare indicat S. Ioannes ubi suprà in præadductis verbis, & cap. 18. ver. 2. cùm ait: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis uolucris immundæ, & odibilis*: ubi Cornelius à Lapide: hisce phrasibus, inquit, non aliud significatur, quàm summa vastitas & desolatio Romæ futura, adeò ut redigatur in desertum, fiatque habitatio draconum & bestiarum. Confirmatur etiam argumẽtum, quoniam, quæ hic dicuntur de Babyloniæ eversione, neq; in illa antiqua Orientali Babylonia impleta sunt: neque adhuc in ipsa Roma: ergo, ut Dei verbum non excidat, in fine Mundi implenda erunt. Quocirca non est audiendus Alcasar, qui Babylonem, de qua loquitur S. Ioannes, esse Romam, sed Ethnicam & Idololatrã, qualis erat eo tempore, quo Evangelista hæc scribebat. Satis enim manifestum est S. Ioannem loqui, ut suprà in 1. Tractatu ostensum est, de Roma futura, quæ propter sua peccata incendio & extrema clade vastabitur.

Destructio & desolatio Romanæ Vrbis.

XV.

Opinio multorũ Neotericorum Scriptorum, qui negant statum redivivum Romanæ Vrbis.

At verò nonnulli ex neotericis Scriptoribus, quales præcipuè sunt Maluenda lib. 4. cap. 5. Alcasar in Apocalypsim not. 17. proœm. Suarez lib. 8. contra Regem Angliæ cap. 7. num. 12. Basilius Pontius variarum P. 1. quæst. 6. ex positivis, Granados controv. de noviss. trop. disp. 4. num. 4. quos citat & sequitur Sherlogus in cap. 8. Cant. vestig. 36. num. 4. negant in primis statum rediviuum Romanæ urbis: nam existimant Romam suum pristinum dominium & gloriam temporalem recuperaturam, esse valdè improbabile. Nam dicunt, quòd ad hoc requireretur multum temporis, sicuti prima vice, non nisi per 700. annos in tantam magnitudinem ac gloriam evecta est. Sed isti decipiuntur, quia Antichristus modico tempore regnabit; & tamen totum Orbem sibi subiiciet, uti & Alexander Magnus paucis annis maxima Regna adeptus est. Vnde non debet aliquis admirari, si Roma brevi tempore circa finem Mundi pristinam suam gloriam est recuperatura: eò quia Regna dantur à Deo, cui haud deficit potẽtia facere, quòd brevissimo tempore Romana Monarchia iterum resurgat & dilatetur per totum Orbem. Id enim permittet Deus propter peccata Romanorum in fine sæculi, juxta illud Psal. 36. *Vidi impiũ superexaltatum & elevatum, sicut cedros Libani.* Hinc Deo permittente

Auctor reiicit hanc opinionem.

tente videmus Vrbes insignes nunc crescere, nunc decrescere, nunc fideles esse, nunc Paganas, ut videmus Hierusalem, Metropolim Terræ Sanctæ, dominam Gentium, Principem Provinciarum, gaudium universæ terræ, possessionem Patriarcharum, Prophetarũ & Apostolorum matrem, iniciatricem Fidei & gloriam populi Christiani, sitam in terra optima, quæ priùs habitatoribus suis lac & mel fluxit; postea verò universo Orbi remedia salutis, & vitæ porrexit alimenta. De Sion enim egressa est lex, & verbum Domini de Hierusalem. Et hanc (ut diximus) videmus primò fuisse fidelem sub Melchisedech, secundo Paganam sub Hiebusæis seu Chananæis, tertiò fidelem iterum sub Iudeis, quartò Christianam sub Apostolis, quintò Paganam rursum sub Romanis, præsertim sub Adriano & deinceps, sextò Saracenam sub Turcis. Similem videmus Tyrum, Constantinopolim, Alexandriam, Antiochiam, &c. Pari modo in opibus & gloria hæ Vrbes, æquè ac ipsa Chaldæorum Babylon, nunc creverunt, nunc decreverunt, nunc recreverunt sæpius. Ita Roma olim nunc crevit sub Regibus & Cæsaribus; nunc decrevit sub Gothis, Alanis, Vvandalis, Longobardis; sed paulò post vires resumpsit sub Carolo Magno Francorum Rege, qui eius Imperium accepit à Leone Papa, huius nominis III. anno nostræ Salutis 800. in die natalis Domini; qui annus ab aliis dicitur 801. quia à natali Domini annos numerant. Itaque Franci acceperunt Romanum Imperium, & tenuerunt istud centum annis usque ad Arnulphum, qui extitit ultimus de genere Caroli Magni. Deinde imperarunt Germani, qui adhuc imperant: ergo Romanum Imperium nondum eversum & desolatum fuit, ut per se patet; nam adhuc feliciter viget in Germania sub Augustissimo Iosephi Austriaci nomine: & licèt aliquibus calamitatibus & angustiis aliquando subiectum fuerit, ut quando Gothi Romam depopulati sunt, aut quando Imperium destructum est in Oriente per Turchas, & restauratum in Occidente; nondum tamen eversum & destructum fuit Romanum Imperium. Id namque certum est adhuc vigere, & duraturum esse, quousque præfati decem Reges in Orbe existant. Si verò obiicies, quòd Romanum Imperiũ non amplius viget, cùm Vrbs Romana non existat sub ditione & dominio Imperatoris, sed summi Pontificis: ergo non est certum Romanum Imperium adhuc vigere. Respondeo adhuc vigere Leges, Instituta, Iura, nomen & dignitatem Romani Imperii: & hoc sufficit, ut Romanum Imperium adhuc vigere dicatur; sicut enim destructa, vel occupata Civitate, in qua Rex habitat, non dicitur destructum Regnum; ita etiam Imperium Romanum non dicitur destructum, etiãsi dominium Vrbis Romanæ ad Imperatorem non spectet. Ita Suarez in 3. Par. tom. 2. dist. 56. sect. 2. col. 4. Tannerus Tom. 4. disput. 2.

Hierosolymæ Encomium.

Certum est Romanum Imperium adhuc vigere in Germania, & duraturum usque ad præfatorum decem Regum adventum.

L 2 quæst.

quæſt.4.dub.1.n.15. & alii. Roma igitur poſt devaſtationem à Barbaris perpetratam quaſi reſurrexit. Pari modo Venetias, Antuerpiam, Pariſios, Brugas, aliaſque Vrbes nunc creſcere, nunc decreſcere videmus. Quin & ſingulis penè ſæculis, pleraque Regna vel creſcere, vel decreſcere, vel planè mutari cernimus: ac interdum aliqua nunc Chriſtiana eſſe, nunc Pagana & Schiſmatica, ut patet de Regno Anglorum, quod ſub Lucio Rege, regente Cathedram Petri Eleutherio, factum eſt Chriſtianum, & permanſit in Fide uſque ad Henricum VIII. qui anno Domini 1535. ab Eccleſia Catholica deficiens caput Eccleſiæ Anglicanæ dici voluit: & cum eo totum Regnũ ab Eccleſia Catholica defecit uſq; ad Iulium III. Pontificem, ſub quo & Maria Angliæ Regina ad Eccleſiæ vnitatem illud rediit: ſed poſt paucos annos ſub Eliſabetha Regina hæretica iterum ad ſchiſma & hæreſim reverſum eſt, & manet uſque adhuc. Ea eſt rerum humanarum viciſſitudo: hæc fortuitorum natura, ſors & conditio. Hinc non eſt mirum ſi Roma, quæ nunc eſt Chriſtiana, in fine Mundi fiet rurſum Ethnica, ſicut olim fuit; & æmulabitur denuò perſecutiones Imperatorum Ethnicorum in Chriſtianos. Quamobrem Deus in ea puniet & propriam & antiquam patrum infidelitatem horribili eius incendio & excidio.

XVI. Itaque Roma diruetur, ſeu evertetur & deſtruetur: qua everſa & deſtructa ruet pariter, omninòque concidet Romanum Imperium. Ratio eſt, tùm quia Romanum Imperium dividetur in decem Reges, quorum alios poſtea Antichriſtus interficiet, alios in ſuam rediget poteſtatem, ut patet ex Danielis 7. ver. 11. & 23. tùm quia hanc eſſe oſtendimus ſuprà antiquorum traditionem, & communem Scriptorum Eccleſiaſticorum opinionem, teſtibus D. Hieronymo quæſt. 11. ad Algaſiam, & Lactantio Firmiano lib. 7. Divinarum inſt. cap. 15. nam is ibi Romani Imperii deſtructionem cum longo verborum ductu pluribus, quæ ex vetuſtis, opinor, traditionibus eſt mutuatus, ſic oſtendere nititur: *Propinquante igitur huius ſæculi termino, humanarum rerum ſtatum commutari neceſſe eſt, & in deterius nequitia invaleſcente prolabi; ut iam noſtra hæc tempora, quibus iniquitas & malitia uſque ad ſummum gradum crevit: in illius tamen inſanabilis mali comparatione felicia & propè aurea poſſint iudicari. Ita etenim iuſtitia rareſcet, ita impietas, & avaritia, & cupiditas, & libido crebreſcent, ut ſi qui tùm fortè fuerint boni, prædæ ſint ſceleratis, ac divexentur undique ab iniuſtis; ſoli autem mali opulenti ſint. Boni verò in omnibus contumeliis atque in egeſtate iactentur. Confundetur omne ius, & leges peribunt. Nihil tunc quiſpiam habebit, niſi aut quæſitum, aut defenſum manu. Audacia, & vis omnia poſſidebunt. Non Fides in hominibus, non pax, nõ humanitas, non pudor, non veritas erit.*

Deſtructio Romani Imperii.

Lactantius Firmianus temporum noſtrorum ſcribit iniquitatem.

Atq;

Atq; ita neque securitas, neque regimen, neq; requies à malis ulla. Omnis enim terra tumultuabitur: frement ubique bella. Omnes gentes in armis erunt, & se invicem oppugnabunt. Civitates finitimæ inter se præliabuntur. Et prima omnium Ægyptus stultarum superstitionum luet pœnas, & sanguine velut flumine operietur. Tunc peragrabit gladius Orbem metens omnia, & tanquam messem cuncta prosternens. Cuius vastitatis & confusionis hæc erit causa, quòd Romanum nomen, quo nunc regitur Orbis (horret animus dicere, sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, & Imperium in Asiam revertetur, ac rursus Oriens dominabitur, atque Occidens serviet. Nec mirum cuiquam debet videri, si Regnum tanta mole fundatum, ac tàm diù per tot & tales viros auctum, tantis denique opibus confirmatum, aliquando tamen corruet. Nihil est humanis viribus laboratum, quod non ab humanis æquè viribus destrui possit. Quoniam mortalia sunt opera mortalium. Sic & alia priùs Regna cùm diutiùs floruissent, nihilominus tamen occiderunt. Nam Ægyptios, & Persas, & Græcos, & Assyrios proditum est regimen habuisse terrarum: quibus omnibus destructis, ad Romanos quoq; rerum summa pervenit. Qui quanto cæteris omnibus Regnis antestant, tanto maiore decidēt lapsu, quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ sunt cæteris altiora. Nō insciтè Seneca Romanæ Vrbis tempora distribuit per ætates. Primam enim dixit infantiam sub Rege Romulo fuisse, à quo & genita & quasi educata sit Roma. Deinde pueritiam sub cæteris Regibus, à quibus & aucta sit & disciplinis pluribus institutisque formata. At verò Tarquinio regnante cùm iam quasi adulta esse cœpisset, servitium non tulisse, quòd reiecto superbæ dominationis iugo maluisse se legibus obtemperare, quàm Regibus. Cùmque esset adolescentia eius fine Punici belli terminata: tùm de[n]ique confirmatis viribus cœpisse iuvenescere. Sublata igitur Carthagine, quæ diù æmula Imperii Romani fuit, manus suas in totum Orbem terra marique porrexit, donec Regibus cunctis & nationibus subiugatis, cùm iam bellorū materia deficeret, viribus suis malè uteretur, quibus se ipsa confecit. Hæc fuit prima eius senectus cum bellis lacerata ciuilibus atque intestino malo pressa: rursus ad regimen singularis Imperii recidit, quasi ad alteram infantiam reuoluta. Amissa enim libertate, quam Bruto Duce & Authore defenderat, ita consenuit tanquam sustentare se ipsa non ualeret, nisi amminiculo regentium niteretur. Quòd si hęc ita sunt, quid restat nisi ut sequatur interitus senectutem? Et id futurum breui conciones Prophetarum denunciant sub ambage aliorum nominum, ne facile quis intelligat. Sibyllæ tamen apertè interituram esse Romam loquuntur: & quidem judicio Dei, quòd nomen ejus habuerit inuisum: & inimica justitiæ alumnum veritatis populum trucidarit. Hydaspes quoque, qui fuit Medorum Rex antiquissimus, à quo amnis quo-

Romani Imperii prædictus occasus.

Romæ tempora distributa per ætates.

Hydaspes Rex.

Hydaspes flumen.

quoque nomen accepit, qui nunc Hydaspes dicitur, admirabilis omniū, sub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam posteris tradidit, sublatum iri ex Orbe Imperium nomenque Romanum, multo ante præfatus quàm illa Trojana gens conderetur.

XVII.

Quomodo Romani Imperii ventura sit destructio.

Quomodo autem id futurum sit, ne quis incredibile arbitretur, idem Lactantius cap. 16. hunc in modum ostendit: *In primis multiplicabitur Regnum, & summa rerum potestas per plurimos dissipata & concisa minuetur. Tunc discordiæ civiles in perpetuum serentur, nec ulla requies bellis exitialibus erit, donec & Reges decem pariter existant, qui Orbem terræ, non ad regendum, sed ad consummandum partiantur. Hi exercitibus in immensum coactis & agrorum cultibus destitutis, quod est principium eversionis & cladis, disperdent omnia, & comminuent & vorabunt. Tunc repentè adversus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagę Septentrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societatem à cæteris, ac Princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione vexabit Orbem, Divina & humana miscebit, infanda dictu & execrabilia molietur; nova consilia in pectore suo volutabit, ut proprium sibi constituat Imperium, & leges commutabit, & suas sanciet, contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Denique immutato nomine atque Imperii sede translata, confusio ac perturbatio humani generis consequetur. Tàm verò detestabile atque abominandum tempus existet, quòd nulli hominum sit vita jucunda. Evertentur funditùs Civitates atque interibunt, non modò ferro atque igni, verùmetiam terræmotibus assiduis, & eluvie aquarum, & morbis frequentibus, & fame crebra.* Hucusque Lactantius, qui duo in his committit errata. Primum est, quòd ait tres præfatos Reges vincendos & delendos ab Antichristo regnaturos in Asia; quod est omninò falsum, cùm sit contra sententiam S. Hippolyti Martyris in Orat. de Consummatione Mundi, & aliorum Sanctorum Patrum, qui ex Dan. 11. apertissimè tradunt, unum ex illis tribus Regibus regnaturum in Ægypto, alterum in Aphrica, tertium in Æthiopia. Secundum est, quia putat Firmianus, undecimum futurum Regem non esse Antichristum, sed diversum ab eo: nam in cap. XVII. prodit alterum Regem oriturum ex Syria, malo spiritu genitum, eversorem ac proditorem generis humani, qui reliquias illius undecimi futuri Regis cum ipso simul delebit: & hunc dicit fore Antichristum. At Patres omnes undecimum futurum Regem tantùm agnoscunt ex Dan. 7. fore Antichristum. Hi namque, ut refert S. Hieronymus in Commentariis in eundem Danielis locum, tradiderunt, in consummatione Mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum, decem simul Reges excitaturos in diversis quidem locis, eodem tamen tem-

Duo Lactantii Firmiani errata.

Traditio Sanctorum Patrum, circa finem Mundi decem Reges in Orbe futuros, qui funditùs Romanum

tempore regnantes : qui Orbem Romanum inter ſe divident : tùm undecimum Regem parvulum ſurrecturum , qui tres Reges de illis decem, ſuperaturus ſit; id eſt, Ægypti, Aphricæ , Æthiopiæ Reges: quibus interfectis, etiam ſeptem alii Reges victori honorem & conſilium & poteſtatem dabunt. Et hunc fore Antichriſtum, qui ſuſcitabit Regnum Judæorum, produnt communiter antiqui Patres & Doctores Eccleſiaſtici cum Auctore Hiſt. Scholaſticæ in Hiſtoria libri Danielis cap. 6. & cum Cornelio à Lapide in 2. S. Pauli Epiſt. ad Theſs.cap.2. ubi ſic inquit : *Porrò Antichriſtus ex hiſce decem Regibus ſucceſſivè tres invadet & profligabit, ut ait Daniel ; ſcilicet Regem Æthiopiæ, Regem Libyæ, & Regem Ægypti, ut tradit Hieron. Theodoret. Cyrillus, & Irenæus. Qua clade cæteri ſeptem Reges territi, ipſi ſe ſubdent, unuſque omnium Rex & Monarcha erit Antichriſtus.* Ità Cornelius à Lapide : at quod iſte Auctor ait in Apocal. 17. ver.17. quòd etſi Antichriſtus tres Reges ſit debellaturus, non tamen conſtat, an eos ſit occiſurus, valdè errat : quia id in primis eſt contra ſententiam Danielis , qui cap.7.ver.11. indicat illos eſſe interficiendos ab Antichriſto: nam Propheta hunc in modum inquit : *Conſiderabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis evulſa ſunt à facie ejus .* Quod quidem cornu demonſtrat alium non eſſe, niſi Antichriſtum . Tria cornua, quæ ab eo radicitùs evellentur , tres Reges indicant Ægypti, Libyæ, Æthiopum, quos ille (ut ſuprà oſtendimus) deleturus eſt facie bellica. Deinde illud Cornelii à Lapide eſt contra ſententiam S. Irenæi lib.5.adverſus hæreſes cap. 26. S. Hippolyti Martyris ubi ſuprà, S. Victorini Martyris in Comment. Apocalypſis , & aliorum . Qui omnes apertè tradunt , Antichriſtum ex illis decem Regibus in Orbe futuris tres, qui erunt fortes & agiles ſive efficaces, interfecturum eſſe, prout ſupra eſt demonſtratum ; reliquos autem, qui erunt pigri & inutiles, ſibi ſubjecturum.

Num Imperium evertent, & inter ſe partientur, quorum tempore venturus eſt Antichriſtus.

Antichriſto , extinctis ab eo tribus ex illis decē Regibus in Orbe futuris , reliqui ſeptē colla ſubmittent.

Lapſus Cornelii à Lapide.

XVIII.

Opinio multorum Recentiorū Scriptorum , qui negant duabus rationibus futuram Romanæ Vrbis apoſtaſiā.

Secundò negant illi futuram Romanæ Vrbis apoſtaſiam duabus rationibus. Primò, quia hæc Vrbs Divino eſt electa munere, ut eſſet fons pietatis, domicilium Sanctorum, Fidei columen, ſedes Chriſtiani & Eccleſiaſtici Imperii, aſylum Religionis, lar virtutum, magiſtra probitatis , conſervatrix Orthodoxiæ , retinaculum doctrinæ Catholicæ, & omnis denique boni ampliſſimum cornucopiæ : inſuper tot Martyrum fuſo ſanguine eſt conſecrata, tot Sanctorum præſidiis fulta, tantis Divinis honoribus à Deo ornata & aucta, & ingentium duorum propugnaculorum robore cincta & vallata , Principes dicunt Apoſtolorum Petrum & Paulum. Secundò , quia non eſt conſona Patribus: quoniam inter ſigna, quæ præceſſura ſunt Antichriſti adventum, nemo unquam recenſuit Romæ apoſtaſiam , aut deſolationem.

Prima ratio.

Secunda ratio,

Ad

XIX. Ad primam respondetur, quòd ostensæ Romæ prærogativæ nullius roboris sunt, quia præfata Hierusalem Vrbs toto Orbe memorabilis majoribus his prærogativis fuit à Deo decorata: nam ante multa millia annorum habitatio fuit credentium in Deum, & novissimè Prophetæ præsagierunt ex ea orituram salutem & diffundendã per universum Mundum, id quod & factum scimus atque firmiter credimus. Fuit præterea Urbs Hierosolymæ à Deo honore affecta natali Beatissimæ ac gloriosissimæ semperque Virginis Mariæ, quia in hac Vrbe secundum plurimorum sententiam, quam refert & sequitur eruditissimus P. M. Joannes Baptista de Lezana Carmelita tom. 1. Annalium ejusdem Ordinis ad annum Mundi 4037. num. 3. Deipera nata est. Si verò obiicies, quia est sententia, quæ asserit Beatissimam Virginem ortam esse in Nazareth Galilææ, ut habet Author libelli de ortu Virginis, qui inter opera D. Hieronymi extat, & refert idem Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis in Matth. 2. quæst. 91. ac favet Baptista Mantuanus Carmelita in Apologia pro Carmelitis, & sequuntur Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos num. 48. Salianus sub anno Mundi 4038. num. 1. & alii. Respondetur, quòd quamvis hæc opinio probabilis valdè sit, probabilior tamen censetur illa, quæ asserit Hierosolymis natã esse. Eam indicat Petrus Dorlandus in vita S. Annæ cap. 5. quæ extat in fine libri de vita Christi Ludolphi Carthusiani. Ita etiam Joannes Novatus lib. de eminentia Virginis cap. 4. quæst. 2. cujus fundamentum sumitur ex antiqua ejusdem Sanctæ Civitatis traditione, qua domus Sanctæ Annæ, in qua dicitur Sanctissima Dei Genitrix orta, notatur in ea, juxta illum locum, in quò erat Probatica Piscina. Sic enim habent Guillelmus Blandesel in Itinerario Terræ Sanctæ, Cotovicus etiam in Itinerario lib. 2. Adrichomius in descriptione Hierusalem num. 37. nec dissentit Barradius tom. 1. lib. 6. cap. 5. Testis autem fidissimus hujus traditionis videtur esse S. Joan. Damascenus 4. de Fide cap. 15. ubi inquit: *In lucem editur Virgo in domo probatica Ioachim*, id est, in domo Joachim vicina Probaticæ Piscinæ: & Orat. 1. de Nativit. dicens: *Fausta ibi sint omnia, ò Probatica, Reginæ domicilium, ò Probatica seminum Ioachim.* Et infrà: *Semel quot annis Angelum Dei excipiens aquam turbantem, & unum valetudini restituentem.* Si autem ad fusum sanguinem Apostolorum & Martyrum recurratur. In promptu est responsio, quia circa id majorem quoque prærogativam habuit Hierusalem, quàm Roma: quoniam Hierosolyma non solùm diffuso sanguine Apostolorum & Martyrum fuit consecrata, sed etiam pretioso sanguine fuso Jesu Christi, qui in ea crucifixus & mortuus est pro salute totius generis humani. Visitur usque modo in hanc inclytam Vrbem à fidelibus illius Sacrosanctum

Responsio ad primam rationem.

Maioribus prærogativis fuit à Deo decorata Hierosolyma, quàm Roma.

Beatissima Virgo Maria vtrum Hierosolymis, an Nazareth nata sit.

Quamuis sit sententia valdè probabilis, quæ asserit Deiperam ortam esse in Nazareth Galilææ, tamen probabilior censetur ea, quæ tradit Hierosolymis natam esse.

Hierosolymis est Sacrosanctum Chri-

sanctum Sepulchrum, quod ibi est in maxima veneratione. Et tamen hodie Hierusalem vivit aliena à Fide Christi, cùm sit Saracena sub Turcis, ut suprà dictum est. Hinc haud est mirum si Roma, in qua nunc viget Catholica Fides, prope occasum sæculi ab ea apostatabit: & sic rursus erit, sicut olim fuit, Ethnica & Pagana.

Christi sepulchrum, quod eò visitur à fidelibus.

XX.

Ad secundam rationem respondetur, quòd etsi specificè non sit consona Patribus, genericè tamen est consona illis: nam in novissimis temporibus, maximè circa adventum Antichristi, dicunt Patres fore recessum multorum à Fide Catholica, & scandalum multorum: cuius rei mentio habetur Matth. 24. ubi Salvator noster dicit: *Quòd tunc abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum*: sicque Fides vera in multis deficiet. Propter quod Apostolus inquit primæ Timoth. 4. *Spiritus manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à Fide.* Non solùm autem eiusmodi recessus erit à Fide, sed etiam à Romano Imperio, ut omnes Patres & Doctores asserunt, & probant ex D. Paulo in 2. ad Thess. 2. ver. 3. ubi Apostolus ait, quòd prius quàm veniat illud horrendum monstrum, fiet omnium, quæ unquam fuerunt, maxima à Fide Christi & Romano Imperio defectio. Ponam hic verba S. Pauli, quæ ita se habent: *Nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, &c.* Græca pro discessione, habent apostasiam: *Nisi venerit illa apostasia primùm*: nam est cum articulo emphatico. Apostasia autem propriè est defectio, desertio, rebellio. Vult igitur Divinus Apostolus per hanc apostasiam duo astruere. Primò generalem futuram defectionem ab Ecclesia & Fide Christiana, ut exponunt S. Cyrillus Catech. 15. D. Anselmus, & alii. Deinde futuram omnimodam discessionem omniũ nationum, ac Provinciarum ab Imperio Romano per decem futuros in Orbe Reges, ita ut nulla eidem subiecta relinquatur, & ipsum Imperium penitùs auferendum de Mundo, & tunc venturum Antichristum. Ad hunc modum indicatum locum S. Pauli intellexit Tertullianus de Resurrectione cap. 24. & 25. cùm explicans præfata verba Apostoli, hæc ait: *Quoniam nisi veniat abscessio primò hujus utique Regni* (nempè Romani) *& reueletur delinquentiæ homo, id est, Antichristus, filius perditionis, quia aduersatur, & superextollitur in omne quod Deus dicitur, vel Religio, uti sedeat in Templo Dei adfirmans Deum esse. Nonne meministis, quòd cùm apud vos essem, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis ad reuelandum eum in suo tempore. Jam enim arcanum iniquitatis agitatur: tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis? nisi Romanus status, cujus abscessio in decem Reges dispersa, Antichristum superinducet. Et tunc reuelabitur ille iniquus, & c.* Ita Tertullianus. D. Hieronymus eundem præadductum S. Pauli locum elucidans Quæst. 11. ad Algasiam,

Responsio ad secundam rationem.

S Paulus quid intelligat per futuram discessionem in Orbe, antequam appareat Antichristus.

M sic

sic fatur: *Nisi*, inquit, *venerit discessio primùm, quod Graecè dicitur apostasia, ut omnes Gentes, quae Imperio Romano subjacent, recedant ab eo: & revelatus fuerit, id est, ostensus, & c.*

XXI.

Quidam hanc discessioné interpretantur ipsũmet Antichristũ, per antonomasiam, vel per metonymiam, eò quòd ipse causa erit universalis apostasiae, ut plerique homines discedant à Christo.

Sunt qui nomine apostasiae designatum putent ipsummet Antichristum, qui emphaticè appellatus sit à S. Paulo illa apostasia: vel per metonymiam, quia nullus tot tantosque à Fide Christi apostatare fecit, ut Antichristus, qui maximam omnium quotquot unquam extiterunt, aut futurae sunt à vera Dei Fide & Religione defectionem inducturus est. Vel per antonomasiam, quia tantus tamque impiè & efferatè erit apostata, ut nedum apostata, sed ipsa apostasia meritò dici queat. Sicuti illud, *Non scelestus, sed ipsum scelus.* Nullus enim tam insano furore, tantaque superbia adversus Deum cervicem erexit, ut efferet Antichristus, qui se verum & aeternum Deum immensa impietate jactabit, ut infrà in V. Tractatu diffusè agetur. Sed propriè magis nos illam apostasiam seu discessionem, de qua loquitur Apostolus, accipimus, sicut accepimus suprà variis in locis, generalem seu universalem Gentium defectionem tùm à Romano Imperio, ut explicant (ut suprà audisti) Tertullianus, D. Hieronymus, S. Ambrosius, Primasius, Sedulius, & alii; tùm consequenter à Romano Pontifice & Ecclesia, ut S. Anselmus; tùm denique à Fide & Christo, ut S. Cyrillus loco suprà indicato. Nam ista discessione facta praeparata erit via Antichristo, ut recipiatur penè ab omnibus. Idcircò verisimile est, quòd post hanc discessionem statim veniet Antichristus, vel nascendo, vel publicè praedicando, ut aliqui asserunt. Ita D. Dionysius Carthusianus super praeadductum locum S. Pauli.

Ante adventum Antichristi pleraeque gentes deficient à Romano Pontifice & Imperio.

XXII.

Rebellio generalis, seu universalis Gentium à Fide Catholica & Romano Imperio erit praevia Antichristo.

Itaque circa extrema Mundi tempora prope adventum Antichristi, immanis quaedam ac maxima omnium, quae hactenùs contigerunt, futura est apostasia, seu defectio, aut rebellio à Fide Christiana & subjectione Romani Imperii, cùm scilicet omnes Gentes, cunctique Reges desciscent ab Imperio Romano, atque ab ejus obedientia resilient. Nimirum cùm in Romano Imperio exurgent decem illi, quos praediximus, Reges, qui omnes Provincias terrasque, quae olim fuère Imperii Romani, occupantes, inter seque partientes, in ipsum Imperium rebellabunt, omnesque nationes, quae unquam fuère Imperii ab eo abstrahent, sibique subiicient, remque omnem ac nomen Romani Imperii delebunt; cùm nullus eorum se Regem, aut Imperatorem Romanum sit appellaturus, uti suprà fusiùs latiùsque in 1. Tractatu ostensum est.

XXIII.

Quis igitur excipiet Romanam Vrbem ab hac generali & universali apostasia? nemo quidem, cùm evidenter appareant praevia ejus signa futurae defectionis ex tot tantisque schismatibus, quae in ea con-

contra veros Christi Vicarios perpetrata sunt, donec ultimum perpetretur, quod erit omnium maximum schisma, quod accidet sub Angelico Pastore Petro Romano, qui admirandæ sapientiæ & Sanctitatis futurus sit, tantæque humilitatis & modestiæ, ut neminem ad osculum pedum admissurus sit: ac instar Christi habiturus duodecim Apostolos, per quos reformabit & Divino amore succendet totam Ecclesiam, ut illa ad primordia Sanctitatis suæ sub Apostolis redire videatur. Sed is, quia Romana Vrbs tunc rursus erit infidelis, indignè deponetur à sede, ac injustè persequetur. Hanc ob horrendam causam, & propter suum Ethnicismum, Roma est desolanda & igni concremanda, ut deducitur ex cap. 17. Apocalypsis. Quamvis hunc locum Malvenda lib. 4. cap. 6. existimet posse accipi de incendio & excidio Romæ illato ab Alarico, Genserico, Odoacre, & Totila. Id quod ex dictis & ostensis patet esse improbabile: illud enim non à decem, sed à singulis Regibus Romæ fuit inflictum; nec fuit tantum, quantum hoc erit, quod cap. 18. ejusdem Apocalypsis describitur, nimirum extremum & inauditum. Rursum, tunc Roma fuit Christiana, ac consequenter non fuit infidelis, nec ita superba & dives, ut Babylon vocari posset. Tradiderunt hanc futuram Romanæ Vrbis in fine Mundi devastationem etiam Sibyllæ, quas & sequitur Lactantius Firmianus lib. 7. Divinarum instit. cap. 25. ubi inquit, quòd finis Orbis non aderit, nisi Roma destructa, & in confirmationem huius adducit oraculum Sibyllarum, id fore asserentium. Quæ quidem destructio ponitur à Doctoribus pro quinto signo, quod præcedet adventum Domini ad Iudicium, ut refert Bonacina de Sacrosancta Christi Incarnatione Disput. 11. quæst. 5. in fine.

Petrus Romanus, Pastor Angelicus nuncupatus, erit ultimus Pontifex, seu Papa.

Eius sapientia, Sanctitas, humilitas, & modestia

Pastor Angelicus deponetur à sede, & persequetur.

Causa & origo, ob quam Roma in fine Mundi, est desolanda, & igni concremanda.

Destructio, seu eversio Romanæ Vrbis ponitur à Doctoribus pro v signo, quod præcedet adventum Domini ad Iudicium.

XXIV.

Obiicit Alcazar, ut refert Cornelius à Lapide in 17. Apocalypsis ver. 1. prope finem, Romã fore æternam, nec excindendam, ut veteres senserunt: unde & S. Benedictus prædixit eam nunquã ab infidelibus eversum iri, uti refert S. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 15. Respondetur, quia S. Benedictus tantùm prædixit, Romam à Totila & suo sæculo non evertendam. Sic enim habent verba S. Gregorii: *Canusinæ Antistes Ecclesiæ dum cum viro Dei* (nempe S. Benedicto) *de ingressu Regis Totilæ & Romanæ Vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc Regem Civitas ista destruetur, ut jam ampliùs non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma à Gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus coruscis, turbinibus, ac terræmotu fatigata, in semetipsa marcescet. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac Vrbe dissoluta mœnia, eversas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus.* De suis ergo temporibus locutus est S. Benedictus, non de ultimis Mundi. Porrò superbum æternitatis, & con-

Obiicies Ludovicus ab Alcazar.

Responsio.

& consequenter deitatis nomen, Romæ à Gentilibus Scriptoribus,

Roma æterna quo modo?

utpotè adulatoribus, datum est, ut vocaretur Roma æterna, Roma dea. Fateor tamen æternam dici posse hoc sensu, quia usque ad finem Mundi durabit, sed tempore decem præfatorum Regum evertetur, ut suprà demonstratum est. Origo opinionis de Romæ æternitate orta est ex eo, quod scribit Lucius Florus in Tarquinio Superbo: *De manubiis*, ait, *captarum Urbium templum erexit, quod cùm inauguraretur, cedentibus cæteris diis, restitère Iuuentus & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum: siquidem firma omnia & æterna pollicebantur.* Hinc Attalus tyrannus Imperii sub Honorio Imperatore numisma cudit, in cuius altera facie Roma expressa erat hoc titulo: *Invicta Roma æterna.* Similia numismata plura habet Pierius Hierog. 43. Hinc & Virgilius 1. Æneidos ex Iovis ore ita canit:

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

TRACTATUS QUARTUS

De Regno & Monarchia Antichristi, ac de ejus moribus, doctrina, & miraculis.

I.

Antichristus superabit priores omnes Reges Imperii amplitudine.



T verò Antichristus postquam tres viciniores Reges ex illis decem, quos ipse, cùm veniet, reperturus est in Orbe regnantes, bello superabit atque è medio tollet, & reliquos septem ad sui observantiam & obedientiam compellet, fiet unus omnium Rex, & Monarcha evadet. Nam tantam impius consequetur potentiam, & tàm longè latèque dominatum & Imperium suum extendet, ut maximus omnium; qui fuerint ante ipsum, Monarcha futurus sit: maximam namq; Orbis terrarum partem, sub ditionem suam & potestatem subiiciet. Hæc prænunciavit Daniel cap. 11. Enarrans enim S. Propheta nobiles

les victorias, prosperosque successus Antichristi, sub figura Regis Antiochi, ita dixit: *Faciet, quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum eius.* Quem locum explanans D. Hieronymus; *Nullus*, inquit, *Iudæorum, præter Antichristum, in toto unquam Orbe regnavit.* Et D. Joan. Chrysostomus super 2. cap. posterioris Epistolæ S. Pauli ad Thessalonicenses: *Quemadmodum*, ait, *Monarchiam Assyriorum destruxerunt Medi; & Medorum, Persæ; & Persarum, Macedones, seu Græci; denique Græcorum, Romani: ita Romanorum Monarchiam evertet Antichristus; eius verò Imperium delebit Christus Dominus, cuius Regnum manebit in æternum.* Daniel prçterea, cap. septimo, inquit, Regem illum, quem significabat cornu modicum, potentiorem ac maiorem fore prioribus Regibus: quod nequaquam competit in Antiochum Epiphanem; quippe, multo potentior eo, fuit pater eius Antiochus Magnus, priusquam belligerasset cum Romanis. Ergo competit in Antichristum, qui Reges & Principes primùm ad se cõvertet, deinde per illos cæteros populos. Eum namque certum est fore Regem omnium potentissimum, Orbisq; Monarcham, ac Imperium ingentius, longèq; amplius habiturum quàm ullum ante se Regem, aut Monarcham à Mundo condito; eò quòd impius se facturus est totius Orbis Monarcham, & subiecturus sibi vel vi, vel metu, vel voluntate universum Mundum: nam, incredibili celeritate instar turbulentissimi fulminis, Ægypto, Libya, & Æthiopia in potestatem redactis, ingens sibi nomen, & famam rerum gestarum comparabit, totumque Orbem terrore, & turbatione complebit, atque tribus annis cum dimidio imperabit, ut tenet communis sententia Patrum & Doctorum.

Antichristus erit Rex omnium potentissimus, & totius Orbis Monarcha.

Antichristus brevi tempore regnabit.

II.

Sed quibus modis tantam potentiam, quantam habiturus est, sibi comparabit Antichristus? Enimverò, cùm sit futurus omnium callidissimus & vaferrimus, prout varia erunt hominum ingenia & studia, variis ipse artificiis utetur ad circumveniendos homines, sibique subiiciendos. Equidem multos modos secundum multos varios suos mores, quos impius habebit, colligo ex Patrum doctrina, quibus ille innumerabiles sui sectatores efficiet. Primò per summam simulationem & hypocrisiam, quia erit (ut diximus suprà in præcedenti Tractatu) maximus hypocrita, qui innumerabiles gentes ad se trahet magna comitate & gratia se insinuandi, captandique hominum gratiam: & initio simulabit se valde humanum, benignum, pium legis Mosi zelatorem, ut Iudæos alliciat & decipiat: alioqui enim eum Iudæi nõ admitterent. Itaque Antichristus sanctimonia simulata illiciet ad se homines, quia erit maximus seductor. Vnde Psal. *Sedet in insidiis, ut interficiat innocentem.* Psal. v. *Et erit simulator & blandus.* Hinc S. Joan. Damascenus: In primordiis (inquit) Regni sui simulabit iustitiam

Quibus modis potentiam sibi comparaturus sit Antichristus.

Qui & quales erunt mores Antichristi.

Antichristus sanctimonia simulata trahet ad se innumerabiles homines.

tiam

tiam suam, ut possit simplices ad se trahere. Vnde Psalm. ubi suprà: *Insidiatur ut rapiat pauperem, dum attrabit eum.* Hinc dicit Gloss. *Cum blanditiis trahit eum ad se*: nam Antichristus totus erit politicus, omnesque politicorum artes, dolos & praxes callebit. Hoc est enim quod dixit S. Paulus in 2. ad Thess. 2. ver. 10. Antichristi adventum fore secundum operationem sathanæ, in omni seductione iniquitatis, in iis qui pereunt, ut omni arte & modo seducat homines ad iniquitatem, ut pereant & damnentur. Habebit enim Antichristus magos, maleficos, divinos, incantatores, qui eum diabolo inspirante nutrient & docebunt in omni iniquitate & falsitate ac nepharia arte: atque maligni spiritus erunt duces eius & socii semper & comites indivisi, ut tradit Rabanus in eius Tractatu, prout supra in præcedenti Tractatu ostensum est.

Antichristus erit maximus seductor.

Qui & quales erunt duces, & comites Antichristi.

III.

Secundò non solùm per incredibilem sapientiam & eloquentiam: callebit enim Antichristus omnes artes & Scripturas, ait D. Anselmus; sed etiam per miram scientiæ ostentationem, quia per hanc impius homines sciendi cupidos & curiosos trahet ad se, prout suprà in præcedenti Tractatu ostensum est: & erit gloriæ cupidissimus, omniaque sua referet ad suam gloriam, honorem, Imperium; eritque superbissimus super omnes homines, quotquot unquam ab Orbe condito extiterint, & ad finem usque Mundi existent; nam supra Deum se extollet, in quo videtur Luciferi superbiam esse superaturus; quia de hoc legimus quidem Dei similitudinem expetiisse; at non superioritatem: quare D. Gregorius lib. 4. Epist. 38. vocat Antichristum Regem superbiæ; nam impius adepto Imperio, volet, prout infrà in sequenti Tractatu ostendemus, coli ut Deus: idcircò faciet homines imaginem suam adorare, & destruet signa Crucifixi. De quo S. Ioannes in Apocal. 13. ver. 5. *Et datum est* (inquit) *ei os loquens ingentia*, id est, magna, *& blasphemias: & aperiet os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in Cœlo habitant: & faciet, ut quicunque non adoraverit imaginem bestiæ, occidetur.* Et subdit Apostolus ver. 16. *Et faciet omnes pusillos & magnos, divites & pauperes, liberos & servos, habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis: & ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.* Itaque Antichristus characterem suum, quasi suæ sectæ signum, volet ab omnibus suis in fronte, aut manu gestari. Sed quis & qualis erit hic character Antichristi? Respondetur, quòd variæ sunt Doctorum sententiæ; alii enim existimant, fore nomen Antichristi; alii fore Draconis insigne: quia putant Antichristum pro charactere habiturum formam Draconis (sicut Romani olim Aquilas gestabant, & per singulas cohortes Dracones, quos qui portabant Dra-

Antichristus per miram suæ sciētiæ ostentationem sibi homines subiciet.

Erit ambitiosissimus.

An Lucifero superbior Antichristus.

Antichristus characterem suū suis imprimet.

Quisnam sit futurus character Antichristi.

Draconarii dicebantur, teste Vegetio lib. 2. de Re militari cap. 13.) ut ea repræsentet suum dæmonem, à quo missus est, & à quo agetur & regetur. Verùm superbia Antichristi, æquè ac dæmonis, non feret hanc formam; nec enim dæmon Draco videri & nominari, nec Antichristus à Dracone missus videri volet; præsertim quia ipse solus volet (ut diximus) adorari ut Deus.

Ribera in Apoc. 13. putat Antichristũ pro charactere habiturum symbolum Draconis.


IV.

Viegas verò super præadducta verba Apocalypsis censet tres fore Antichristi characteres; primum, imaginem Antichristi ad vivum expressam; secundum, nomen ipsius proprium propriis literis inscriptum; tertium, literas quæ continent numerum nominis eius per compendium, qui numerus erit 666. Itaque omnes compellentur aliquid horum trium, quasi characterem Antichristi in fronte aut manu dextera gestare, ut ait ubi suprà S. Ioannes: propriè ergo per characterem Viegas accipit imaginem seu effigiem Antichristi: sed inter plures tamen convenit, ut ait Pererius in Daniel. cap. 12. ver. 1. characterem Antichristi, fore vel hoc; *Nego crucem*: vel *Nego baptismum*: vel *Nego Jesum*. Sicut enim olim Trajanus (teste Plinio) Decius, aliique tyranni, qui volebant Christianos reducere ad cultum suorum idolorum, exigebant ab eis ut dicerent, *Nego Christum crucifixum*: ita Antichristus, ait S. Hippolytus Martyr lib. de Consumm. sæculi, dicet, *Nega Deum tuum crucifixum*. Ejus ergo sigillum & character, quem ab omnibus exiget, erit hic: *Nego Creatorem Cœli & terræ, nego baptisma, nego adorationem à meo Deo præstari solitam: tibi adhæresco, in te credo*. Hæc enim erit apostasiæ & apostatarum professio. Quæ quidem sententia nobis videtur esse verisimilis, quamvis Ansbertus, quem sequitur Ribera in præallegatum locum Apocalypsis, dicat à Deo sibi revelatum, Antichristi characterem fore nomen Christi Græcè scriptum, sed per duas aut tres tantùm primas literas invicem connexas & conglobatas designatum; sicut à Constantino Magno in vexillo, quod Labarum dicebatur, primitùs deferebatur, hoc pacto videlicet;

Viegas ibidem existimat characterem Antichristi fore eius imaginem.

Genuina sententia de charactere Antichristi.

Vtrum nomen Christi sit futurus character Antichristi.



ubi litera P est Ro Græcum, cui respondet R Latinum; duæ lineæ transversæ faciunt X chi Græcum, respondens ch Latino: tertia linea recta inter duas transversas media, est I iota Græcum, respondens i Latino, quæ sunt tres initiales literæ nominis Christi: quod miror Cornelio à Lapide placuisse. Nam si Christi nomen character erit Antichristi: ergo cùm idem fuerit & noster; nullum erit discrimen inter Christi fideles, & Antichristi sectatores: & hi non minùs, quàm nos Christiani dicentur. Nemo quoque fidelium hunc characterem sibi imprimi dedignabitur; & cùm Apocal. 19. ver. 20. dicatur, vivos in stagnum ignis missos fuisse, qui

cha-

characterem bestiæ accepissent, si hic est Christi nomen, & Constantinus, & Christiani ferè omnes antiqui præsertim qui illo Christi charactere se, & sua muniebant, ut videre est apud Bar.c.4.ann.312. omnes in gehennam trudemur; Gentiles contrà salvabuntur: nam cap.20. Apocal.v.4. dicuntur omnes, qui non acceperint characterem bestiæ, regnaturos cum Christo. Prudentius Viegas: *Non est credibile*, inquit, *Antichristum habiturum pro charactere nomen Christi, cùm nihil magis, quàm Christum Dominum, quisque memoriam omnem execrari deberet.*

V. Antichristus ante omnes Iudæos sibi adjunget.

Tertiò per reconciliationem Iudæorum, quia in primis Antichristus (ut suprà in præcedenti Tractatu ostensum est) Iudæos sibi adiunget, mentiendo se esse Messiam, & promittendo facturum se omnia, quæ Sancti Vates prædixerunt, Messiam esse facturum: idcircò impudens erit, ait Daniel; atheus insuper & blasphemus in Deum, tabernaculum eius, & Sanctos: nam impius primò tollet omnem Deum & Numen, ut ipse solus pro Deo colatur, uti suprà ostendimus, & infrà in sequenti Tractatu ostendemus. Secundò auferet Dei tabernaculum, id est, Ecclesiam & templa. Tertiò, Sanctos omnes Cælites & Beatos.

Erit atheus, & securabit coli ut Numen.

VI. Largitiones Antichristi.

Quartò per largitiones munerum: nam quos viderit Antichristus terrenorum bonorum cupiditatibus incensos, quæ maxima pars mortalium est, eos pelliciet magnorum largitione munerum, & ampliorum præmiorum promissione. Hoc indicavit Daniel cap.11. cùm dixit: *Multiplicabit* (scilicet Antichristus) *gloriam illis*, id est, sectatoribus suis, *dabit potestatem multis, & terram gratuitò dividet*. Quæ verba explanans Beatus Hieronymus, *quos Antichristus*, inquit, *minis & terroribus non subiiciet, eos subjugabit avaritia*. Largietur enim deceptis munera, & terram suo dividet exercitui. Habiturum verò esse Antichristum immensam vim auri & argenti, ac divitiarum, præsignificavit Daniel ubi suprà propè finem, illis verbis: *Dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis*. Tantas has divitias comparabit sibi Antichristus, ex plurimis Gentibus & Provinciis, quas à se debellatas & suo Imperio subjectas, bonis omnibus spoliabit. Diabolus insuper, ingentem copiam auri & argenti, ei suppeditabit, ex naturalibus venis ubi nascitur, ipsum eruens: id enim faciendi, dabitur tunc ei à Deo potestas: nunc autem ejus rei facultas non illi permittitur; esset enim vehemens malorum omnium illecebra, & maximum hominibus ad peccata incitamentum, si posset dæmon arbitratu suo, quibuscumque vellet, divitias elargiri.

Antichristus est habiturus ingentes opes.

VII. Quintò per maximam tyrrannidem, quia Antichristus erit omniū impiissimus & crudelissimus tyrannus, maximè in Christianos: nam quos

quos impius aliter non poterit suos facere, eos minis terroribusque concussos atque tremefactos, ad sui obedientiam compellet. Etenim, tanta est futura ejus persecutio, sicut infrà docebimus, ut pauci, etiam de probatissimis viris, futuri sint, qui ei non succumbant. Atque hoc Daniel prænunciavit cap. 7. dicens: *Et prævalebit adversus Sanctos.* Ioannes quoque in Apocalypsi cap. 13. *Datum est*, inquit, *ei bellum gerere cum Sanctis, & eos vincere.*

Antichristus erit crudelissimus tyrannus.

VIII.

Antichristus erit luxuriosus.

Sextò per summam libidinem & concupiscentiam, quia Antichristus totus erit in libidinibus & concupiscentiis fœminarum, uti ait Daniel cap. 11. ver. 38. Vnde Iudæi inter alia terrena bona etiam uxorum multitudinem ab hoc suo Messia expectant. Aiunt enim illum uxores multas habiturum, copiosam filiorum segetem procreaturum: ipsisque polygamiam ac filiorum, concubinarumque greges, quæ olim veteris Instrumenti Patres, Reges & Principes habuère, abundantiùs concessurum. Neque enim in hac parte Messiam suum minùs facturum, quàm Davidem, Salomonem, & alios, facilè sibi persuadent tenebris obruti Iudæi. Videtur in hac sententia esse Malvenda lib. 6. cap. 22. nam eo loci ait, Antichristum, ut morem Iudæis gerat, quorum potissimum causa venturus est, initio Regni non unam tantùm aut alteram, sed plurimas uxores ac concubinas ducturum, illasque omnium pulcherrimas, ac formosissimas delectas ex filiabus magnorum Regum ac Principum, quò se pro Messia illis obtrudat, seque illum esse demonstret, quem ipsi adeò polygamum præstolantur. Nec multum à vero aberraverit, qui Antichristum immensis immodicisque uxorum, pellicumque gregibus abundaturum putaverit. Nam si Scriptura Sacra Salomonis unius duntaxat Iudææ Regis Reginas, hoc est, iustas ac primarias uxores, & quasi matres familias septingentas; cōcubinas verò & pellices, hoc est, minores uxores trecentas fuisse prodit, quid mirum videri poterit, Antichristum Orbis summum omnium Monarcham, infinita libidine ac lascivia dissolutum, multo plures ac propemodum innumerabiles habiturum?

Num sit habiturus vxorem.

IX.

Antichristus erit nefandissimus magus.

Septimò per artem Magicam, quia Antichristus erit nefandissimus magus & magicis artibus à puero (ut suprà in præcedenti Tractatu ostensum est) imbuetur, habebitque certum quendam dæmonem, Moazim sive Maozim nomine, ut inquit Daniel cap. 11. ver. 8. ita familiarem, ut vix alicui bonæ inspirationi, custodiæ Angelicæ, aut Divinæ gratiæ daturus sit locum; immò vix ullum opus moraliter bonum sit effecturus. Sed pro maiori horum declaratione sciendum est, quòd quærunt primò Doctores, an Antichristus admissurus sit unquam ullam inspirationem, sive Divinam, sive Angelicam, dubitari potest. Et parti negativæ favent Suarez, & Viegas, qui confirmat hoc verbis illis Iob. 41. quæ sub typo Leviathan de dæmone di-

An inspirationes sit admissurus Antichristus.

dicuntur,& ad Antichristum referri possunt: *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus: una uni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.* Vbi significatur, animum Antichristi ita futurum undequaque obfirmatum & obstinatum in malo, ut nulli vel minimæ Spiritus Sancti auræ, hoc est, inspirationi locum præbeat. Sed advertendum, non esse in libertate nostra, ut inspirationes Divinæ tangant, vel non pulsent cor nostrum; sunt enim à Deo tantùm, absque libera cooperatione nostra; ipsis verò assentire, vel non, pendet ab arbitrio nostro. Si ergo per admittere inspirationes, intelligant præfati Auctores illis assentiri, probabilis est eorum opinio; si verò ita cordis ostia obstruere, ut nulli inspirationi pateat ad ipsum aditus, Dico à nobis hoc fieri non posse; nequimus enim Deum impedire, quin aliquam bonam cogitationem, sive inspirationem immittat; fortè tamen Deus prænoscens, frustrà Antichristi cor his vocibus excitandum, ab illis abstinebit; sed contrarium probabilius mihi videtur; tùm ut salvetur auxilium sufficiens; tùm etiam, ut magis inexcusabilis sit Antichristi malitia. Secundò

An bonum aliquod sit operaturus Antichristus.

quærunt, an ullum saltem exiguum opus moraliter bonum sit operaturus Antichristus? Et videtur ob ea, quæ in exordio sui Regni facturus, affirmandum: patrabit enim tunc Antichristus aliqua bona opera; sunt autem bona, immò optima opera, clementem esse, eleemosynas largiri & c. Dicendum tamen, si loquamur de bono opere, quod nulla mala circumstantia vitiatum existat, non videri illud operaturum Antichristum, dum Antichristus erit (forsan enim priùs erit bonus) quoniam bono fine hæ omnes ejus actiones carebunt; non enim faciet illas amore Dei, sed ob vanam gloriam, & ut faciliùs homines decipiat; si autem consideretur operis substantia per se tantùm, non est negandum, nonnulla bona opera patraturum Antichristum, saltem in exordio sive Regni, sive vitæ suæ, ut dictum est: sed hæc ille fraudulenter aget propter arctissimam necessitudinem, quam impius habebit cum præfato dæmone Maozim,

Auxilium Dei non defuturum Antichristo.

qui eum ab auxilio Divino, quod ei non defuturum est, avertere conabitur: nam faciet, ut Antichristus illi auxilio non sit cooperaturus. Sermo quidem est de auxilio sufficienti, per quod creatura potest, si vult, se ad Deum convertere, ac benè agere, & salvari; non autem de auxilio abundanti: quoniam id, an Deus daturus sit Antichristo, incertum nobis est: quia sæpè, ubi abundat peccatum, superabundat & gratia; si tamen non datur, adscribendum videtur misericordiæ, non minùs, quàm justitiæ; prævidens enim Deus, Antichristum illi abundanti auxilio non cooperaturum, ne graviùs

Nec Angelum Custodem.

illud repellendo peccet, misericorditer ipsum subtrahit. Nec est in dubium vertendum, Angelum custodem nunquam omninò ab Antichri-

tichristo recessurum, saltem, ut non præceps in omnia vitia ac scelera ruat, ad quæ perfidus, an sit redditurus propensissimus opere seu arte præostensi dæmonis Maozim, dubitatur: nam quidam affirmant; alii verò negant, quorum opinio mihi videtur esse probabilior. Primò, quia incertum est, an possit hoc dæmon efficere; licèt enim alterare possit humores, & primas qualitates, vel per motum localem, vel applicando activa passivis; non est tamen certum hoc sufficere ad majorem propensionem ad peccandum. Deinde, si exempli causa reddat dæmon intensiorem calorem, aut calidiorem sanguinem in embryone, hic major calor reddet promptiorem fortè ad iram hominem illum: sed faciet etiam audacem ad subeunda pericula, & magnanimum, & liberalem: quare non magis dici poterit redditur propensior ad vitia, quàm ad virtutes. Pugnantia quoque videntur dicere Auctores partis affirmativæ, dum asserunt, reddendum ope dæmonis Antichristum propensiorem ad omnia vitia: nam hæc sæpenumero sunt inter se contraria, ut superbia & luxuria, prodigalitas & avaritia, ira & accidia; qui ergo erit propensior ad unum contrarium, tardior erit ad alterum. Quare ex Aristotele diversorum vitiorum, diversa signa ponuntur in Physiognomia, ut iracundi color subrufus, luxuriosi verò color albus; non ergo potest aliquis simul ad omnia vitia reddi propensior. Præterea non est mihi verisimile, hoc Deum permissurum; cur enim in Antichristo potiùs hoc permitteret, quàm in aliis hominibus? An quia Antichristus futurus est pessimus? Atqui non potest hoc intendere Deus, qui est summè bonus, & peccati non est Auctor. Nec, ut sit pessimus homo, indiget hac præparatione humorum, quia ex ipsa natura corrupta, & nimium est ad scelera propensus. An in pœnam peccatorum parentum? At in his, quæ ad animam spectant, non punit Deus peccata parentum, in filiis, ea, quæ eis naturaliter debentur, auferendo. Verùm quia præfatus dæmon Maozim innumerabiles Antichristo suggeret iniquitates, quas ipse illico perpetrabit: idcircò dicitur, eum illius opera ad scelera adeò fore propensum. Atqui hunc Maozim Antichristus, licèt in propatulo & publicè, nullum se Deū colere ostendet, & se solum ut Deum adorari volet; attamen privatim & clam, pro Deo colet & adorabit: in cuius tutela ipse erit, quia in eo robur omne suum & præsidium Antichristus locatum habebit, eique omnem suam potentiam & felicitatem, acceptam feret. Quocirca Moazim ita dictus est quasi arx & propugnaculum Antichristi, quia ejus ope atque auxilio omnia quæ volet, impius conficiet: & ab eo omnem fallendi artem discet. Hoc enim significat S. Paulus in 2. ad Thess. 2. ver. 3. cùm eum vocat hominem peccati, filium perditionis: & ver. 9. cùm ejus adventum dicit fore secun-

An arte dæmonis ad mala propensus sit futurus Antichristus.

Ad omnia vitia esse Antichristū propensum implicat.

Deum non permissurum dæmoni.

Ratio, quare dicitur, dæmonis opera ad scelera Antichristum adeò fore propensum.

Publicè & palā nullus Deus ab Antichristo adorandus.

De Deo Moazim, quem secretò & occultè colet & adorabit Antichristus.

dum operationem sathanæ. Adeò ergo sceleſtiſſimus omnium mortalium erit Antichriſtus, ut in eo, inquit D. Irenæus lib. 5. cap. 29. futura ſit recapitulatio univerſæ iniquitatis & omnis doli, in eumque conflnat & concludatur omnis virtus apoſtatica.

X.

Quæ & qualis erit doctrina Antichriſti.

Octavò per falſam doctrinam. Vnde Pſal. 9. *Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo*: quia erit Antichriſtus aſtutus, & prædicabit novam legem & antiquam, quæ peccandi licentiam præbebit. Quia ſicut lex veritatis & ſalutis peccatum prohibet, ſic ſua lex iniquitatis peccatum perſuadet. Hinc Pſal. 10. *Conſtitue Domine legiſlatorem.* Dicit enim S. Thomas, quòd Antichriſtus prædicabit & affirmabit falſis propoſitionibus, ante ſe nullum Chriſtum, ſed omnes Antichriſtos fuiſſe, & aſſeret legem Chriſti falſam & prædicationes. Itaque docebit Jeſum non fuiſſe Meſſiam, nec Filium Dei, nec hominum Salvatorem; & conſequenter totam ejus Religionem, & Sacramenta eſſe unam ſuperſtitionem: ideò enim dicitur Antichriſtus, 1. Ioan. 2. ver. 22. qui ſe eſſe Meſſiam Judæis perſuadebit; unde initio Regni docebit circumciſionem & legem Moſis ſervandam eſſe, ut ita Judæos ad ſe trahat, Joan. 5. ver. 43. Sed factus Monarcha legem Moſis, quin & naturæ legem abiiciet, & Deum verum, à quo data eſt, negabit: *Putabit* (ait Daniel cap. 7. ver. 25.) *quòd poſſit mutare leges & tempora*, ſeque ſolum eſſe Deum prædicabit, ut infrà in ſequenti Tractatu patebit: ac conſequenter nullam pœnam aut præmium in alia vita à Deo vero ſperandum eſſe docebit; negabit ergo infernum, Cælum, & animæ immortalitatem; hæc enim negant athei. Hinc fiet, ut gulæ, libidini & ſceleribus omnibus, quæ gloriæ & Imperio non obſtabunt, ampliſſimam det licentiam. Et per univerſas Mundi partes diſcurret eandem ſuam falſam doctrinam prædicans. Et ſeducet multos, & dabit ſuis ſequacibus ſpiritum malignum, & revelabit eis Scripturam veteris & novi Teſtamenti, quam diabolus optimè ſcit ſecundum textum ſua falſitate exponere, ut impediatur veritas, & non ſicut Sacra Scriptura exponitur à Catholicis Doctoribus. Tunc implebitur illud Pſal. *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Et Iſa. 29. *Corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Dan. 8. *Proſternetur veritas in terra.*

Antichriſtus negabit Divinitatem Chriſti.

Docebit ſe eſſe Meſſiam.

Legem humanã & Divinam abrogabit.

Licentiam dabit omni libidini.

XI.

Antichriſtus trahet ad ſe homines, faciendo ſigna & prodigia multa.

Nonò denique per falſa miracula: nam ultimus modus, & quidem omnium efficaciſſimus ad ſeducendos homines, quo utetur Antichriſtus, erit, faciendo plurima & admiranda prodigia. Nec ſolùm ipſe faciet, ſed etiam in ejus nomine facient ea, ipſius miniſtri atque ſectatores. Nec de hoc ulla ratione dubitandum eſt: nam Dominus noſter apud Matthæum cap. 24. loquens de tempore Antichriſti, dixit: *Tunc ſurgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & facient ſigna & prodigia magna.* Sed quàm magna? *ita*, inquit Dominus,

nus, *ut si fieri potest, inducantur in errorem etiam Electi*. Sed quæ signa faciet Antichristus? Dico, quòd Apocal. 13. tria miracula Antichristi describuntur. Primùm ver. 3. & 11. quòd unum è Regibus sibi subjectis, vel potiùs seipsum plaga mortifera (in bello, vel aliunde accepta) saucium sanabit. Vbi adverte, plagam hanc revera non fore mortiferam, sed vel talis hominibus videbitur tantùm, non autem erit reipsa: vel si revera erit incurabilis, id tantùm erit respectu artis & opis humanæ; dæmoni enim totum corpus nostrum pernoscenti & pervadenti, naturaliter curabilis erit: ac proinde nec vim creati agentis transcendet curatio, nec miraculum erit. Secundò, ibidem ver. 13. quòd faciet ignem de Cælo descendere: sed & hoc naturaliter facere potest dæmon, uti scimus eum ciere fulmina, tonitrua & tempestates, concitando vapores & nubes. Tertiò, ibidem ver. 15. quòd propheta & præcursor Antichristi faciet statuam ejus loqui: sed sic dæmon, per idola locutus est, & per pythones etiamnum loquitur naturaliter.

Prodigia, quæ faciet Antichristus.

XII.

Addit Sibylla lib. 3. Oraculorum quatuor alia miracula, scilicet quòd Antichristus sistet mare, quòd sistet Solem & Lunam, quòd montes transferet, quòd plures mortuos suscitabit. Verùm, inquit, ea non erunt vera signa, sed fallaciosa: pleraque enim ejus mira præstigiæ erunt, quibus illudet oculis hominum, uti jam per suos circulatores & præstigiatores hominum oculis illudit dæmon. Similia de Antichristo tradit S. Methodius Episcopus & Martyr in suis revelationibus, quæ referuntur tom. 2. Biblioth. SS. Patrum: *Faciet*, inquit, *multa signa & prodigia sophistica, cæci respicient, claudi ambulabunt, surdi audient, dæmoniaci curabuntur, convertet Solem in tenebras, & Lunam in sanguinem apparenter*. Volet enim ipse haberi Christus, ac proinde faciet ea, quæ de Christo prædixerunt Prophetæ, quæque Christum fecisse narrant Evangelistæ. Et S. Hippolytus Martyr in Orat. de consumm. Mundi: *Leprosos*, inquit, *mundabit, paralyticos excitabit, dæmones expellet, longinqua non aliter quàm præsentia denunciabit, mortuos suscitabit, transferet montes ante oculos spectantium, siccis pedibus ambulabit super mare, deducet ignem è Cælo; convertet diem in tenebras, & noctem in diem; Solem circumaget quocunque libuerit. Et, ut semel dicam, omnia terræ marisque elementa, vi oblatæ apparitionis coràm spectantibus obtemperare sibi demonstrabit. Adstabunt illi innumerabiles dæmones, in specie splendida Angelorum, parati ad ejus jussa capessenda; ipsumque variis canticis & hymnis celebrabunt*. Et S. Ephrem in Tractatu de Consummat. Mundi & Antichristo: *Transferet*, inquit, *montes & insulas fallaciter, & currere quidem videbitur mons coram cunctis spectantibus, licèt omninò à suis fundamentis non sit motus; super*

Qualia sint futura prodigia, quæ faciet Antichristus.

abyssum

abyssum incedet, & in ea, ut super terra ambulare se simulabit: magna tribulatio erit in diebus illis, quando seipsum ut Deum ostentabit formidabilibus portentis, per aëra volitans, cunctique dæmones in forma Angelorum cum timore coram tyranno in arce sublimes volitare conspicientur. Sic S. Ephrem. Verùm, Pererius loco infrà allegando hæc ipsa paulò distinctius ita enarrat: *Faciet per simulationem Antichristus, in primis ea miracula, quæ facturum olim Messiam, Sancti Vates prædixerunt. Deinde, faciet ea, quæ maximi, facere solent Iudæi, velut sunt prodigia, quæ in Cælo fiunt. Iudæi namque non contenti tot & tantis miraculis à Christo factis, quærebant ex eo signum aliquod de Cælo videre. Addit præterea Lactantius lib. 7. cap. 17. Antichristum etiam iussurum, Solem à suo cursu stare, & imagines loqui. Talia igitur faciet Antichristus; iubebit enim ignem de Cælo descendere, tùm ad vindictam sibi repugnantium; sicut Elias de Cælo devocavit ignem adversus illos quinquagenarios; tùm ad declarandum grata sibi esse & accepta eorum sacrificia, qui sacrificabunt ipsi; quemadmodum legimus in veteri Testamento, Deum sæpenumero sacrificia, quæ ipsi erant gratissima, igne Cælitùs misso consumpsisse. Testificatur hoc ipsum de Antichristo Joannes in Apocalypsi, scribens de Antichristo in capite decimotertio: Et fecit, inquit, signa magna, ut etiam ignem faceret de Cælo descendere in terram, in conspectu hominum; & seducet habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ. Faciet præterea signa, quę vulgo, & curiosis hominibus, ingentem facient admirabilitatem: huius generis sunt, facere animalia loqui humano modo; pueros & idiotas variis linguis uti, & de rebus abstrusiorum disciplinarum doctè disputare; eiicere dęmonia ex humanis corporibus, clamantia, ipsum esse Messiam, & Deum. Iussu eiusdem, videbitur Cęlum aperiri; & spiritus, forma, splendoreque Angelorum, descendere ad ipsum adorandum; mortuos etiam verbo ad vitam revocabit.* Sic Pererius. Quę quidem omnia Antichristus fallaciter & fraudulenter est patraturus: idcircò diximus suprà, eum esse seducturum homines, eosque sibi subiecturum per falsa miracula: quia nec Antichristus, nec dęmon, nec Angeli possunt facere verum miraculum: sed solus Deus. Miraculum enim est quod fit super omnem naturę vim, quòdque omnium naturalium causarum & creaturarum vires excedit & transcendit; Antichristus ergo faciet miracula non vera, sed falsa & mendacia, ut tradit S. Paulus in secundo capite posterioris Epistolę ad Thessalonicenses: nam ibi Apostolus eiusmodi signa Antichristi appellat mendacia, dicens ipsum esse venturum secundum operationem sathanę, in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis. Quia non erunt vera, sed falsa signa: & dicuntur men-

Signa & prodigia Antichristi videbuntur rudibus, & curiosis hominibus admiranda.

Nemo præter Deũ potest patrare miracula.

Miracula Antichristi ob quatuor causas erũt mendacia.

mendacia quadrupliciter, scilicet ratione & respectu omnium causarum. Primò, respectu causæ finalis; quia eo fine faciet ea Antichristus, ut homines in mendacium & errorem inducat: : nimirum ut per hæc miracula probet se esse Messiam & Deum, sicuti fecit Christus. Ita D. Ambrosius & D. Joannes Chrysostomus.

XIII.

Secundò, ratione causæ efficientis, quia eorum architectus erit pater mendacii, putà diabolus. Tertiò, ratione causæ materialis, ut Theodoretus docet: multa enim ex his miraculis erunt præstigiæ, quibus fascinabit oculos, ut videatur facere id quod revera non faciet. Erit enim Antichristus, inquit S. Cyrillus Catech. 15. & nos suprà ostendimus, magia instructissimus. Unde dicit S. Thomas, Arbores subitò faciet florere secundum apparentiam, & non existentiam, & mortuos fallaciter resurgere. Quia maligni spiritus corpora mortuorum intrantes in specie hominum, qui aliquando vixerunt, quasi à mortuis surrexerint, apparebunt, & dicent se ab Antichristo suscitatos. Etiam dicit S. Thomas, & alii Doctores super Apocal. quòd ipse Antichristus in sua magica arte faciet statuam ad imaginem suam adorari ab universis hominibus, & illa statua loquetur & prædicet futura: & faciet signa, ut dicitur Apocal. 13. ver. 13. *Faciet signa magna, videlicet ignem de Cælo descendere in terram in conspectu hominum: & seducet habitantes in terra, propter signa, quæ data sunt illi facere.* Nam Antichristus, & sui sequaces per artem magicam, id est, diabolicam deceptionem, faciet ut imagines in Ecclesia loquantur, dicentes se falsas fuisse, ut quòd imago Petri loquetur ad populum: *Vos estis decepti, & malè credidistis, quia Petrus non fuit Sanctus, nec est sicut vos creditis.* Et imago Beatæ Virginis similiter. Et etiam sub imagine Crucifixi occultabitur diabolus, & loquetur ad Christianos, dicens: *Vos decepti estis à Crucifixo, quia non est Filius Dei.* Similiter de Ciborio loquetur diabolus: *Ego non sum Deus & homo, sicut uos creditis.* Et multa alia similia faciet arte diabolica: ita ut si fieri posset, etiam electi Dei decipientur. Ideò scribitur Dan. 11. *Applicabuntur ei plurimi fraudulēter, & de eruditis ruent,* id est, de literatis. Et sicut dicitur de discipulis Christi Marc. ult. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante, sequentibus signis:* sic discipuli apostoli Antichristi prædicabunt ubique falsitatem, & signis falsis confirmabunt falsitatem sermonis, adiuvante diabolo. Atqui inter eos discipulos apostolos, quos Anichristus habebit, erit quidam insignis impostor, quem D. Irenæus lib. 5. sub finem vocat hyperaspistem & armigerum Antichristi, hoc est, satellitem, clypearium, protectorem, propugnatorem, qui erit quasi præcursor & præco illius: sicut enim Christus Dominus habuit Ioannem Baptistam

Antichristus & sui sequaces opera dæmonum facient statuas & imagines Sanctorum in Ecclesiis loqui.

Antichristus habebit præcursorē quendam & armigerum pestilentissimum.

. ſtam Præcurſorem, virum planè Diuinũ & Sanctitatis prodigium; ita quoq; Antichriſtus hunc præcurſorem, anteambulonẽ & ſociũ, fidiſſimumque rerum omnium miniſtrum cunctis ſcelerum formis oppletum, ſui per omnia ſimilem, ac dignum patella operculum habiturus eſt, de quo S. Ioannes in Apocal. 13. ver. 11. ita inquit: *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco.* Hinc Ioſephus Acoſta lib. 2. de Tempor. noviſſ. cap. 17. quem refert & ſequitur Cornelius à Lapide ſuper adducta Apoſtoli verba, de eo loquens, ſic aſſerit: *Acerrimum hunc Antichriſti defenſorem non Regem aut militem, ſed virum in Eccleſia inſignem accipere poſſumus, quòd duo Agni cornua Epiſcopalis dignitatis inſigne ſint. Erit fortaſſis apoſtata quiſpiam, atque hæreticus ſimulator Religionis, Eccleſiaſtici honoris proditor, qui draconis venenum ſuis ſermonibus inſtillet auditoribus atque propinet.* Huic conſona & ſimillima tradit etiam Franciſcus Sonnius lib. 2. Demonſtr. Chriſt. Relig. Tract. 6. cap. 9. dum ait: *Præcurſorem hunc Antichriſti futurum tanquam inſulatum mitra Epiſcopali Pontificem ſacrorum Antichriſti, ac myſtem totius eius religionis, ſacerdotumque Principem, qui Antichriſto tanquam Deo ſacra facient. Vnde non dubitamus fore primarium conſiliarium, ſummum prophetam, prædicatoremque ac præcipuum ducem exercituum Antichriſti.* Atque hac ratione Antichriſtus, qui volet coli ut Deus, imitabitur myſterium S. Trinitatis, quæ eſt in Deo, ſcilicet ut draco ſit Pater, ipſe ſit Filius; hic verò impoſtor eiuſque præco ſit inſtar Spiritus S. ſicut enim Patri Chriſtus defert, & Chriſtum Spiritus S. clarificat: ita diabolum ut patrem ſuum colet Antichriſtus, Antichriſtum pſeudopropheta hic ſignis magnis prædicabit & nobilitabit: nam pro Antichriſto, & coram Antichriſto faciet miracula, omniaque illa in ſpeciem illuſtria, quæ faciet ipſe Antichriſtus, idque Antichriſto ipſo mandante & adiuvante, ut per hæc facta & ſigna perſuadeat hominibus Antichriſtum eſſe Meſſiam Dei filium, ideòque adorandum: hic in eius ſtatuam immittet ſpiritum, putà dæmonem familiarem, qui per ſtatuam loquetur, uti olim locutus eſt Apollo Delphicus, ita ut ſtatua Antichriſti videatur animata, ipſaque loqui, uti oſtenſum eſt. Faciet præterea hic armiger Antichriſti omnes accipere præfatum eius characterem in dextera manu & in fronte, ut ait S. Ioannes ubi ſuprà ver. 16. & ratione ſceleſtus ille coget omnes ſumere eiuſmodi ſignum in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis, quòd iſtæ nimirum ſint partes corporis præſtantiores, & oculis omnium magis expoſitæ, in quibus luculentiùs character Antichriſti conſpici poſſit. Ad hoc, ut quia frons eſt ſedes verecundiæ, dextera verò fortitudinis, cùm in fronte accipient characterem, profiteantur

An iſte Antichriſti præcurſor ſit futurus de numero Chriſtianorũ.

Quomodo Antichriſtus ſit imitaturus myſteriũ Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ eſt in Deo.

Cur armiger Antichriſti faciet õnes accipere in dextera manu & in fronte characterem Beſtiæ.

tur

tur non pudendum sibi, sed gloriosum esse talem ducem sectari. Cùm verò in manu dextera, se milites esse Antichristi, & totis viribus pugnaturos agnoscant. At S. Ephrem Syrus in Sermone de Antichristo, sic inquit: *Dabitque hoc suum signum scelestus ille, non quidem promiscuè pro quolibet corporis membro, ne hoc grave sit atque molestum ipsis: sed in dexteram manum, ac frontem insculpturus est homini characterem hunc suum impium: ne scilicet facultas sit homini dextera se signandi signo Christi Salvatoris nostri; neque rursùs in fronte ullatenus tremendum, Sanctumque Domini nomen imprimere queat; neque etiam gloriosam atque formidabilem Salvatoris Crucem insculpere. Novit quippe infelix ille, per impressionem Crucis Domini, potestatem sibi omnem ademptam iri. Quamobrem signat hominis dexteram, quòd ea scilicet, cuncta membra nostra signemus, similiterque frontem, quòd illa candelabri in modum lucernam lucis, hoc est, signum Salvatoris nostri in altum præferat.* Hæc S. Ephrem.

Quartò, respectu causæ formalis, quia quæ ex hisce prodigiis non erunt præstigiæ, naturaliter fient per applicationem occultam causarum naturalium. Vnde mira quidem erunt, non tamen miracula, quæ omnes naturæ vires superent. Sed pro majori hujus declaratione sciendum est, quòd D. Augustinus in libro vigesimo de Civitate Dei capite decimonono, ut refert Pererius in Danielem lib. XIV. ex eo quia S. Paulus (ut suprà audisti) vocat signa Antichristi mendacia, ideò ponit hanc quæstionem, utrum propterea intelligendum sit, signa quæ faciet Antichristus, fore mendacia, quia non sint futura vera, sed tantùm simulata & ficta, sensusque humanos fallentia: an potiùs, ideò dicta sint mendacia, quòd etsi vera sint futura, his tamen usurus sit Antichristus ad fallendos homines, & in errorem inducendos. Augustinus quæstionem in medio relinquit, quasi judicio lectoris, solutionem ejus existimandam permittens. Veruntamen, (ait Pererius) non est arduum, propositam quæstionem discutere. Duo quippe genera sunt miraculorum, quæ facturus est Antichristus: quædam enim ejusmodi sunt, ut verè fieri nequeant nisi per Dei omnipotentiam; superant enim omnis creatæ naturæ potestatem: cujusmodi est, resurrectio mortuorum. Hujusmodi miracula, non poterit revera facere Antichristus: & si quæ faciet, erunt ficta & planè mendacia. Alia sunt prodigia, quæ possunt fieri potentia naturalium causarum; præsertim cooperante dæmone, & ad id omnem suam operam navante. Hoc dixi, quia, ut doctè disputat B. Thomas in libro secundo adversus Gentes, multi effectus admirabiles, fieri possunt à causis naturalibus, si illis cooperentur vel Angeli boni, vel dæmones, qui sine eorum cooperatione, nullo modo existerent: quemadmodum arte atque industria hominum, mul-


XIV.

Vtrum omnia prodigia, quę faciet Antichristus, futura sint ficta & simulata.

Potentia dæmonum ad producendos effectus occultos & mirabiles.

cta efficiuntur, velut à pharmacopolis, alchimiſtis, & ſtillatoribus, ex variarum rerum naturalium mixtione ac temperatione, quæ citra hominum operam, nullo modo ad effectum pervenirent. Quoniam autem vires naturalium cauſarum, quas ad agendum invicem applicabunt & temperabunt dæmones, ad voluntatem & Imperiū Antichriſti, erunt cæteris hominibus occultæ & ignotæ, & modo quodam inviſibili adhibebuntur; propterea quæ ex ipſis efficientur, prodigioſa, & quaſi miracula exiſtimabuntur. Hæc igitur ſigna, per ſe vera erunt: ſicut illa magorum Pharaonis, vera fuiſſe arbitratur Auguſtinus: nihilominus tamen, etiam hæc, intelligere poſſumus dicta eſſe à Paulo mendacia; quòd ea falsò atque mendaciter profitebitur & jactabit Antichriſtus, ſe facere miraculosè ac ſupernaturaliter, & Divina poteſtate. Et ut verbo dicam, omnia ſigna Antichriſti, cujuſcunque modi fuerint, appellari debent mendacia; ob finem videlicet, propter quem fient ab Antichriſto; qui non erit alius, quàm ut ejuſmodi miraculis conteſtetur ipſe ac probet, Dominum noſtrum Jeſum, non fuiſſe Meſſiam, nec Dei Filium, nec bonam eſſe ipſius legem: ſe verò verum eſſe Meſſiam, verumq; Deum, quem adorare omnes debeant. Ita Pererius.

Signa magorum Pharaonis, vera fuiſſe exiſtimat D. Auguſtinus.



TRA-



TRACTATUS QUINTUS

De invasione Terræ Sanctæ ac Hierosolymæ ab Antichristo patranda, & de ejus suprema blasphemia, qua & verbis & factis palam jactabit, se verum ac supremũ Deum esse, Vniversi dominum ac moderatorem.

I.



Ntichristus igitur amplissimo terrarum Imperio adepto, illicò Terram Sanctam invadere cogitabit. Id enim ipse præ ceteris cupiet, ut Iudæi eum Hierosolymis regnantem aspiciant, quò se possit illis, ut verum Messiam venditare. Itaque Antichristus, ad illud facinus resoluto ac deliberato animo, statim Terram Sanctam invadet: nam victor revertens ab Austrinis Provinciis & littore Rubro magnis stipatus exercitibus summa celeritate in Iudæam ac Hierosolymam contendet, ut ibi tot tantarumque gentium, sed cum primis Iudæorum fortissimam & innumerabilem multitudinem excipiat, ex quibus suos exercitus multo auctiores & validiores reddat. Ex Ægypto igitur Antichristus rediens circumducto itinere per urbem Dan, quæ limes ac terminus Aquilonaris est Terræ Sanctæ ingressurus est in Iudæam, immò quidem gravi cum ratione (ut inquit Malvenda lib. 5. cap. 10.) suspicamur in eadem Urbe eum paululum substituturum esse, atque ibidem

Quæ facturus sit Antichristus post occupatas Provincias Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ.

Antichristus ex Ægypto rediens circumducto itinere per urbem Dan ingressurus est in Iudæam.

dem expectaturum immensos scilicet illos exercitus Gog & Magog, ac Iudæorum cæterarumque gentium, jam prope ad ipsum adventantes: quibus exceptis in prædicta urbe Dan, & conflatis vastissimis copiis, constitutis ducibus, distributis ordinibus, omnique apparatu bellico peditum equitumque ad immensum hostium terrorem disposito: exinde terrifico strepitu, & horrisono tot gentium armatarum reboatu, equorumque hinnitu, & tormentorum innumerabilium horrendo fragore, armorumque sese quatientium sonitu movebit, terramque Iudæam ex ea parte invadet, tanta cum potentia & robustissimi agminis terrore, ut terra ipsa convelli, concuti ac distrumpi, Cælum ruere, & Mundus sede moveri possit existimari. Ipsi verò tanquam potentissimo Monarchæ & clarissimo omniũ Imperatori momento tota Provincia manus victas dabit, hostibus qui fuerint, ne hiscere ausis, nec tanto se turbini opponere tutum existimantibus.

Antichristus invadet Terram Sanctam.

II. Et verò ne quis (ut subdit ubi suprà Malvenda) nos putet, tantùm pro libito sensus nostri locutos, quàm hæc sint vaticiniis Prophetarum consentientia, audiamus. Hieremias proculdubiò hæc quę asserimus, utcumque respexisse visus est, cùm cap. 8. ver. 16. cecinit: *A Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra. Et venerunt, & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus, urbem, & habitatores ejus.* Hunc enim locum mystico saltem sensu intelligendum esse de Antichristo, quòd cum primum Terram Sanctam immanibus succinctus exercitibus invadet, ab ipsa urbe Dan Boreali termino Terræ Sanctæ, totum apparatum belli, omnem peditatus & equitatus, & armorum strepitũ sit excitaturus, & per eandem Urbem terram Iudæam, tanquam victor sit ingressurus, affatim ostendit idem Malvenda lib. 2. cap. 13. cui favet Ribera in 7. Apocalypsis num. 13. cùm in eundem Hieremiæ locum incidisset, quia is etsi literaliter intelligatur de Nabuchodonosor, qui venturus erat ad Hierosolymam evertendam per eam regionem, quæ dicitur Dan, ut ibi D. Hieronymus rectè exponit; tamen allegorico sensu de Antichristo, & sociis ejus, quorũ figura erat Nabuchodonosor, & exercitus ejus, à multis interpretatur, uti exposuit S. Irenæus, quem refert & sequitur ubi suprà Ribera.

Vaticinium Hieremiæ Prophetæ num sit intelligendum mystico sensu de Antichristo.

Hieremias licèt in eo Vaticinio literaliter loquatur de Nabuchodonosor, tamen allegorico sensu videtur esse locutus de Antichristo.

III. At verò Antichristus Terram Sanctam ingressus veniet Hierosolymam, ubi figet sedem suæ Monarchiæ, ibique cum Iudæis templum, quod Salomon Deo ædificavit, instaurabit, non ob aliam causam, quàm ut in eo victimas Deo Judæi mactent, cæterasque cæremonias ritu solemni peragant. Antichristus enim initio est observaturus ritus Iudaicos, & legem Mosis est instauraturus: idcircò Hierosolymam assecutus, se est circumcisurus, dicens Iudæis: *Ego*

Hierosolyma futura est sedes Monarchiæ Antichristi.

Antichristus initio observabit ritus Iudaicos.

Ego sum Messias vobis missus, qui ad salutem vestram veni, ut qui dispersi estis congregem & defendam: ac se Dei Filium est appellaturus: nam impius inducet quendam hominem, qui falsò ipsum verum Christum appellabit: atque per hanc Christi appellationem ipse Iudæos, qui eum venturum expectant, est decepturus: quoniam ipse potissimùm venturus est propter Iudæos, atque ab illis pro vero Messia suscipiendus, ipseque abundè in hac parte illis impositurus est, quò eum ut legitimum suum Christum recipiant: at certissimum est, nullum Iudæos pro suo Rege Messia habituros, quem nō videant Hierosolymis regnantem, & templum Hierosolymitanum, quod tantopere cupiunt, cum victimis & sacrificiis, aliisque Mosaicis ritibus instaurantem. Neque enim cæci alium Messiam nisi Hierosolymis imperantem, neque aliud Regnum, aut templum nisi Hierosolymitanum somniant, ut est omnibus pervagatissimum. Iudæi ergo tunc Antichristum suscipient, & credent in eum. Et tunc implebitur illud Eccl. 4. *quòd de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad Regnum, & alius natus in Regno inopia consumatur:* quia sic ad Regnum gradietur Antichristus, & acceptus erit; & Christus in Regno natus fuit despectus. De quo Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo,* (hoc est, Antichristus, qui propriam gloriam quæret, & non Dei, dicens se esse Christum, cùm Christus non sit) *illum accipietis.* Nam suscipient illum Iudæi, & reædificabunt cum illo templum à Romanis destructum, incredibili gaudio; quia tunc dici non potest quanta futura sit Iudæorum lætitia, cùm se viderint ex tam diuturno tot sæculorum infami, tristi & ignominioso exilio in terram patrum suorum tandem cum tanta gloria honoreque reductos, Messiam suum advenisse, cœpisseq; iam regnare, eosq; ex dispersionibus, quibus in omnes Mundi plagas eiecti ac profligati fuerant, quotidiè magis magisque congregare, adeptos iam terram urbemque adeò desideratam, adesse iam tempus felicitatis omnimodæ tantopere expetitæ, se iam sub iugum missuros nationes, ac gentibus totius Orbis imperaturos. Tuncq; maioribus acclamationibus, magnificentioribus apparatibus, solemnioribus ritibus, sacratioribus cæremoniis, maioribus gaudiis, tripudiis, favoribus, studiis, festis, ludisque effusioribus eum omnes denuò verum suum Messiam, Orbis Monarcham, Mundi moderatorem, sanctissimum assertorem, invictissimum Imperatorem, ac propugnatorem fortissimum conclamabunt.

Se verum Christum asseret.

Iudæi Antichristum pro Messia suscipient, & credent in eum.

Quanta sit futura Iudæorum lætitia, cùm viderint Antichristũ suum Messiam Hierosolymis regnantem.

IV.

Tota itaque Iudæa, ac præsertim Hierosolyma, ab Antichristo nacta, illicò eius clarissima maximarum rerum gestarum fama totus terrarum Orbis est complendus, terroreque ac metu percellendus,

nec

nec ullus tunc quantumvis potentissimus Rex ausurus se Antichristo opponere: sed omnes metu exangues & attoniti ei adhærebunt: unde is cùm rerum potitus fuerit, loca per quæ Christus Dominus ambulavit, priùs destruet, deinde legatos & nuncios ac prædicatores ad omnes gentes, secundum S. Hippolytum Martyrem in Oratione de Consummatione Mundi, mittet per universam terram, ministerio utens, partim improborum hominum, partim etiam dæmonum humana specie; qui palam dicent omnibus, *Rex magnus natus est super terram, venite omnes ad eum adorandum; properate omnes ad spectandas vires potentiæ eius. En, vobis ille præstabit frumentum, vinum vobis largietur, opes pretiosas, ac sublimes dignitates donabit. Eius namque Imperio omnis terra mareq; obtemperat, ad illum omnes accedite.* Sed ante alios, Iudæos toto Orbe dispersos, ac vagantes incendent infernalibus œstris dæmones, genus hominum turbulentum & atrox, atque in seditiones efferatissimum. Hi quòd sibi persuaserint Messiam ab ipsis tamdiu expectatum, apparuisse jam in terra, qui ipsos ex diuturnis, contumeliosisque exiliis in avitum solum, urbemq; Sanctam adducat, ut cum ipso in Iudæa regnent, gentesque alias pessundent, Imperioque subiiciant, ac vitam deinceps agant beatam, bonis omnibus refertissimam; immane dictu ex tam diuturna dispersionis mora subitò in tantam spem erecti, quàm nimium sui præ gaudio impotentes ubique tumultuabuntur, ac perstrepent, Barbaras nationes concitabunt, omnia turbabunt: omnes in Iudæam effræni impetu confluent, ruentque visuri, & secuturi suum Messiam, quem tantopere concupiscunt.

S. Hippolytus Martyr de legatis & nunciis ac prædicatoribus Antichristi.

Opera potissimù dæmonum, & Antichristi ministrorum maximi rumores spargétur, ubique isto nullum meliorem & sapientiorem unquam in Mundo Regem exortum.

V. Legati igitur & nuncii ac prædicatores Antichristi ubique recipientur ab omnibus. Quocirca inquit Rabanus in Tractatu de Antichristo, quòd eius prædicatio & potestas tenebit à mari usque ad mare, ab Oriente usque ad Occidentem, ab Aquilone usque ad Septentrionem. Quamobrem tunc ex omni Orbis parte innumerabiles homines terrore tam excelsæ Antichristi potentiæ perculsi, ad eum sequendum & colendum Hierosolymam confluent: sed ipse in tantam extolletur superbiam, ut non modò se Regem Regum, sed etiam clara voce Deum Deorum palam denuntiet, & pro tali ab omnibus adorari se faciat, nullum superiorem se agnoscens Deum: quia licèt in exordiis Regni sui cùm Babylone, tùm Hierosolymis Antichristus legis Mosaicæ restitutorem sese ostentet, quando pro vero Messia à Iudæis excipietur; tamen postea ad summam provectus Monarchiam & potentiam, extremum superbiæ culmen adeptus cùm eò blasphemiæ proruperit, ut se Deum verum insolentissimè jactet; omnia contemnet, legem Mosaicam pessundabit. Nihil pro lege haberi mandabit, nisi quod ipse jusserit, nisi imperia oris sui. Itaque

Horrenda Antichristi blasphemia, se Deum verum constituentis.

que Antichristus spreto Deo vero, se verum & solum Deum est nuncupaturus: idcirco impius aboliturus est Idola & omnes Gentium deos, cunctasque religiones & cultus, ut se omnes pro vero Deo habeant, adorent, & colant: & hoc ex superbia. Nam cunctis populis (ut ait S. Hippolytus Martyr ubi suprà) ad eum congregatis, & fausta ei acclamantibus, grandi & magnifica voce, ita ut moveatur locus, in quo turbæ consistent, ita eos alloquetur: *Perspicite populi ac gentes omnes incomparabilem gloriam meam, atque Imperii potentiam & magnificentiam. Quis Princeps tam potens, ut ego sum? Quis Deus magnus præter me? Potentiæ meæ quis resistet?* Assistent præterea ipsi dæmones splendentium Angelorum speciem referentes, eumque Divinis laudibus & honoribus celebrantes, aliquando in Cælum evehentes, deinde ingenti pompa, & spectantium stupore de Cælo in terras deducentes.

Antichristus abolebit Idola.

Oratio Antichristi ad suos sectatores.

VI.

Ex eo autem spectaculo moti omnes impii ac infideles Antichristum adorabunt, tanquam verum Deum, ingentia miracula patrantem, magnasque res molientem. Verùm ipse cùm se talem, nempe Deum faciet, est negaturus Sanctissimam Trinitatem, ac palam pronuntiaturus falsissimum esse, quod Christiani confingunt tres esse in Divinitate personas, Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum: ipsosque verè esse impios, qui multitudinem deorum inducant; in Christumque Dominum amarissimè invehet, quòd se Filium Dei esse prædicaverit; stultissimum enim esse existimare Deum habere filium, cùm non sit nisi unicus Deus. Ergo impius cùm se Deum cõstituet, totas tres Divinas personas apertè abnegabit: quia licèt initio sui Regni ac Monarchiæ (ut suprà audisti) Antichristus ut Iudæis gratificetur, se Christum & Messiam sit nuncupaturus; tamen post adeptum Monarchiæ, & summæ potentiæ culmen, eò tandem superbiæ atque dementiæ est ruiturus, ut non Messiam à Deo missum, sed ipsummet altissimum Deum, ac verum Vniversi conditorem abnegata Sacra Triade se appellabit. Et tunc deseret eum ex toto bonus Angelus, qui ipsum ut alium quemlibet hominem ab initio suæ conceptionis custodivit: nam in Compendio Theologiæ lib. 7. cap. 7. annotatur, Bonum ac Sanctum Angelum custodiæ Antichristi assidentem nunquam illum deserturum, nisi cùm ad hanc supremam blasphemiam proruperit, ut se tam atroci & inexpiabili Sacrosanctæ Divinitatis contumelia, verum Deum appellet. Tunc enim cùm sic furibundum homuncionem desperatum cernet, Beatus Angelus manum prorsus subtrahet, nefandum monstrum derelinquet, ab ipsoque omninò recedet.

Antichristus Deum se faciet.

Negabit Sanctissimam Trinitatem.

Antichristus nũ sit ab Angelo Custode deserendus

VII.

Itaque Antichristus spreto Messiæ nomine, & miseris Iudæis ludificatis, nedum Christum & totam ejus Religionem, sed etiam univer-

versam Mosis legem, uti ostendimus suprà, repudiabit, & Christum Dominum nostrum asseret non fuisse verum Deum, sed impostorem quendam: se verò Deum verum esse ab omnibus adorandum. Prædixit hoc Daniel cap. 7. cùm appellavit eum *os loquens ingentia*: & cap. 11. cùm ait: *magnificabitur supra omnem Deum*: & paulò infrà subdit: *& Deum patrum suorum non reputabit*. Qua etiam de causa dictus est à Daniele in capite octavo *Rex impudens facie*: videlicet, quia sine ullo pudore, summi Dei nomen atque honorem sibi arrogabit. Hoc ipsum significavit Dominus noster, apud Ioannem loco, quem suprà demonstravimus, dicens, se venisse in nomine Patris sui, id est, prædicando & honorando Deum Patrem suum: alium verò, id est, Antichristum, in nomine suo venturum; quia unum se tantummodo jactabit Deum; & se solum ab omnibus, ut Deum coli & adorari per asseclas & ministros suos per universum Mundum sparget, & credi à cunctis etiam per extrema supplicia coget. His consona sunt, quæ scribit S. Paulus in secundo capite posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses: nam de Antichristo loquens, sic ait: *Nisi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Hanc ob causam S. Ioannes in Apocalypsi, bestiam, id est, Antichristum, plenum fore scribit nominibus blasphemiæ: & in capite decimotertio eiusdem libri ita scribit: *Dabitur ei os loquens magna, & blasphemias, & aperiet os suum in blasphemias ad Deum, & blasphemabit nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui sunt in Cælo*. Erit ergo Antichristus indignissimus blasphemus in Deum, in eius Ecclesiam & Sanctos: quia futurus est nefandissimus atheus, qui ad immaniorem superbiam provectus, primùm abnegabit ac repudiabit (ut suprà audisti) verum Deum, in quo est Sancta Trinitas, quæ modò sola colenda & adoranda est ab omni creatura; deinde seipsum verbis & factis verum Deum, unicum ac supremum Mundi opificem esse magna asseveratione propalam affirmabit, atque nullum alium præter se solum esse verum Deum gloriabitur, ut communiter asserunt Patres & Doctores: ac numini suo superbus ille tyrannus templum Hierosolymitanum & alia consecrabit: nam impius severissime imperaturus est gentibus, ut ubique terrarum templa magnificentissima atque augustissima auro, argento, gemmisque ornatissima divinitati suæ dedicentur: quod Theodoretus in 11. Daniel. his verbis affirmat: *Eriget enim sibiipsi templa, & argento & auro, & lapidibus pretiosis ipsa exornabit*. Et in tantam superbiam veniet Antichristus, ut in templo Hierosolymitano simulacrum suum poni jusserit, ac sibi fieri sacrificia imperaverit. Volet enim se pro Deo haberi & venerari.

Antichristus Iesum Filium Dei palam repudiabit.

Antichristus se solum ab omnibus, ut Deum coli & adorari per asseclas & ministros suos per universum Mundum sparget, & credi à cunctis etiam per extrema supplicia coget.

Antichristus sibi dicari templa ac fieri sacrificia imperabit.

Cæ-

Cæterum, quia S. Paulus eo loco quem proximè posui, affirmat, sessurum in templo Dei Antichristum; ambigunt Doctores, de quo templo Dei, Apostoli dictum sit intelligendum. Quidam interpretantur S. Paulum esse locutum de Ecclesiis & Basilicis Christianorum, quæ propriè sunt Templa Dei viventis, in quibus se pro vero Deo Antichristus adorari iubebit. Alii verò, inter quos præcipuè sunt S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 25. S. Hippolytus Martyr in Oratione de Consummatione Mundi, S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. 15. S. Hilarius in Matth. 24. S. Ambrosius in 21. Lucæ, Sedulius in 2. ad Thess. 2. Haimo ibidem, quorum opinionem hic sequimur ipsi, cùm sit communior ac verior expositio, quæ jam à cunctis fermè laudatur, suspicantur dictum D. Pauli intelligendum esse de templo Iudæorum, quod fuit olim Hierosolymis; & hoc opinantur in gratiam Iudæorum, renovatum iri ab Antichristo: quia impius cùm venerit Hierosolymam, studiosissimum se esse ostendet illius Templi, ut ipse de progenie David esse videatur: quoniam Templum à Salomone olim extructum ipse sit reædificaturus. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi, & is eorum ope instaurabit Templum à Romanis destructum, in eoq; est sessurus quasi Deus, ut sic impleatur Prophetia Danielis cap. 9. *Erit in Templo abominatio desolationis*; & quod Christus Dominus noster dixit Matth. loco indicato, *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele, stantem in loco Sancto*. Ea namque abominatio desolationis à Christo & Daniele prædicta, licèt Historico sensu intelligatur de excidio Hierosolymitano per Titum facto; tamen allegorico sensu potest intelligi (ut fusiùs latiùsque ostendimus suprà in Procemio huius nostri Libri) de abominabili Antichristo, qui dicitur abominatio ratione superbiæ, qua se conferet Deo ex hoc, quòd adversus Deum veniens, honorem Dei sibi vendicabit: & dicitur desolationis, quia tunc erit maxima Electorum desolatio, quando cultus Dei destruetur: vel quia terra & cultus per ipsum desolabitur. Ita Landulphus in 2. Par. de vita Christi cap. 40.

VIII. In quo Dei templo sit sessurus Antichristus.

Duæ hac de re Doctorum opiniones.

Prima est nonnullorum, qui infrà ostendentur.

Altera est multorum existimantium, Antichristum sessurum in templo Hierosolymitano.

Hanc opinionem sequitur Auctor.

Abominatio dicitur Antichristus.

Verùm, quia suprà haud ostendimus Auctores primæ opinionis: idcircò hic aliquos præcipuos demonstramus, quales sunt S. Hieronymus Quæst. 11. ad Algasiam, Theodoretus in 2. ad Thess. 2. Theophylactus ibidem, Oecumenius, Caietanus, & alii, qui omnes opinantur, & probant S. Paulum non esse locutum de templo Hierosolymitano, sed de quocunque Templo Deo dicato. Nam illud Iudaicum templum, post mortem Domini nostri, omni Sanctitate religioneque privatum, profanum, impurum, & impium evasisse dicunt. Adiiciunt, quod & Dominus noster & Daniel prædixerunt, desolationem illius Templi, fore in omne reliquum tempus irreparabilem.

IX. Authores, qui suspicantur Antichristum sessurũ in Ecclesiis & Basilicis Christianorum.

Quamobrem putant illi, Apostolum esse locutum de Templis & Basilicis Christianorum. Sed hanc interpretationem negant nonnulli, quia si de Christianorum Basilicis, aut Ecclesiis verba fecisset S. Paulus, haudquaquam dixisset, *In Templo Dei*: sed, *In Templis Dei*. Nullus enim Latinè, aut Græcè de Ecclesiis Christianorum, quæ sunt plurimæ, non ut templum Hierosolymitanum, quod unicum semper fuit, ita rectè censebitur: Sedebit in templo Dei. Confirmatur hoc: nam templum Dei antonomasticè est Hierosolymitanum, quia celeberrimum, & in quo Christus docuerat, & multa miracula patraverat: & quando scripsit Apostolus, Antichristum in templo Dei sessurum, non habebant Christiani templa: ergo de templo Hierosolymitano loquitur S. Paulus. Nihilominus neque utramque opinionem improbant D. Ioan. Chrysostomus super præadducta verba S. Pauli, & D. Augustinus libro vigesimo de Civitate Dei cap. 19. ubi sic ait: *Sed in quo Dei templo, ut Deus sit sessurus Antichristus, incertum est: utrũ in illa ruina Templi, quod à Salomone Rege constructum est: an verò in Ecclesia. Non enim templum alicuius idoli, aut dæmonis, Templum Dei Apostolus diceret. Unde nonnulli, non ipsum Principem, sed universum quodammodo corpus eius, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso suo Principe hoc loco intelligi Antichristum volunt: rectiusque putant etiam Latinè dici, sicut in Græco est: non in templo Dei, sed in templum Dei sedeat, tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia, sicut dicimus: Sedet in amicum, id est, velut amicus, vel si quid aliud isto locutionis genere dici solet*. Ita Augustinus.

Incertum est secundum D. Augustinum, in quo Dei templo ut Deus sit sessurus Antichristus.



TRA-



TRACTATUS SEXTUS

De fraudulentia & versutia Antichristi & quare Deus hoc tàm detestabile monstrum, sive malum permittet venire in Mundum.



Ntequam Antichristus regnet, summam sanctitatem, religionemque simulabit: *Immò & in Regni primordiis*, inquit S. Hippolytus Martyr in Oratione de consummatione Mũdi, *clemens erit ad dilectionem, quietus & religiosus, pacificus, qui odio persequatur injustitiam, detestetur munera, Idololatriam non admittat, amet Scripturas, revereatur Sacerdotes, &c.* quæ nos suprà in secundo Tractatu ostendimus: & hæc Antichristus animo fraudulento faciet: nam impius statim post adeptum totius Orbis Imperium palam in omnes sæviet, injustitiam faciet, pauperes opprimet, subditorum facultates diripiet, Deum blasphemabit, & similia alia mala perpetrabit. Ejus tyrrannidi nullus Rex se opponere audebit, eò quòd ipse summa audacia & temeritate mittet plures prævalidosque exercitus cum valentissimis Ducibus ac Imperatoribus in varias expeditiones, torra marique, ad debellandas, Imperioque subdendas plurimas gentes & nationes, quæ eum Regem detrectaverint: & sic exitialium bellorum incendiis, totus deflagrabit Orbis. I.

Antichristus omnis hypocrisis & astutiæ genere ad Imperii culmen invadendũ est usurus.

II. Antichristus factus totius Orbis Monarcha, missurus est Gog & Magog in omnes Mundi regiones.

Itaq; Antichristus factus totius Orbis Monarcha,& subiecto sibi (ut diximus suprà in Quarto Tactatu) vel vi, vel metu, vel voluntate universo Mundo, missurus est Gog & Magog, aliasque feras trucesque nationes, succinctos armorum potentia in omnes Mundi regiones, quantumuis extremas, ac præsertim in eas in quibus erunt Christiani,qui prædicatione, miraculis falsis, blanditiis vel sævitiis ipsius divinitatem promulgent, & Christianum nomen ubique locorum, funditùs extinguant:nam efferus homo, ac humani generis mastyx supremi in terris Imperii fastigium adeptus, prodigiosa potentia, succinctus opibus, divitiis plusquam ullus mortalium comparatis;fama inclytus, Mundo notissimus ac planè formidabilis redditus,deinceps cum suis nihil ampliùs meditabitur, quàm ut nomini suo & muneri plenissimè satisfaciat, omnesque partes cumulatissimè expleat hominis, quem totus infernus elegit,in quo solo potissimum ostendat, quid summa malitia cum summa potentia possit, nimirum ut omnia Divina & humana misceat, immò, ut omnia Divina & humana convellat, corrumpat,& perdat. Supra namque modum corde exaltabitur, evometq; draco universam suam amaritudinem cum omni sua malitia, propinabitque fraudulenter latens in se letiferum virus. Orbem terrarum turbabit, ultimos fines terræ commovebit, affliget universa, polluet perdetque animas multas:non ampliùs velut pius ac religiosus,neque ampliùs ut pauperum amator,neque uti hilaris sicut antea: verùm contra prorsùs, per omnia austerus, durus,iracundus & excandescens,sævus, instabilis,terribilis, inflexibilis ac tenebricosus, odibilis & abominabilis, immitis, improbus, superbus,scelestus & impudens; qui magna sua rabie atque insania, universum genus mortalium in barathrum impietatis atque perditionis præcipitare studebit. Futurus est enim perditissimis moribus imbutus, ac summis sceleribus inquinatus; immò scelestissimus, & impiissimus omnium mortalium. Probatur id, quoniam, quò quis est magis Christo, qui est summè bonus, contrarius, eò est pejor; sed Antichristus plusquam omnes erit Christo contrarius: nam idcircò appellatur per antonomasiam Antichristus,id est, contrarius Christo: ergo super omnes homines erit pessimus,quia postquam plenam & absolutam Monarchiam sibi firmaverit, seque Deum constituet nullo hominum deumque respectu, in omnia vitia apertè palamque omni prorsùs simulatione abjecta procacissimè ruiturum, ostendit, uti nos ostendimus,S. Hippolytus Martyr in Oratione de Consummatione Mundi, cùm ait: *Postea*, nempe post Regnum invasum, *extollet animum, & qui priùs erat mansuetus,evadet ferox,qui dilectionem amplectebatur, fiet immisericors, qui animum gerebat submissum, superbus atque inhumanus evadet, qui oderat injustitiam,justos per-*

Antichristus erit omnium mortalium pessimus.

persequetur:& post alia:*Tunc iniquus ille elato animo, dæmones suos congregabit humana specie, & eos qui illum ad Regnum invitarunt,* nimirum Iudæos,*fastidiet, animasq; multas inquinabit:quippe Principes eis constituet ex dæmonibus. Nec iam velut religiosus,sed planè austerus, severus, iracundus, plenus excandescentiæ,truculentus, inconstans,terribilis,gravis,odiosus, contemptor, immitis, exitiosus, nequam; in eo studium & operam collocans, ut universum genus hominum in fossam interitus coniiciat.*Hactenus S.Hyppolitus.

III.

Antichristus à Daniele Propheta secundum quamplurimos S. Patres appellatur abominatio desolationis.

Rectè igitur Antichristus à Daniele cap. 9. ver.27.(vt asserit S.Irenæus lib.5.adversus hæreses, & alii quamplurimi S. Patres,qui referuntur in Prooemio huius nostri Libri) nominatur abominatio desolationis; quo etiam nomine notavit illum Dominus noster Matth. 24.*Cùm ergo videritis abominationem desolationis,quæ dicta est à Daniele Propheta,stantem in loco Sancto*; abominatio quidem, propter infinita eius scelera planè abominanda & execranda: desolationis autem,quoniam sævissima, contra omnes Christi cultores, concitata persequutione,quantam maximam poterit ubique faciet eorum stragem;& religiosissima eorum Templa profanabit atque desolabit,quia impius in Ecclesiis Christianorum abolebit omnem Catholicam ordinationem. Inveniet quoque Ecclesias, in quibus iam ante præcursores sui omnes cæremonias & leges Ecclesiasticas abrogarint:ibique se pro Deo iactitabit, ut colatur ab illis. Stans verò in loco Sancto dicitur, quia asserente Apostolo in 2.ad Thess.2.*In templo Dei sedebit,ostendens se tanquam sit Deus.*Ergo impius sedem suam in templo Sancto ponet: & hoc suprà in præcedenti Tractatu ostendimus fore templum Hierosolymitanum, quod ipse in statu suo excitabit, seu suscitabit; & id confestim excitatum tradet Judæis, quibus se venditabit pro Messia in lege promisso,& ab eis pro tali recipietur: nam veniens Hierosolymam, circumcidet se, dicens Judæis, *Ego sum Christus vobis repromissus*. Tunc confluent ad eum omnes Judæi æstimantes Deum suscipere; sed suscipient diabolum, id est, virum diabolicis artibus plenum, quem S. Paulus loco indicato duobus nominibus vocat: *Homo peccati, & filius perditionis.*Homo quidem peccati, quia peccatorum plenus, sicut Christus gratiarum. Filius perditionis, quia sicut Christus venit salvare, ita iste venit perdere homines. S. Joannes in Apocal.13. appellat illum bestiam,& numerum illius sexcentos sexaginta sex.Verùm Apostoli communiter illum appellarunt Antichristum; non nomine quidem proprio; sed quia totus Christo contrarius: Christus enim in humili Civitate Bethleem nascitur: Antichristus verò, secundum sententiam communi omnium consensu receptam, nascetur in Babylone, quæ quondam inclyta & gloriosa Urbs Gentilium, & caput Regni Assyriorũ fuit.

Hoc etiam nomine notavit illum Christus Dominus noster.

Antichristus sedem suam in Tẽplo Hierosolymitano, ab ipso in statu suo restaurando, ponet.

Antichristus quibus nominibus vocetur à D.Paulo.

fuit. Christus ex splendidissima tribu Juda oritur; Antichristus de vilissima tribu Dan descendet. De ista sic loquitur Jacob, Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Hanc etiam tribũ veluti à Deo maledictam, præterit S. Joannes in Apocal. 7. cùm duodecim millia signatos, ex omni tribu Deum laudantes enumerat. Antichristus enim ait Divus Ambrosius in lib. de benedictione Patriarcharum, futurus est de tribu Dan sævus judex, & tyrannus immanis: & tanquam sedens in via serpens, deiicere tentabit eos, qui viam ambulant veritatis. Christus natus est de Virgine per operationem Spiritus Sancti; Antichristus nascetur de damnato coitu, per operationem dæmonis, ut asseruit D. Joannes Damascenus lib. 4. & S. Paulus dixisse videtur secundæ Thess. 2. *Cujus adventus*, inquit, *est secundum operationem sathanæ.* Id namque potest intelligi tàm de generatione Antichristi, quæ fiet per hominem, dæmonis operatione, quàm de illius præsentia, quæ tamen erit secundum operationem sathanæ, in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis his qui pereunt. Tunc enim (inquit D. Augustinus in lib. xx. de Civitate Dei cap. xix.) solvetur sathanas, & per illum Antichristum in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur.

Sathanas quando solvetur.

IV. Fuisse autem sathanam ligatum quidam asserunt in passione Christi. Ita S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 12. S. Augustinus, Primasius, Beda, Andreas, Viegas & Pererius lib. 15. in Danielem, Ribera & Cornelius à Lapide in Apocal. cap. 20. Qui omnes à passione Christi inchoant mille annos, quibus dicitur Apocal. loco indicato ligatus sathanas. Christus enim in Cruce ademit diabolo jus usurpatum & potestatem in homines, eumque alligavit. Unde ait ipse: *Nunc princeps hujus Mundi eiicietur foras:* sed sub Antichristo solvetur, viresque suas recipiet, easque exeret per Antichristum, qui veniet in istius Mundi fine. Itaque à Christo in Cruce sathanas, id est, dæmonum princeps (unde in Græco est articulus; & S. Prosper in Dimidio temporis legit, *draconem illum magnum, illum serpentem antiquum*) putà Lucifer, realiter & personaliter relegatus est ad infernum, ibique ligatus est, ut ex eo egredi non possit, nec ita nocere hominibus ac si iis præsens esset, usque ad tempus Antichristi: tunc enim solvetur & egredietur. Fertur igitur ligatus sathanas, quia potestas in homines ei erepta est & confractæ vires. Quam alligationem pulchrè descripsit S. Antonius, ut refert S. Athan. in ejus vita, dicens: *Hamo Crucis, ut draco, aduncatus à Domino est, & capistro alligatus, ut jumentum, & quasi mancipium fugitivum, vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omninò fidelium devorare permittitur,*

Quandonam fuerit sathanas alligatus?

Prima sententia de tempore alligationis sathanæ.

præ-

præter eos, intellige, qui se sponte in os ejus conijciunt. Addunt Ribera & Viegas, hic secretum quoddam detegi; scilicet in passione, & morte Christi Angelum quendam è Cælo descendisse, qui sathanam in gehenna alligaret, ne ex ea egredi posset usque ad tempus Antichristi. Ego ligatum fuisse sathanam in passione Christi non abnuo, sed de hac alligatione non arbitror S. Joannem ibi loqui; ab ea enim nunquam solutus fuit dæmon, ut S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 8. docet his verbis: *Alligatio diaboli non solùm facta est, ex quo cœpit Ecclesia in nationes dilatari, sed etiam nunc fit, & fiet usq; ad terminum sæculi, quia unicuique fidelium iste fortis tunc alligatur, quando ab illo tanquam vas eripitur.*

Alligatio sathanæ, de qua dicitur Apocal. 20. an in passione Christi acciderit.

V.

Alii verò tradunt alligatum fuisse sathanam à S. Sylvestro Papa tempore Constantini Magni, qui pacem Ecclesiæ reddidit, & supra Gentilismum Fidem Christianam extulit. Et de hac dæmonis alligatione ego suspicor esse sermonem in Apocal. 20. cùm dicitur: *Ligavit Angelus sathanam per annos mille, ut non seducat ampliùs gentes;* sicut olim fecerat, *donec consummentur mille anni, & post hæc oportet illum solvi modico tempore*. Vbi S. Augustinus per mille annos, intelligit totum tempus gratiæ usque ad Antichristum, à S. Ioanne incipiendo, qui hæc verba scripsit, & à S. Sylvestro Papa. Quia S. Sylvester Papa baptizavit Constantinum Magnum anno Domini 325. sive 329. modò sic mille anni pertransierunt, & Antichristus nondum venit: & ita mille capitur hic pro universitate temporum. Sicut enim capitur in Psal. 104. *Memor fuit in sæculum Testamenti sui: verbi, quod mandavit in mille generationes*; id est, in omnes generationes. Itaque sathanas alligatus fuit ab Angelo tempore Constantini Magni, qui publicum induxit Christianismi exercitium abolito gentilismo. Tradit id Alcasar in cap. 20. Apocal. Sed clariùs pro eo est S. Vincentius Ferrerius, qui in Serm. de S. Sylvestro asseruit, S. Sylvestrum Papam hunc Angelum fuisse, qui ligavit sathanam, quando Constantinus Imperator fuit conversus. Esi namque licèt Christianis semper favisset, tamen de consulendis haruspicibus rescriptum dedisse, atque sub ipso à Gentilibus aliquando vexatos fuisse Christianos, ob eamque causam Sylvestrum Papam (ut ejus Acta referunt) ad montem Soractem latuisse, eidemque Imper. mala plurima inde evenisse, in Annalibus Ecclesiasticis ostendit Cæsar Card. Baronius: cùm Constantinus domesticorum cæde pollutus, ac lepra à Deo percussus, patratorum scelerum pœnitens non aliam expiationem reperit, quàm Sacri baptismatis susceptionem: quo quidem initiatus est post Crispi & Faustæ necem, quæ (ut Auctor est Eusebius in Chronic.) contingit anno 19. ejusdem Imper. cùm videlicet idem Crispus cum Constantino fratre tertium ageret

Altera sententia, & verior, quæ asserit, sathanam fuisse alligatum tempore Constantini Magni à S. Sylvestro Papa.

De hac sathanæ alligatione Auctor putat loqui S. Ioannem in Apocal. 20.

Quonam anno Imperii sui Constantinus Magnus fuerit à S. Sylvestro Papa baptizatus.

ret Consulatum, & nonus esset annus ex quo Cæsar fuerat appellatus; duodecimus autem à debellato Maxentio; tertius verò à promulgatione edicti nuper citati de consulendis haruspicibus. Suffragantur & his de baptismo Constantini eo anno suscepto Acta Romani Concilii, eodem ipso anno, iisdemque Consulibus Crispo & Constantino celebrati, quorum hæc sunt verba: *Cùm multi nobiles gauderent, quòd Constantinus baptizatus esset à Sylvestro Episcopo urbis Romæ, & mundatus à lepra; pro hoc beneficio quod accepit à Domino nostro Jesu Christo per Sylvestrum Episcopum cœpit integrè prædicare Dominum nostrum Jesum Christum, & confiteri ejus beneficia, &c.* Consentit & his Anastasius Bibliothecarius, cujus breve Chronicon manusc. accepit Baronius ab Eminentissimo Card. Syrleto: nam in eo profitetur Constantinum Magnum baptizatum esse anno 18. sui Imperii: est enim hic ille annus Consulatus prædictorum, quo Imp. ejusdem Constantini decimus octavus expletur, & decimus nonus inchoatur. Hæc Bibliothecarius Apostolicæ sedis nõ aliunde, quàm ex antiquis ejusdem Bibliothecæ monumentis accepisse putandum est. Et tunc dicitur sathanas ligatus, quia prohibitus est Ecclesiam Romanam per Imperatores persequi, & publicam professionem Christianæ Fidei impedire nequivit.

S. Sylvester Papa baptizavit Constantinum Magnum valida squaloris lepra perfusum, qui statim à lepra mundatus est.

VI.

Objicies.

Sed contra obiicit Cornelius à Lapide: S. Joan. cap. 12. vers. 31. aliique Evangelistæ, ut Matth. 12. ver. 29. Marc. 3. ver. 27. Luc. 11. ver. 22. docent, à Christo vivente & patiente ligatum esse sathanam: ergo à tempore Christi, nõ Constantini præfati mille anni accersendi sunt.

Responsio.

Sed facilis est responsio; quoniã de alligatione diversa est sermo in Apocalypsi, & in Evangelio. Optassẽ, ut ipse Cornelius declarasset, quid sit solvi sathanam tempore Antichristi; sed sicco pede hoc ipse pertransivit; credo autem, non alio pacto solutum dixisset, quàm quia permissus est, sive permittetur acerbiùs, quàm antea, Ecclesiam persequi, & Christi fideles tentare; non autem fuisse omninò solutum, sicuti erat ante Christi adventum; ergo non à vinculis, quibus constrictus fuit in passione Domini, sed ab aliis illis superadditis intelligitur illic solutus. Optimè autem hanc alligationem explicavit S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 8. dicens: *Alligatio diaboli est, non permitti exercere totam tentationem, quam potest vel vi, vel dolo ad seducendos homines in partem suam cogendo violenter, fraudulenterque fallendo.*

Utrum Evangelium sit intelligendum de præfata dæmonis alligatione facta per S. Sylvestrum Papam.

VII.

Quomodo accipiendi sunt mille anni, quibus ligatus permansit sathanas.

At quomodo accipiendi sunt anni mille, quibus ligatus permansit sathanas, suprà ostendimus, & infrà ostendemus, quòd non totidem præcisè intelligendi sunt fuisse tempus annorum mille, sed ut intelligatur magnum spatium temporis; ponitur enim numerus certus pro incerto, & millenarius numerus ingentem multitudinem signi-

significare solet. Sic ergo mille anni accipiendi sunt pro toto illo tempore à Constantino Magno usque ad Antichristum. Quidam verò totidem præcisè annos intelligunt. Ita Ferdinandus Castiglius in Historia S.Dominici Par.2.cap.1.& alij; & consequenter solutum dæmonem dicunt, quando Othomannus factus est Turcarum Imperator:nam ab anno 300.quo regnavisse supputant Constantinum, usque ad annum Domini 1300. quo cœpit Othomannus, præcisè sunt mille anni. Verùm eorum supputatio videtur mendosa, quia Constantinus cœpit imperare anno nostræ Salutis 306. secundum Marianum Scotum lib.2.Chronologiæ, Robertum Card. Bellarminum 2.Par.Chronologiæ,& alios: sive 309.secundum Eusebium Cæsariensem in Chronicis, ubi sic ait:*Anno Domini 309. Constantius 16.Imperii anno diem obiit in Britannia Eboraci, post quem filius eius Constantinus ex concubina Helena procreatus, Regnum invadit quarto persecutionis anno.* Eusebium sequitur Martinus Polonus in Chronico. At si illorum opinio vera esset, cur non potiùs tempore Mahometis, qui auctor fuit sectæ Saracenorum & Turcarum, & à quo omne damnum à Turcis populo Christiano illatum, initiũ sumpsit,solutus dicetur dæmon? Quomodo verum etiam erit,quod Sanctus Ioannes ait, modico tempore esse solvendum sathanam,si modò plusquam 400. anni sunt, quòd Othomannica stirps regnat? S. Vincentius Ferrerius ubi suprà inquit, quòd isti mille anni incœperunt computari à S. Sylvestro Papa, & jam, ait, sunt completi; solùm enim Mundus stat in quadam parva prorogatione.

Opinio Ferdinãdi Castiglii.

Quonam anno nostræ Salutis Constantinus Magnus cœperit imperare.

VIII.

Rursum,Vbertinus de Casalis ligatum ait sathanam sub Constantino Magno,sed solutum sub Ioanne XXII.Pontifice, qui cœpit sedere anno Domini 1316.Huic enim minùs,Mendicantibus Ordinibus faventi offensus Vbertinus, contra eum stomachatur, eumque vocat mysticum Antichristum. Sed injuria: bilis enim fecit eum hasce voces in Pontificem legitimum evomere. Meritò enim Ioannes Imperatorem Ecclesiæ hostẽ indicavit, & Sacris interdixit:eò quòd creasset Petrum Corbarium Antipapam. Insuper post Constantinum orditur hosce mille annos Aureolus,scilicet à Calixto II. Pontifice,anno Domini 1122.Censet enim præfatũ Angelũ esse Calixtũ Pontificem,qui habet clavem abyssi, id est,potestatem claudendi portas inferni, & aperiendi januas Cæli.Hic ligavit sathanam:quia sustulit Imperatori ius investiendi Episcopos & Abbates, dando eis annulum & baculum,quod à Carolo Magno per 300.annos usurpaverant. Quocirca sub Calixto II. Henricus V. Imperator Romam veniens, huic juri renunciavit anno Domini 1122.cùm idipsum antea tentassent Gregorius VII.Victor, Vrbanus & Paschalis Pontifices,sed perficere nequivissent. Calixtus ergo ligavit sathanam ad

Sententia Vbertini de Casalis.

Aureoli opinio.

Callistus II. Papa sustulit Imperatori jus investiendi Episcopos & Abbates.

mille annos, id est, in perpetuum quandiu Ecclesia durabit. Verùm hoc quoque est accõmodatio Prophetiæ gravissimæ ad rem præ ea minutam & exilem; ne dicam, quòd illud tanti non fuit, ut propterea dici debeat sathanas solutus, vel ligatus.

IX. Vera sententia

Melius ergo nos cum Alcasare & aliis communiter positum asserimus numerum certum pro incerto, & totum illud tempus significari, ex quo sathanas ligatus est usque ad eiusdem solutionem, quæ tempore Antichristi continget, ut etiam dixit S. Vincentius Ferrerius; sed hic duæ obiectiones occurrunt. Altera est, quia post Constantinum Magnum Iulianus persecutus est, & acerrimè, Ecclesiam; ergo non fuit sathanas ligatus. Similiter Constantius Arianus persecutus est Catholicos, & Imperatores Iconoclastæ, ut Constantinus Copronymus, & alii, multos fideles vexaverunt, & Martyrio affecerunt; ergo tunc solutus fuit sathanas. Resp. has persecutiones non fuisse tales, ut per eas deficeret Romæ publica Christianæ Religionis professio, templa clauderentur, & Christi cultus honorificè frequens non esset; ligatus ergo fuit sathanas respectu Ecclesiæ Romanæ præsertim, à qua non ampliùs auferre potuit nuptiarum suo Cælesti sponso solemnitates: ac ita manebit usque ad extrema Mundi tempora, quibus dicitur solvi: quia crudelior erit persecutio Antichristi his temporibus, quàm antè. De quo S. Isidorus lib. 1. de summo Bono cap. 28. Quantò (inquit) tempus brevius restare sibi videt diabolus ut damnetur: tantò crudelius persecutiones exercet: ut qui se continuò damnandum conspicit, socios sibi multiplicet quibus gehennæ ignibus addicatur. Et hoc erit in fine, quia non longè post mortem Antichristi hic Mundus finietur: nam est communis & indubitata sententia, paulò post Antichristi adventum consummationem fore Mundi, & adventum secundum Domini nostri. Probant cum Card. Bellarmino Suarez, Lessius, & alii ex Dan. 7. ubi post quatuor præcipua Regna Mundi describitur Antichristi adventus, & statim de Judicio finali agitur: sed meliùs brevitas hujus temporis post Antichristum probatur ex Apocal. 20. ubi post mille annos pacis, dicitur solutus sathanas ad modicum tempus, in quo seducet gentes, & exercitum Gog & Magog congregabit, qui deinde consummetur igne, ac mox mittetur sathanas in stagnum ignis, & fiet Iudicium; hanc autem sathanæ solutionem spectare ad tempora Antichristi, conveniunt omnes, & probatur; quoniam tunc sathanas solvitur, quando tentare homines permittitur, sed tentatio tempore Antichristi erit maxima omnium, quia inducentur in errorem, si fieri potest, etiam Electi: ergo erit tunc maximè sathanas solutus. Probatur secundò eadem brevitas ex S. Paulo 2. Thess. ubi admonet Thessalonicenses, non instare diem Judicii, ut multi opinabantur,

Objectio de Iuliani persecutione solvitur.

Post Antichristum quandiu Mundus sit duraturus.

Breve fore tempus ex Apocalypsi & S. Paulo probatur.

S. Paulus admonet Thessalonicen-

tur, quoniam oportebat priùs Antichristum venisse; neque hunc venturum, donec Imperium Romanum vigeret, & post hujus abolitionem, ait: *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet eum illustratione adventus sui*; se habebunt igitur Antichristus, & Dominus tanquam duæ formæ oppositæ, quarum una per adventum alterius expellitur, & interit; ita enim adveniente Domino destruetur Antichristus, & sicut nox, ab oriente Sole fugabitur. Sed quando Christus Dominus post mortem Antichristi venturus est ad Judicium, ignoratur: nam inter Ezechielem & Danielem (ut infrà in Tractatu ultimo prope finem ostendemus) fluctuant Doctores: eò quòd existimantes tàm Danielem, quàm Ezechielem de Antichristi interitu, & Mundi fine loqui, & tamen tàm diversa, nec quomodo eos inter se concilient, invenientes, aut unum, aut alterum sequantur, aut nihil certi statui posse prudentius affirmant, ut Suarez lib.5. defen. ad Regem Angliæ, & Malvenda de Antichristo lib.11. cap. ultimo, quibus adhæret Sherlogus vestig.36. num.51. cui conclusioni libentius, & magis consequenter adhæreo ego: quia licèt de longiori Mundi duratione reperiantur aliquæ probabiles conjecturæ, tamen non propterea est circa hoc aliquid definiendum; quoniam non sunt cogitationes Dei, ut cogitationes hominum, & judicia ejus abyssus multa; & quæ nobis ob aliquas rationes congrua videntur, ob alias fortasse, quæ nos latent, ante Deum congrua erunt. Fatendum est igitur de illo Domini die nihil nos certò scire, eumque nos hac incertitudine voluerit Deus teneri, non est curiosiùs investigandum, quod nos latere voluit Dominus.

censes, ne terreantur, quasi instet dies Domini, & donec Imperium Romanũ consistet, docet non esse formidandum.

X.

Ex dictis ergo reiicias Chiliastas, sive Millenarios, quorum dux fuit Papias discipulus S. Joannis Apostoli, quem secutus est Cherinthus hæreticus, & è Catholicis Irenæus, Tertull. Lactantius, Victorinus, Apollinaris, Severus, Iustinus, & alii, qui ab Antichristi morte ordiuntur hosce mille annos. Putarunt enim hi, ea quæ à Christo Domino prædicta & promissa sunt de pace & felicitate Ecclesiæ, necdum impleta esse, sed implenda fore post Antichristum, quando eo devicto justi resurgent, & cum Christo in terris regnabunt mille annis: quocirca illis ligandum esse sathanam. Itaque docebant post sex millia annorum, quibus stabit hic Mundus, secuturum sabbathum, sive septimum millenarium annorum, in quo Sancti cum Christo in terris regnabunt in summis deliciis, vel corporalibus gulæ & luxuriæ, uti volebat impurus Cherinthus; vel potiùs spiritualibus, ut voluit Irenæus & alii: idque placuit aliquando S. Augustino, ut ipse refert lib.20. de Civitate Dei cap. 7. Hanc ergo ajebant esse resurrectionem primam, de qua in Apocal.20. agit S. Joannes:

Reiicitur opinio Chiliastarũ, seu Millenariorum, qui docuerunt, Sanctos regnaturos mille annis post resurrectionem cum Christo in terris.

Quinam isti fuerint, & à quonam originem acceperint.

Papias, S. Joannis auditor, Hieropolitanus Episcopus, dicitur fuisse author Millenariorum.

nes: post quam ait secuturam secundam, in qua scilicet è terra in Cælum transferentur, qui erat octavus millenarius felicitatis & æternitatis. Unde & caput sequens accipiunt de hac prima resurrectione: hanc enim ajebant esse novam Hierusalem è Cælis descendentem in terras. In hunc errorem induxit eos hic locus Apocalypsis, qui id videtur asserere. Quocirca alii ex diametro his adversi, ut hunc errorem convellerent, respuebant Apocalypsin, eamque tribuebant Cherintho hæretico, qui fuit è primis Chiliastis.

XI.

Millenariorum error unde ortū habuerit.

Ex verbis Apocal. 20. à se perperam intellectis, asserebant isti, duas futuras esse carnis resurrectiones, primā bonorum, secundam verò malorum post mille annos; Christum verò à prima usque ad secundā resurrectionem mansurum in terris, ibique per mille annos cū Sanctis & electis suis regnaturum in maxima pace, affluente undique incredibili omnium terrestrium deliciarum felicitate.

Itaque apparet hos gravissimos viros fuisse deceptos ex superioribus Apocalypseos verbis à se perperam intellectis; in quibus de gemina resurrectione, & mille inter utramque annis sic legitur: *Vidi animas decollatorum propter sermonem Dei, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis. Cæteri verò mortui non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis. Et post mille annos solvetur satbanas, &c. Et vidi mortuos stantes in conspectu throni: & judicati sunt mortui secundum opera ipsorum, &c. Et hæc est secunda mors, &c.* Horum verborum obscuritas, quæ tot tantisque viris præbuit errandi occasionem, clarissima luce illustrabitur, si observemus illa tria hic commemorata, scilicet duplicem mortem, duplicem resurrectionem, & mille annorum spacium. Est itaque prima mors separatio Divinæ gratiæ ab anima per peccatum. Secunda mors exclusio animæ à vita sempiternæ felicitatis, & ad perpetua supplicia damnatio. Resurrectio prima est transitus à morte peccati ad vitam gratiæ, & à vita gratiæ ad vitam illius gloriæ, qua animæ, corporibus exutæ, potientur usque ad diem Iudicii. Secunda resurrectio est universalis illa totius humanæ carnis reformatio, in qua animæ, resumptis corporibus, geminata felicitatis lætitia perfruentur. Mille annorum spacium, quod sæpè in Sacris literis pro indefinita numeri multitudine accipitur, tempus est Evangelicæ gratiæ à Christi resurrectione usque ad diem ultimæ resurrectionis. Sensus igitur huiusce revelationis est: Sanctorum animas per mille annos, hoc est, usque ad diem Iudicii regnaturas cum Deo in prima resurrectione, videlicet in visione Divinæ gloriæ nondum receptis propriis corporibus, neque fore obnoxias morti secundæ, quæ sempiterna supplicia secum affert: demum verò in secunda universali resurrectione unà cū omnibus mortalibus in conspectu throni iudicandas. Et tunc, expleto Iudicio, Sanctorum animæ, suis indutæ corporibus, conduplicatam Beatitudinem accipient. Improbi verò, in quibus prima resurrectio gratiæ & gloriæ locum non habuit, secunda morte, id est, perpetuis inferorum tormentis punientur.

Sunt

Sunt qui præfatum Chiliastarum errorem, uti hæreticum dogma, damnent: sed alii hæresim dicere non audent, quia apertas Scripturas, aut Cõciliorum decreta, quibus hæc opinio quasi hæretica damnetur, non habent. Probant id ex S.Hieronymo, qui lib.4. in Hieremiam asserere videtur Millenariorum errorem non esse damnandum, quem tamen plures Sanctissimi Patres in Cherintho hæresiarcha, ut hæreticum dogma, damnarunt; sed unicuique liberum esse in hoc sentire, quod velit. Hæc enim habet S.Hieronymus: *Quæ, licèt non sequamur, tamen damnare non possumus: quia multi Ecclesiasticorum virorum & Martyrum ista dixerunt: & unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta iudicio reserventur.* Hęc S. Hieronymus. Neque ab hac D. Hieronymi sententia abhorruisse videtur S.Augustinus: qui non ausus eam appellare nec hæresim, nec errorem, sic de ipsa ubi suprà scripsit: *Hæc opinio esset utcunque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spiritales in illo Sabbatho, scilicet mille annorum, affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur: nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Hactenus Augustinus. Itaque concludunt illi nec D. Hieronymum, nec S. Augustinum hunc in modum sermonem suum temperasse, ut ostenderent hanc sententiam non esse damnabilem, quam utrique multis in locis incessunt & irrident; sed ut modestiæ & benignitatis suæ exemplo indicarent nobis etiam ab erroribus veterum Ecclesiæ Patrum summa cum reverentia dissentiendum; & ne complures Catholicos, qui tùm ea ducebantur opinione, insectari viderentur. At ego primæ sententiæ adhæreo, quia licèt tẽpore D.Hieronymi & S.Augustini nihil adhuc ab Ecclesia de ea re definitũ appareat; tamen paulò post, cùm Apollinaris hæresiarcha hanc de Millenariorũ sententiã niteretur adstruere, totisq; nervis defendere conaretur, atq; ut dogma Catholicũ stabilire, scriberetq; (ut ait S.Hieronymus in prooemio lib.18. in Isaiam) duo volumina adversus Dionysiũ Alexandrinum, qui de ea re contra S.Irenæũ librum ediderat: mox in eum atq; alios Millenarios zelus Sanctorum Patrum exarsit, ita ut in hæresim ac patronum eius liberius inveheretur: cùm præsertim ille adderet alias ad eam opinionem impietates, diceretque homines resurrecturos esse ad legem, circumcisionem, & sabbatha seruanda, ad cibos electos, ut olim, & templum materiale constructuros: id de eo scribit S.Basilius in Epist.74. ad Occidentales. Tunc autem, sicut cæteræ pravæ opiniones Apollinaris, ita hæc de Millenariis à Damaso Papa Romæ putatur esse damnata. Ita Cæsar Card. Baronius in notis ad Martyrolgium Romanum die 22. Februarii in B.Papia Hieropolitano Episcopo, quem suprà indicavimus fuisse discipulum S.Ioannis Apostoli & Evangelistæ.

XII. Vtrum Chiliastarum opinio damnanda sit.

Quidam affirmant, alii verò negant.

D.Hieronymi & S. Augustini hac de re sententia.

Auctor parti affirmativæ adhęret, quia licèt tempore D. Hieronymi & S.Augustini nihil adhuc ab Ecclesia de ea re fuisse definitum appareat; tamen paulò post in Apollinare hæresiarcha ista Millenariorum opinio à Damaso Papa Romæ putatur esse damnata.

XIII. Ad Chiliastas ex parte accedunt præfatus Vbertinus de Casulis,

Se-

Nova opinio quorundam ad Chiliastas ex parte accedentium.

Seraphinus Firmensis, Pannonius & Bullingerus, qui censent alligandum esse sathanam post Antichristi obitum: & tunc summa pace fruituram per mille annos Ecclesiam dicunt; quam opinionem ab Abbate Ioachimo derivasse, putat Alcasar not.4. in cap.20. Apocal. quæ etiam impugnatur: quoniam post alligationem sathanæ narrat Apoc. bellum Gog & Magog, quod verè ad Antichristi tempora spectat. Ad horum autem opinionem accedunt alii, qui aiunt, nondum esse ligatum sathanam, sed esse ligandum à quodam Angelico Pastore & optimo Summo Pontifice, quem nesciunt, quando futurus sit. Ita Petrus Galatinus apud Cornelium à Lapide in cap.20. Apocal. quam sententiam docuit & Cos. Hortulanus in Cantica fol.386. Tunc enim, inquit, maximè deletum erit peccatum, inducta per universum Orbem iustitia: & tunc implebitur illud Isaiæ: *Populus tuus omnes iusti*: & tunc sublatus erit omnis bellorum & persecutionis metus; & pax erit altissima: & tunc sublatum erit omne impiorum regnum, omnis tyrannis, atque omnis potestas, & solus Christus regnabit: & erit in terris specimen admirandum Cælestis monarchiæ, quam habebit Christus in æternum: & nulli erunt hæretici, neque hypocritæ, neque opus renovatione Ecclesiæ. Quod igitur Millenarii post resurrectionem carnaliter sperabant, spiritualiter Hortulanus in septimo Ecclesiæ statu in vita hac mortali, & ante Antichristum expectandum docet, & pro se afferre conatur SS. Hieronymum & Bernardum; sed verè non solùm est hæc sententia contra hos, verùm etiam contra omnes Patres, qui asserunt, propè Mundi finem homines fore scelestissimos, & ex morum maxima pravitate proximè futurum Antichristum argumẽtantur, sub quo sathanas solutus, amplissimam accipiet à Deo potestatem vexandi & affligendi Ecclesiam & Christi fideles, & maximè per ipsum Antichristum. Nam sicut Christus Dominus noster plenus fuit omni gratia & omnibus virtutibus: sic Antichristus plenus erit omnibus vitijs & sceleribus; futurus est enim omnis iniquitatis architectus: ideòque omnes iniqui, impii, scelerati eum recipient, illi consentient, illo Rege gaudebunt. Christus divitias sæculi, honores, & Regna contempsit: Antichristus superba tumens ambitione, Orbem omnem subiugare tentabit: idcircò omnia conteret, homines cruciabit, vexabit, interimet. Tunc etiam lachrymæ, luctus & gemitus præpotentes, & ad eum cassæ preces; nulla requies ad formidinem, & somnus ad quietem. Dies cladem nox metus augebit semper. Sic Orbis terrarum penè ad solitudinem hominum redigetur. Tunc impius iustos homines ac Deo deditos duobus & quadraginta mensibus persequetur: & se coli iubebit ut Deum. Se enim dicet esse Deum, cùm sit Antichristus, qui, ut ei adversari possit, accipiet potestatem mirabilia faciendi, ut ignis

Ad horum opinionem accedũt Petrus Galatinus & Hortulanus.

Sub Antichristo sathanas solutus, amplissimã accipiet à Deo potestatem vexandi & affligendi Ecclesiam & Christi fideles, & maximè per ipsum Antichristum, qui plenus erit omnibus vitiis & sceleribus.

ignis descendat de Cælo,ut Sol desistat à cursu, ut imago quam posuerit,loquatur.Quibus prodigiis alliciet multos,ut eum adorent,signumque ejus in manu aut fronte suscipiant.Et qui non adoraverit, signumque susceperit, exquisitis cruciatibus morietur.Ita ferè duas partes exterminabit,tertia in desertas solitudines fugiet.Sic Lactantius Firmianus in Epit. Divin. Inst. Transeo ad id quod prosequebar. Christus viam veritatis docens,& veram legis interpretationem enucleans, Cælestis Patris aperuit voluntatem: Antichristus non nisi falsas,erroneas, diabolicasque comentationes adinveniet. Christus vitam omnium virtutum splendore micantem duxit, Deoque Patri gloriam omnem tribuit. Antichristus nefandissimus,scelestissimus, & omnium peccatorum patronus, gloriamque Dei sibi usurpans, dicet: *Ego sum Deus, adorate me.*

XIV. Cur permittet Deus adventum Antichristi.

Cæterum, (ut ait Pererius lib. 14. in Danielem) hæc de Antichristo legenti,illud fortasse mirandū accidet, cur passurus sit Deus, horrendum illud omnis nequitiæ atque improbitatis monstrum, & illam Ecclesiæ suæ calamitatem ac pestem,in terris existere. Verùm, hujus rei (ut inquit Malvenda lib. 10. cap. 2.) genuinæ ac justæ causæ latent in adytis Divini pectoris, quò subire aut penetrare nulli unquam mortalium licuit.Cùm Divina favente gratia Deum intuebimur sicuti est, eas quoque dilucidè contemplabimur, apertèque dispiciemus quanto altissimarum rationum fundamento Divinum consilium nitatur.Interim tamen quæ humana,pia, & modesta mens excogitavit, submissè ac verecundè absque admiratione promat in medium: nam exploratis cognitisque causis, Divini circa eam rem consilii ac providentiæ, protinus excidet admiratio. Nimirum, adventus Antichristi, multum proficiet in bonum & in gloriam electorum, pariterque ad improborum confusionem atque condemnationem. Principio, ea re pernotescet hominibus, quanta sit malitia diaboli, quantum odium generis humani, quàm insatiabilis cupiditas perdendi bonos: tunc enim omnem malitiæ suæ atque crudelitatis vim ostendet,effundet,& per Antichristū exercebit: quia in eo voluit Deus omniū hominum,& omnium sæculorum improbitatem, malitiam, scelera,flagitia, vitia,quasi in unum cumulum congesta,& velut in fasciculum colligata & conglobata in æternum ignem perpetuò crucianda detrudere, uti S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 25. pulchrè asseruit, cùm ait: *Antichristum in se recapitulaturum omnem diabolicam apostasiam.* Et rursus cap. 29. *Et propter hoc in Bestia veniente recapitulatio fit universæ iniquitatis, & omnis doli, ut in ea confluens, & conclusa omnis virtus apostatica in caminum mittatur ignis.*

Circa id quinque à Doctoribus assignantur rationes.

Prima ratio.

XV.

Deinde,ex eo clarissimè agnoscitur beneficium providentiæ Dei, qui

Secunda ratio. qui diabolum tàm potentem, & pernicialem hominum hostem, ab exordio Mundi, usque ad finem ejus, tenet, quasi vinctum, repressa ejus potestate, ne possit, quantum vellet, nocere homini. Si enim solutus esset, fecisset omni tempore, & faceret nunc, similiter ut extremo sæculo facturus perhibetur. Ergo Deus permittet tantum malum in Mundo, nimirum Antichristum, ut palam faciat infinitas suæ gratiæ ac misericordiæ vires. Nam tunc in Antichristo apertè patefiet, quid quantumque diabolus adversus homines possit, & quanta sit humana imbecillitas ad resistendum sine gratia Dei: at cùm adversus universa robora ac potentias inferni in unum conflata, Ecclesiam suam sit Deus illo tempore tanta providentia conservaturus, nunquam magis divitias bonitatis suæ, & gratiæ erga homines, quàm tunc declarabit. Constituet Deus palæstram, & veluti publicum Orbis terræ theatrum, in quod solutum diabolum immittet, ut suis suorumque viribus quantum potuerit, efferetur, omnemque rabiem & furorem effundat, ut cernat Mundus quanto Dei beneficio nunc sathanas vinctus asservetur; qui si esset solutus, non minora in Orbem modò importaret mala, quàm ad finem Mundi est per Antichristum illaturus. Ex altera parte cornibus, dentibus, unguibusque truculentissimæ feræ charissimam sponsam suam Ecclesiam obiiciet exagitandam, vexandam, ac excoquendam: sed ipse illi semper aderit præsto, causam illius seu potiùs suam in omnibus, potentissimis Divinæ gratiæ præsidiis agens: ut sic victoria sit clarior, ac triumphus gloriosior, & vis Divinæ gratiæ illustrior agnoscatur.

XVI. Tertia ratio. Insuper, quanto maior cæteris, futura est illa persecutio, tanto illustrior erit bonorum Fides, & admirabilior in tantis malis ferendis superandisque patientia & constantia. Quapropter ait S. Hippolytus Martyr in Tract. de Consummat. sæculi, quem refert & sequitur Pererius ubi suprà, Martyres illius temporis, omnibus superiorum temporum Martyribus fore præstantiores: certabunt enim contra draconem & Antichristum omnis nequitiæ principem, ac utrumque vincent, & de utroque triumphabunt. Sicut igitur ultima Ecclesiæ persecutio, erit omnium atrocissima; sic erit victoria illa Ecclesiæ, omnium triumphorum eius clarissima. Itaque Deus ex tantis malis, quæ fient per Antichristum, maiora bona eruet. Nam tunc acerrimè exercebit constantiam, fortitudinem, patientiam, Fidem Sanctorum: & quanto immaniores cruces, tanto fulgentiores virtutes, & præstantiores coronæ Martyrum & Confessorum. Sic permisit Adami peccatum, ut Christum mitteret innumerabilium fontem bonorum, ut veluti cogatur Ecclesia rapta in admirationem tanti artificii exclamare: *Necessarium Adæ peccatum, & culpam felicem, quæ talem, ac tantum meruerit habere Redemptorem.*

Martyres futuri tempore Antichristi, erũt prioribus sæculis illustriores ac sublimiores.

Præ-

Præterea, tanta erit illius novissimi temporis, in omni flagitiorum & scelerum fœditate immanitas, ut Antichristi adventum promeritura sit. Solet enim Deus pro variis hominum meritis, varios illis Principes imponere; qui vel consolentur eos, vel affligant. Quanta sit futura illo tempore nequitia & improbitas hominum, satis ostendit Dominus noster Luc. 18. cùm dixit, vix repertum iri tunc in terris Fidem; & fore, ut refrigescat tunc charitas, & abundet iniquitas multorum. Et quales scripsit S. Paulus in cap. 4. prioris Epistolæ, & in tertio posterioris ad Timotheum, futuros homines novissimis temporibus, tales planè tunc erunt. Ergo deploratissimus illorum temporum status, cùm hominum flagitia ad supremum impietatis cumulum accreverint, nihil magis merebitur, quàm Antichristum; quia sicut, Auctore Iob, Deus facit regnare hypocritam propter peccata populi: ita propter multitudinem & magnitudinem scelerum illius temporis, sinet regnare, & aliquandiu viribus præpollere Antichristum. Vide, quid de moribus illius sæculi ostendimus suprà in 1. Tractatu. XVII. Quarta ratio.

Denique, id permittetur à Deo, ad arguendam, convincendam, & traducendam universo Mundo perduellium Iudæorum perfidiam & contumaciam, quia in eorum commeritas pœnas permissurus est Deus Antichristũ, ut qui verum Christum, eiusque honestissimos mores, sanissimam doctrinam, ingentia miracula recipere noluerunt, falsum Christum, istius mendacia, mores profligatissimos, & exitialem doctrinam sint suscepturi. Hoc prædixit Christus Iudæis apud Ioannem cap. 5. *Ego veni*, inquit, *in nomine Patris mei, & nõ recepistis me: veniet alius in nomine suo, & eum recipietis.* Illum alium, in nomine suo venturum, & à Iudæis recipiendum, fore Patres interpretantur Antichristum, quem esse venturum maximè illi tradunt hac de causa, ut Iudæos decipiat, idque in pœnam incredulitatis suæ: quia (ut inquit S. Paulus in 2. ad Thess. 2.) non receperunt charitatem veritatis, hoc est, Christum, qui est charitas veritatis; sive Spiritum Dei per Christum; ut Salvatore suscepto, salui fierent: ideò mittet illis Deus non operatorem, sed ipsam operationem erroris per Antichristum, id est, fontem errorum, ut credant mendacio; ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Quasi dicat Apostolus, ut iusto Dei iudicio arguantur & condemnentur Iudæi, quos tacito nomine notat, & similes, qui Christo & veritati Evangelicæ per Christum allatæ credere noluerunt: sed mẽdacem Antichristum receperunt, eiusque hæresim & sceleratos mores secuti & æmulati sunt. Quam enim excusationem tunc afferent Iudæi, cur Christum Dominum ut verum Messiam non receperint? Cavillabantur illi, Domini nostri miracula; blasphemo ore dicentes, XVIII. Quinta, & ultima ratio. Antichristus maximè venturus ut Iudæos decipiat.

in principe Beelzebub esse facta: at veniet Antichristus, revera in principe dæmoniorum faciens non vera, sed falsa & fallacia miracula; & illum tamen recepturi sunt. Negabant illi, Dominum nostrum esse Messiam, quòd non esset ex stirpe David, nec in Bethleem natus: quod tamen falsissimum erat: at recepturi sunt Antichristum, natum Babylone, ut suprà demonstravimus, & ex tribu Dan. Blasphemabant illi Christum, quòd se Dei Filium faceret, & æqualem Deo: Antichristus se solum Deum adorari faciet ab omnibus, sibique templa dicari, erigi altaria, & publicè sacrificia fieri coget; nec ob id tamen non eum recipient Iudæi. Erunt igitur prorsus inexcusabiles.



TRACTATUS SEPTIMUS

De persecutione Antichristi adversus Christianos.

I.

Antichristus nō iure hæreditario, aut alio quovis iusto titulo Regnum Iudæorum est consecuturus, sed per fraudes & dolos illud comparaturus.



SÆpe suprà variis in locis ostendimus, quòd Antichristus non est habiturus aliquod Regnum jure hæreditario, aut alio quovis justo titulo, sed habiturus potiùs modicam originem, quia de humillimo loco prodibit: & paulatim per fraudes, & dolos Regnum Iudæorum est adepturus, seu occupaturus. Cùm enim ipsum dixerimus futurum ex vilissimis parentibus, ex gente ac familia sordida, perinfami, ac prorsus extrema abjectione, nullo pacto ad tantos Regni honores conscendere poterit, nisi per summam fraudulentiam. Probatur id primò ex Danielis 11. ubi dicitur: *Stabit in loco ejus despectus, & non tribuetur ei honor Regius, & veniet clam, & obtinebit Regnum in fraudulentia*. In quem locum S. Hieronymus scribit, quòd etsi hæc aliquo modo intelligantur de Antiocho Epiphane, longe perfectiùs implenda sunt in Antichristo, *qui* (inquit) *consurgere habet de modica gente, id est, de populo*

lo Judæorum, & tàm humilis erit, atque despectus, ut ei non detur honor Regius, & per insidias & fraudulentiam obtineat Principatum. Secundò probatur ex eodem Dan. cap. 7. ubi comparatur Antichristus cum cornu paruulo; nimirum propter ipsius vile & obscurum principium; sic ait Robertus Cardinalis Bellarminus, cui se subscribit Malvenda lib. 5. cap. 6. dicens: *Concors est Patrum omnium ac Interpretum assertio, Antichristum Cornu parvulum appellatum, quia ex vilissima & ignominiosissima Judæorum gente, ex parentibus extrema abjectione despicatissimis, ipse piaculum sortis humanæ abjectissimus homuncio pudendis initiis, tanquam plane terræ filius exortus, cui nec hæreditario, nec ullo quovis justo titulo Regnum debeatur; illud tamen astu, fraudibus, & cunctis malis artibus per summum scelus invadet, brevique in immensas opes, & potentiam excrescet.*

An in cornu parvulo sit signatus Antichristus.

II.

Itaque Antichristus initio non erit magnus: sed tantùm Judæos habebit sibi adhærentes, conabiturque illis persuadere se Messiam à Deo missum, quò multis eos ditet divitiis: at paulò post grandis factus, habebit hujus sæculi sapientes; quos subtilem Scripturarum commentationem edoctos, per Orbem totum ad prædicandum mittet: & tam scientia, quam eloquentia & dæmonum auxilio, brevi tempore convertet multos. Quos verò fallaci doctrina seducere non poterit, editis ab eo, & à discipulis suis prodigiis, falsisque signis, subvertere conabitur. Illa prævidens Dominus Matth. 24. dicit: *Surgent enim pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia: ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Etenim signa illa licèt vera miracula non sint; adeò tamen erunt magna & illustria, ut secum traherent, si fieri posset, etiam electos. Sed eos, qui, vel telo doctrinæ, aut ficta religione non decipientur, muneribus & pecuniarum largitione corrumpet. De hoc Daniel cap. 2. inquit: *Abundantes, & uberes Urbes ingredietur: & rapinas, ac prædas earum dissipabit, & dabit sequacibus suis.* Non modo autem auro & divitiis Civitatum abundabit; sed soluti ab inferno dæmones, tàm terra, quàm mari, ingentes absconditos thesauros revelabunt. Si qui fortè tunc invenientur Christiani, stabiles in Fide, avaritiamque perosi, bellis, tormentisque variis, & nunquam antea excogitatis suppliciis, affligentur. Vexabit, conteret, occidet; non illi resistet Regnum; non claudetur Civitas: nullæque contra ipsum prævalebunt munitiones. Quin dæmonum auxilio subjiciet, domineturque cunctis Mundi partibus, excepta duntaxat Venetiarum Urbe: nam eam Antichristum non subacturum vaticinatus est Telesphorus Eremita Calaber, quem refert, & Sanctissimum appellat Petrus Romerus in Opusculo suo venustissimo, cujus titulus est: *Venetia Æviterna §. 22.* Ille igitur in Tract. de magnis tribulationibus Ecclesiæ

Antichristus initio non erit magnus.

Antichristus grandis factus, brevi convertet multos, & quo modo.

Antichristus non subjiciet Venetias.

lib.2. cap.1. ait: *Antichristus totum ferè Mundum suæ ditioni subjiciet, exceptis paucis; nam non poterit subjugare Venetias.*

III. Quanta sit futura persecutio Antichristi.

Hanc porro Ecclesiæ tribulationem, paucis Dominus explicavit Matth.24. *Erit tribulatio magna* (inquit) *qualis nunquam fuit ab initio, nec erit.* Tradunt Sancti Patres, tantam fore persecutionem Antichristi, ut eo tempore omnes Christiani, aut futuri sint Martyres, aut ejeraturi sint Fidem Christi: aut, qui nec volent Fidem deserere, nec tamen fortes erunt tantis perferendis cruciatibus, hi more ferarum, latitaturi sint in solitudinibus & speluncis. Sed audi quid de hac Antichristi persecutione scribat Rabanus in ejus Tractatu: *Excitabit verò* (inquit) *Antichristus persecutionem sub omni Cælo super Christianos & omnes electos. Eriget itaque se contra Fideles tribus modis, hoc est, terrore, muneribus, & miraculis. Dabit credentibus in se abundantiam auri & argenti. Quos verò non poterit decipere muneribus, superabit terrore: & quos terrore non poterit vincere, signis & miraculis tentabit seducere: quos autem nec signis poterit illudere, in conspectu omnium miserabili morte tentabit necare. Tunc erit tribulatio, qualis non fuit ex tempore quo gentes cœperunt, usque ad tempus illud. Tunc qui in agro sunt, fugiant in montibus: & qui supra tectum, non descendant in domum, ut tollant aliquid ex ea. Tunc omnis Christianus qui inventus fuerit, aut Deum negabit, aut sive per ferrum, sive per ignem fornacis, sive per serpentes, sive per bestias, sive per aliud quodlibet genus tormenti interire jubebit, si in Fide permanserit. Hæc autem tàm terribilis & timenda tribulatio, tribus annis manebit in toto, & dimidium. Tunc breviabuntur dies propter electos: nam nisi Dominus breviasset dies, non fieret salva omnis caro.* Hæc Rabanus. Cedat ergo huic tribulationi Pharao, Sennacherib, Nabuchodonosor, Antiochus. Cedat Nero, Domitianus, Trajanus. Cedant Judæi, Saraceni. Cedant Turcæ: nulla similis tribulatio fuit ab initio, aut in posterum erit. Sed licèt Antichristus contra omnes sectas quas reperiet, atrociter sit pugnaturus; præcipuè tamen contra Christi Religionem, se eriget: & eā dissipare conabitur. Unde Daniel cap.8. ait: *Et magnificatus est usque ad fortitudinem Cæli: & dejecit de fortitudine & de Stellis, & conculcavit eas.* Fortitudo quippe Cæli Christus est, cui de Cælo omnia tradita sunt à Patre Cælesti. Stellæ, quas dejiciet impius, Prælatos, Religiosos, Reges & Principes, qui Christum Solem & Regem eorum sequi debent, significant. Sed hi aut deceptione, aut timore, aut muneribus, à Cælo, id est, à Christiana Religione deficient.

IV. Duplex persecutio

At verò, ut præfata magis patefiant, asserimus, prout asserunt Doctores, quòd duplex erit persecutio Antichristi: una quidem corpo-

corporalis, altera verò spiritualis. Corporalis quidem erit omnium gravissima, tùm multitudine, tùm magnitudine tormentorum. Nam, quæ vel audivimus, vel legimus fuisse ullo tempore Christianis admota tormenta, ea fertur, velut ludum & jocum fuisse, perinde ut erunt tormenta, quibus Christianos torquebit Antichristus. Indicavit hoc Daniel cap. 7. illis verbis, *Ecce cornu illud faciebat bellum adversus Sanctos, & prævalebat eis, & Sanctos Altissimi conteret*. Et cap. 11. *ruent* (inquit) *plurimi in gladio, in flamma, in captivitate, & in rapina*. Sanctus quoque Joannes in Apocalypsi cap. 13. prædicit datum iri Antichristo, ut bellum faciat cum Sanctis, & vincat eos. Vincet autem Sanctos, vel corporaliter; quia multi manus ipsius non poterunt effugere, sed ab eo crudelissimè necari, gloriosæ mortis triumphum in Cælis agent: vel etiam spiritualiter; multi enim Christianorum, qui generali vocabulo nominantur Sancti, aut etiam qui habebuntur tunc Sancti, & fortasse eo tempore Sancti erunt, Antichristi, vel allecti muneribus, vel tormentis deterriti, à Fide Christi deficient. Denique, persecutiones & tribulationes, quas diversis temporibus ab origine Mundi usque ad ejus finem passa est & passura Ecclesia Dei, septem numerare ac distinguere licet, juxta illud Vaticinium S. Joannis in Apocalypsi cap. 17. ver. 9. & 10. *Et Reges* (inquit) *septem sunt. Quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere.* Quoniam hosce septem Reges significare suprà in 2. Tractatu ostēdimus collectionem tyrannorum, sive Regum omnium, qui septem ætatibus, sive sæculis regnarunt & regnabunt in Mundo, sive in Regno impietatis & diaboli, atque fideles & Ecclesiam vehementer vexarunt & vexabunt. Nam in prima Mundi ætate, quæ fuit ab Adam usque ad Noe, Cain & posteri ejus, præsertim Gigantes, genus hominum ferox ac violentum, pios ipsos, nempe sobolem Seth acriter sunt persecuti. De Cain posteris hæc habet Josephus Hebræus lib. 1. Antiq. cap. 2. *Cæterum superstite etiam tùm Adamo, Caini soboles sceleratissima evasit, dum posterior quisque fit deterior, nec solùm imitatur priorum vitia, sed & superat: interim nec à bellis, nec à latrociniis temperando: & qui à cædibus abstinebant, alioquin avarè & superbè inter suos vivebant*. Et de Gigantibus hæc prodit cap. 3. *Progeniem procreaverunt insolentem, & fiducia roboris omne jus & fas contemnentem: quorum facinora non absimilia his, quæ de Gigantibus Græci memorant, posteritati sunt tradita. Noe autem facta eorum molestè & indignè ferens, suadebat ut in melius voluntates ac opera sua transmutarent. Verùm cùm videret illos sibi non parere, totosque vitiorum dulcedini succumbere, veritus ne & se & familiam suam interimerent, secedens cum suis in aliam regionem migravit.*

Equi-

[Margin notes:]
...cutio Antichristi, corporalis, & spiritualis.

Antichristus quomodo vincet Sanctos.

Septem Ecclesiæ Dei persecutiones secundum septem Mundi ætates.

Prima persecutio.

Equidem Gigantes illos, quorum Scriptura meminit Genef.5.ver.6. fuiffe tyrannos cruentos ac oppreffores hominum, Hebræi quoque explanatores fatentur, qui eofdem produnt extitiffe terrarum vaftatores, & bellis omnia mifcuiffe. Eft in hac fententia Gilb. Genebrardus lib.1.Chronographiæ pag.17.

V.

Secunda perfecutio.

In fecunda autem Mundi ætate, quæ fuit à diluvio, feu à Noe ad Abraham ufque, extitit Nemrod, five Nembroth, aut Nembrodes peffimus & truculentus tyrannus, vexator hominum: nam fuit homo audax, bellicofus atque impius: & qui non ipfe modò sperneret Deum, fed alios quoque ad contemptum Dei adduceret. Is enim (ut ait Hugo de S.Victore in fuis Annot.in Genefim) mole corporis & virtute fuperans alios homines, dominium cœpit exercere per violentiam: & induxit eos ad idololatriã, ut ignem quafi Deum colerent: quia utilitates maximas beneficio Solis, qui igneus eft, contingere videbat: quem errorem poftea Chaldæi fecuti funt. Itaque multiplicem injuriam & Deo & homini fecit. Deus namque folus debebat præeffe homini, quod ille abftulit, cùm fe illi interpofuit, fimulque debitum ei cultum ademit: homini verò injuriam fecit, quia eum dominio injufto oppreffit, & in errorem decipiendo induxit. Fuit item auctor ædificandi turrim Babel, qua difturbata & fubverfa, & propter divifionem linguarum difcedentibus in varias regiones hominibus, ipfe remanfit inibi cum multis, & tyrannidem invafit. Equidem hunc impietatis exactorem fuiffe, & cultum idolorum induxiffe, bellaque fortia adverfus pios exercuiffe, Ecclefiam vehementer afflixiffe, Regnumque primum poft diluvium fundaffe, conftans eft Doctorum Hebræorum traditio. Quamobrem locum illum Mofis, quo Nemrod dicitur Genef.10.ver.9. *Magnus venator coram Domino*: quantumvis multæ illius ferantur interpretationes; hanc tamen finceriorem accipere poffe non dubitamus: Robuftus, potens, prævalidus, oppreffor, infidiator, tyrannus, *Coram Domino*, hoc eft, per fummam impudentiam ac elationem adverfus Deum, apertiffimo & impudentiffimo Divinitatis contemptu, nec homines, nec Deum verens.

Quid fignificet, fuiffe Nemrod venatorem coram Domino.

VI.

Primus Rex, vel tyrãnus poft diluviũ, fuit Nemrod.

Primus ergo mortalium, qui poft diluvium cœpit effe potens in terra, & affectavit ac arripuit tyrannidem, fuit Nemrod: nam ante hunc in qualibet familia primus natu, primus quoque & auctoritatis & honoris gradu erat: lites familiæ componens, & familiam regens. Hic autem Imperium habere in alios concupivit, primò poft difperfionem Babylone in Chaldæa, ad Euphratem fluvium fita, regnans. Quare Xenophon rectè primos hominum Chaldæos latè regnaffe fcripfit. Itaque prima tyrannis orta eft in ipfa matre confufionis linguarum: & ficut ibi linguarum commercium confufum eft, fic

Hic poft difperfionem hominum in varias regiones, extitit primus, qui affe-

ſic & jus legitimi Imperii perverſum, ubi ſcilicet audaciæ ac temeritatis ſuæ prima ſtatuère monumenta, mortales conati ſunt. Rectè igitur S. Hieronymus in Tradit. Hebraicis in Geneſim: *Nemrod*, inquit, *arripuit inſuetam primus in populo tyrannidem, regnavitque in Babylone, quæ ab eo quòd ibi confuſæ ſunt linguæ turrim ædificantium, Babel appellata eſt*.

affectato Imperio, Regni formam in Chaldæa inſtituit ad Euphratem.

VII.

Teſtimonium Ioſephi Hebræi de Nemrod.

Non relinquam in præteritis quæ de hoc Nemrod tradit Joſephus Hebræus ubi ſuprà cap.4. his verbis: *Hanc ſuperbiam Deique contemptum excitavit in eis Nembrodes, nepos Chamæ, filii Noe, vir audax & manu promptus, ſubinde jactans, non Deo, ſed propriæ virtuti præſentem felicitatem eos debere: atque ita paulatim rem ad tyrannidem trahebat, ratus fore ut homines ad ſe deficerent à Deo, ſi ſe illis ducem præberet, opem ſuam offerens contra novum aliud diluvium intentantem. Turrim enim ſe exædificaturũ, excelſiorem quàm quò aqua aſcendere poſſet: & inſuper majorum ſuorum interitum ulturum. Vulgus autem facilè Nembrodis placitis obtemperabat, ignavum ratus Deo cedere: atque ita ſtructuram turris occœperunt, &c.* Sed quæritur inter Doctores, quiſnam hominum Nemrod ille fuerit. Reſpondetur, quòd multi & magni Auctores putarunt Nemrod fuiſſe eundem, quem Hiſtoriæ Gentilium appellant Belum patrem Nini, & regnaſſe Babylone annis ſexaginta quinque. Hoc tradit Euſebius Cæſarienſis in exordio ſui Chronici, & D. Hieronymus in cap.2. Oſeæ, & S. Auguſtinus lib.16. de Civitate Dei cap.17. *Ninus*, inquit, *regnauit Babylone poſt mortem patris ſui Beli, qui primus hic regnauerat ſexaginta quinque annos.* Atque horum auctoritate permulti poſtea ad idem ſentiendum adducti ſunt, inter quos præcipuè habemus Robertum Cardinalem Bellarminum, qui 1. Par. ſuæ Chronologiæ ita ait: *Belum eſſe Nembrothum, qui Gen.10. ædificauit Babylonem; & Ninum eſſe Aſſur, qui Geneſ. 10. ædificavit Ninivem, probari poteſt tùm ex eo quòd Abydenus apud Euſebium lib.9. præparat. Euangel. cap. ultimo, teſtatur Babylonem à Belo conditam: & conſtat Niniuem à Nino ædificatam: de quo vide Diodorum lib.2. cap.1. tùm etiam ex eo quòd primus Rex Orbi terrarum cognitus juxta Scripturas Sacras eſt Nembroth: & juxta prophanas eſt Belus, ex quo non malè conjicimus, Nembrothum eſſe Belum. Mirum autem eſt, cur Mercator Nembrothum velit eſſe Ninum, & tamen fateatur ante eum regnaſſe Belum, cùm Scriptura apertè dicat, primum qui cœpit eſſe potens in terra, fuiſſe Nembrothum.* Sic Bellarminus.

Quiſnam hominum Nemrod ille fuerit.

Quamplurimi graves Doctores exiſtimāt, Nemrod fuiſſe eundem atque eum, quem alii appellant Belum.

VIII.

Beroſus Annianus prodit, alium

Beroſus verò Annianus lib.4. & 5. Antiq. Chaldaicarum ait, huuc Nemrod alio nomine dictum eſſe Saturnum primum, & patrem fuiſſe Jovis Beli, avumque Nini, primi Aſſyriorum Monarchæ, nepotem

alium fuisse Nérod,& alium Belum.

potem autem Cham, filiumque Chus, qui pater fuit Churetum; anno autem post diluvium centesimo trigesimo primo aggressum esse urbem Babylonem ædificare, turrimque altissimam; sed ab incepto tantùm opere destitisse, regnasseque annos quinquaginta sex. Initium ergo Regni Nemrod competere in annum post diluvium centesimum trigesimum primum. Sed hæc nec vera, nec verisimilia sunt. Primò, quia ostendimus suprà, Nemrod fuisse eundem atque eum, quem alii appellant Belum patrem Nini: ergo non alius fuit Nemrod & alius Belus pater Nini, ut prodit Berosus Annianus. Hinc rejicias Mercatorem, qui in sua Chronologia existimat Nemrod extitisse eum ipsum, quem Græci & Latini appellant Ninum: nam certum est Nemrod alium fuisse quàm Ninum. Habeo hujus sententiæ Auctores plurimos, immò neminem contrariæ: unicus enim est Mercator suæ opinionis probator atque propugnator; nisi fortè secutus sit Authorem Recognitionum Clementis, in quarum libro 4. traditur Nemrod extitisse eundem atque Ninum. Certè Nemrod fuisse primum Babylonis ædificatorem, & in ea Urbe primordia Regni ejus esse constituta, & significat Scriptura, & affirmat Josephus, consentientibus fere Scriptoribus Ecclesiasticis. Nec initium Regni Nini fuit Babylon, ut vult Mercator, quippe qui urbem Ninivem caput ac sedem Imperii sui constituerit, ut ex Diodoro Siculo lib.3. licet intelligere, à quo proditum est Babylonios fuisse à Nino debellatos nondum condita seu ampliata à Semiramide Babylone: nam eam Urbem exiguam, & inundationibus Euphratis penè dirutam & vastatam, postea Semiramis amplissimam, munitissimam & ornatissimam fecit; propterea non immeritò ædificatrix ejus Urbis celebratur. Secundò, quia cùm circa centesimum à diluvio annum acciderit divisio linguarum & discessio hominum in varias regiones, nequaquam credibile est triginta consequentium annorum spatio in tantum esse multiplicatam illam gentem, apud quam erat Nemrod, ut non modò justum Regnum efficeret, verùm & in lõgissimas dissitas regiones deduceretur. Etenim Arach una primarum Urbium ditionis Nemrod (teste D. Hieronymo & Hebræis) fuit Edessa in Occidentali extremitate Mesopotamiæ trecentis septuaginta quinque millibus passuum procul Babylone sita: respuit autem animus credere, gentem illam ejusque Imperium tàm brevi tempore tantum propagari ac prolatari potuisse. Meritò igitur impugnatur à multis Berosus ille Annianus, quia habetur in Historia tanquam Author suspectæ Fidei, cùm æstimetur supposititius, prout nos fusiùs latiùsque ostendimus 1. Par. nostri Divini Theatri Tract. 6. fol. 121. & 122. num. 100. & 101. & sequentibus usque ad numerum 105.

Vtrum id sit verum, an verisimile.

Mercatór putat, sed rejicitur, Nérod fuisse eũdem atq; Ninum.

Nemrod primus Babylonis fundator & conditor.

Semiramis eam Vrbem ampliavit.

Berosus Annianus Author supposititius.

In

In tertia verò Mundi ætate, quæ fuit ab Abraham usque ad David, Reges Ægypti, & Reges aliarum multarum nationum populi Dei graviter vexaverunt. Tunc enim passa est Ecclesia Dei Ægyptiacam diuturnam molestissimamque captivitatem, & alias plures crudeles oppressiones temporibus Israeliticorum Judicum, de quibus latè Divinæ literæ tractant, quas ut res nulli non notas prætermittimus singillatim commemorare. In quarta autem ætate, quæ extitit à David usque ad Chaldaicum & Babylonicum exilium, acerbissimas pertulit calamitates Ecclesia Dei à Regibus Chaldæorum: tunc enim à Nabuchodonosore est urbs Hierosolyma eversa, Templum spoliatum, incensum, excisum, populus in captivitatem duram & immitem septuaginta annorum abactus: quæ omnia copiosissimè consignata, omnibusque pervagata extant in Sacris libris. In quinta Mundi ætate, quæ fuit à reductione populi Hebræi ex transmigratione Babylonica usque ad Christum Dominum nostrum, concussa & pessundata fuit Ecclesia Dei à Regibus Persarum, & Asiæ, Syriæque, ac præsertim ab Antiocho Epiphane, qui eam truculentissimè divexavit, ut Machabæorum libri, Josephus, & alii abundè sunt Auctores. In sexta Mundi ætate hac nostra, quæ incepit à felici ortu Domini nostri Jesu Christi, & duratura est usque ad infaustissimum Antichristi adventum, persecutiones & tribulationes, quas diversis temporibus passa est Ecclesia Christi, quinque insigniores ac nobiliores genericè numerantur. Primò enim, passa est Ecclesia in ortu & infantia sua persecutionem à Judæis, nascentis Christianæ Religionis primordia, opprimere & extinguere conantibus. Deinde, à Gentilibus Imperatoribus Romanis, Christianorum corpora exquisitissimis & acerbissimis cruciatibus variè torquentibus. Tùm, ab hæreticis, veritatem & sinceritatem Fidei Catholicæ impugnantibus. Postea, à schismaticis, unitatem Ecclesiæ discerpentibus, & obedientiam unius capitis atque pastoris abjicientibus. Postremò, à malis Christianis, integritatem disciplinæ Christianæ, probitatemque morum, quantum in ipsis est, dissolvere ac labefactare volentibus. Specificè verò numerantur tres & viginti, licèt decem juxta Sanctorum traditionem legantur persecutiones Ecclesiæ Christi, quia Sancti loquuntur tantùm de decem gravissimis omnium ac generalibus per totum Orbem cognitum, in quod pervagatum erat Christianorum nomen, persecutionibus, quas Christi fideles passi sunt à Nerone usque ad Diocletianum & Maximianum, Ethnicos Romanos Imperatores, qui universæ terræ dominabantur.

IX. Tertia Ecclesiæ Dei persecutio.

Quarta.

Quinta.

Quinque genera persecutionum Ecclesiæ Christi in sexta Mundi ætate.

Tres & viginti numero Ecclesiæ Christi persecutiones.

Prima ergo persecutio fuit Judæorum, de qua dicitur Act. 6. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, &c.* & huic annectitur illa Herodis Agrippæ, de qua dicitur

X. Prima persecutio sub Judæis.

tur Act. 12. *Misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia*. Secunda extitit Neronis, qui quintus ab Augusto sceleratissimè & impiissimè imperavit: nam hic fuit primus, qui Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persecutione excruciari mandavit: ipsumque nomen extirpare conatus, Beatissimos Christi Apostolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Ita Paulus Orosius lib. 7. Historiarum cap. 7. Tertiam persecutionem excitavit Domitianus Titi frater nonus ab Augusto. Is enim (ut ait Orosius loco indicato cap. 10.) fratri succedens in Regnum, per annos quindecim ad hoc paulatim per omnes scelerum gradus crevit, ut confirmatissimam toto Orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissimæ persecutionis edictis, convellere auderet. Hic in tantam jactantiam & superbiam prolapsus fuit, ut Dominum ac Deum sese vocari, scribi, colique jusserit, ac statuas aureas & argenteas sibi poni in Capitolio fecerit, templumque sibi sine lignorum admixtione construxerit. Itaque Domitianus pravissima elatus jactantia, atque truculentissima efferatus superbia, qua se Deum adorari vellet, persecutionem in Christianos agi secundus à Nerone imperavit, in qua Beatissimus Joannes Apostolus relegatus est in Pathmos insulam, ubi Apocalypsim in sui solatium vidit, & ut vidit scripsit, ubi ferè tot sunt Sacramenta, quot in libro verba. Ibi Deus revelavit quanta sit passa Ecclesia in tempore primitivo, & quanta nunc patiatur, & quanta in novissimis temporibus sit passura, quæ pro his & nunc in futuro sit præmia receptura, ut quos denunciata supplicia terrent, præmia promissa lætificent. Passi sunt sub Domitiano Nereus & Achilleus Eunuchi, & eorum domina Flavia Domicilla, Flavii Clementis Consulis ex sorore neptis, quæ fuerat in insulam Pontianam relegata, quia se Christianam esse testata erat. Sanctus quoque Dionysius, qui prædicationis causa à Beato Clemente directus erat in Franciam, unà cum sociis suis passus est tempore hujus Imperatoris in principio sui Imperii. Eodem tempore (ut inquit Egesippus) delati sunt quidam apud Domitianum, quòd essent de genere David, & de posteritate cujusdam, qui dictus est Judas, qui secundum carnem consobrinus fuisse dicitur nostri Salvatoris. Domitianus nãq; formidabat de advẽtu Christi, sicut Herodes nato Christo: & ideò interfici jusserat qui erant de Regia stirpe David, ut nullus Judæorum Regno reliquus foret. Ad quod missus quidam nomine Revocatus invenit quosdam nepotes Judæ, & adduxit ad Domitianum. Qui interrogati de qua stirpe, & de Regno Christi, & quis ipse, vel unde, & quando venturus esset, responderunt: *Non hujus Mundi Regnum est, nec hujus terræ designatur Imperium, sed Cæleste ei Regnum per Angelorum mysteria* præ-

Secunda sub Nerone.

Petri & Pauli supplicium.

Tertia persecutio sub Domitiano.

Prima usurpatio nominis Dei apud Cæsares.

Beatus Joãnes Evangelista relegatus Apocalypsim scribit.

Domitiani in Israelitas sævitia.

præparabitur in consummatione sæculi, quando venturus est judicare vivos & mortuos, redditurus unicuique secundum opera sua. Tunc Domitianus, cùm nil criminis in eis inveniret, abire liberos permisit.

Quarta persecutio fuit Trajani XI. ab Augusto, quia sub eo & privatim & publicè per Urbes universis insurgentibus populis, antiquitùs traditum est, ingentem contra nos concitatam fuisse persecutionem: quoniam Trajanus licèt virtuosissimus fuerit: aliàs tertius à Nerone extitit Ecclesiæ persecutor, sub quo passi sunt infiniti, & Martyrio coronati. Nam passus est Simeon Cleophæ, Sancti Ignatius, Phocas, & alii multi. Et nisi fuisset Plinius Secundus, qui Provinciam gubernabat, multo plures fuissent interempti: qui multitudine occisorum motus, retulit Imperatori, quòd sine misericordia hominum millia quotidiè obtruncarentur, in quibus nihil omninò sceleris poterat deprehendi, inquiens: *Nihil enim contrarium Romanis legibus faciunt. Ante lucem quoque Christo cuidam eorum Deo hymnos canunt; adulteria, & alia crimina apud eos arcentur, & penitùs habentur illicita. Cætera quoque secundum leges communes agunt.* Tunc Trajanus decreti sui auctoritate decrevit, ut Christiani non requirerentur: sed qui inciderent punirentur. Per quod pro parte sedatum putatur persecutionis incendium. Sed qui nequitiam suam adversus nos exercere cupiebant, lædendi occasio non videbatur adempta hujus tempore. Enarrat porrò quæ de Plinio & Trajano diximus Eusebius Cæsariensis lib. 3. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 13. & in Chronicis ex Tertulliano, qui ea in Apologetico commemorat hisce propè verbis: *Atqui invenimus, inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, cùm Provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tandem multitudine perturbatus, & quid de cætero ageret nescius, consuluit tunc Trajanum Imperatorem, allegans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil se scelerati de eis comperisse. Insinuans quoque & illud: Surgere atque convenire summo mane Christianos, & Christum tanquam Deum carminibus laudare: & ad conservandam eorum disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera probibere. Ad quæ Trajanus rescripsit, Christianos inquirendos non esse, oblatos autem puniendos.* Hæc Tertullianus, quæ etiam tradit Paulus Orosius loco suprà indicato capite duodecimo, cùm ait: *In persequendis sanè Christianis Trajanus errore deceptus, tertius à Nerone cùm passim repertos cogi ad sacrificandum idolis, ac detrectantes interfici præcepisset, plurimique interficerentur, Plinii Secundi qui inter cæteros judices persecutor datus fuerat, relatu admonitus, eos homines præter confessionem Christi honestaque conventicula, nihil contrarium Romanis legibus facere, fiducia sanè* inno-

XI. Quarta persecutio sub Trajano.

Occisio Christianorum.

Plinius Secundus pro Christianis interpellat.

Trajanus à persecutione Christianorum abstinuit.

Plinius Secundus scribit Trajano de persecutione Christianorum.

Rescriptum Trajani de Christianis.

Plin. Epist. lib. 10.

fusa cinctus, in ultimum periculum adductus fuerat, Christianorum precibus impetrata in suos suavissima pluvia: at in hostes immissis diris fulminibus, mirum in modum est liberatus. At recruduisse postmodum eandem persecutionem, ad ejusque Imperii finem progressam, testatur ex certissimis Historiis Cæsar Cardinalis Baronius tom.2. Annalium Ecclesiasticorum ad annum Domini 176.

Militum Christianorum miraculum.

XIII.

Sexta persecutio sub Alexandro Severo.

Sexta persecutio ponitur sub Septimio Alexandro Severo Mammeæ filio XVII. ab Augusto, qui se ex nomine Imperatoris, quem ultus fuerat, Pertinacem appellari voluit. Hic namque licèt annis ferè decem Christianos pacem habere permiserit, tamen postea crudeliter occidi mandavit: quoniam natura ferox, quinta post Neronem persecutione Christi fideles excruciavit, plurimiq; Sanctorum per diversas Provincias Martyrio coronati sũt, inter quos Leonides pater Origenis, Calixtus Papa, Beata Cecilia cum Papa Vrbano passi sunt.

XIV.

Septima persecutio sub Maximino.

Martyrium S. Pontiani Papæ.

Septima persecutio per Julium Maximinum sævissimum tyrannũ fuit excitata: nam hic, postquã bellũ in Germania prosperè gesserat, Imperator XXII. ab Augusto, nulla Senatus voluntate ab exercitu creatus, persecutionem in Christianos sextus à Nerone exercuit, in qua secundum Hermannum Contractum in Chronicis passus est S. Pontianus Papa cum Hippolyto Presbytero, quia is cum illo (ut ait Marianus Scotus lib.2 suæ Chronologiæ) in Sardiniam insulam à Maximino deportatus, ibi fustibus 12. Kalend. Decembris mactatus est, cujus corpus Beatus Fabianus Papa reduxit, & in Cœmeterio Calixti sepelivit. Jussit tamen præfatus Maximinus, ut tradit Eusebius lib. 6. Ecclesiasticæ Historiæ cap.21. solos Ecclesiarum Præsides tanquam auctores doctrinæ Evangelicæ trucidari. Quamobrem hæc persecutio inter generales non numeratur ab aliquibus.

XV.

Octava persecutio sub Decio

Octava persecutio fuit M. Qu. Trajani Decii, qui extitit XXV. ab Augusto Imperator. Hic enim cùm Philippos patrem & filium occidisset, in odium ipsorum, quia Chrstiani fuerunt, ad persequendos interficiẽdosq; Christianos, VII. post Neronẽ feralia dispersit edicta, plurimosq; Sanctorũ ad coronas Christi de suis crucibus misit. Hæc tradit Eusebius in Chronicis, ubi ejus verba ita se habent: *Decius cùm Philippos patrem & filium interfecisset, ob odium eorum in Christianos persecutionem movet, qua Diaconus Laurentius Romæ Martyrium duxit.* Fuit autem hæc Decii persecutio, brevis quidem, quia uno tantùm anno & tribus mensibus ipse regnavit, sed summè atrox: ita ut S. Dionysius Alexand. apud Eusebium lib.6. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 34. dixerit, tale sibi videri tèmpus, quale Dominus prædixerat futurum, ut etiam electi, si fieri posset, in errorem inducerentur. Hanc persecutionem continuarunt Gallus & Volusianus, qui persecutori Decio mox interfecto in abrupto Thraciæ loco

An Martyrium S. Laurentii contigerit sub Decio.

Eusebius affirmat.

loco à Gothis in bello, successerant in Regnum; in qua persecutione passus est Cornelius Papa, aliique quamplurimi.

XVI. Nona persecutio fuit sub Licin. Valeriano & Galieno filio suo, qui ambo Imperatores post Gallum Hostilianum vigesimoseptimo post Augustum loco creati sunt. Valerianus in Rhetia ab exercitu Augustus est appellatus, Romæ autem à Senatu Galienus Cæsar creatus; imperavitque Valerianus annos sex, Galienus 15. nempe sex cum patre, novem solus. Verùm Valerianus (ut tradit Nicephorus Callistus lib.6. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 10.) primùm clemẽs & bonus visus est, atque erga homines Dei benevolus atque benignus. Neque enim alius quisquam, qui ante eum fuerant Imperatorum, in illos propensior humaniorque fuit, ne illi quidem qui manifestò Christianismum erant complexi. Adeò se ab initio mitem & placidum nobis præbuit. Tota namque domus ejus, Divini Numinis cultoribus plena erat: eaque prorsùs nihil aliud quàm Dei Ecclesia esse videbatur. Postea verò depravatus est & à veritate dejectus per quendam Doctorem pessimum magistrum & principem sectæ Ægyptiorum magorum. Etenim iste imposturas & præstigias magicas docens, ei persuadet, ut Sanctos viros non tantùm domo sua exigat, & quàm longissimè repellat, sed ferro quoque tollat, ut qui artibus incantationibusque illorum obstarent & resisterent. Restabant enim adhuc, qui perniciosorum pestiferorumque dæmonum actiones visas tantùm aut auditas reprimerent. Talibus igitur consultoribus usus Valerianus, Christum confitentes crudelissimè persecutus est: & ad sceleratissima sacra animum adjiciens, impias obtulit victimas, pueros miseros occidens, infelicium parentum liberos inhumanissimè sacrificans, recens edita viscera dividens, & creaturas Dei in minutissimas partes concidens. Atque his rebus felicem se & beatum fore est opinatus. Quapropter & Ecclesiæ hostis factus est, & indignum se benignitate Dei effecit. Ita scilicet magnam is quoque concitavit persecutionem, de qua ita inquit Paulus Orosius lib.7. Historiarum cap.22. *Valerianus siquidem mox ut arripuit Imperium octauus à Nerone, adigi per tormenta Christianos ad idololatriam, abnegantesque interfici jussit, fuso per omnem Romani Regni latitudinem Sanctorum sanguine.* Fuisse hanc persecutionem acerbissimam, S. Laurentii Martyrium, qui sub ea (ut ait Martyrologium Romanum die x. Augusti) passus est, & non sub præfata octava persecutione, ut prodit (ut suprà audisti) Eusebius, satis demonstrat: cœpit autem anno Domini 259. duravitque usque ad annum 262. Sed Valerianus in Christianos persecutione commota, statim à Sapore Persarum Rege captus & excæcatus, in ipsius & Romani populi ignominiam, apud Persas miserrima servitute consenuit.

Nona persecutio sub Valeriano & Galieno.

Valerianus Christianorum primùm fautor eximius.

Seductus deinde Valerianus à magis Ægyptiis, ad nefanda est delapsus sacra.

Martyrium S. Laurẽtii sub Valeriano contigisse tradit Martyrologium Romanum.

Sapores Rex Persarum Valerianum cœpit, & vilis-

nuit. Hoc enim apud eum officium continua, donec vixit, damnatione accepit, ut ipse inclinatus humi esset, pedeque cervicibus ejus imposito, Rex Persarum Sapor sive Sapores equum semper ascenderet. Docet hæc Paulus Orosius loco citato his verbis: *Valerianus illicò, nefarii author edicti, à Sapore Rege Persarum captus & luminibus orbatus, ignominiosissima apud Persas servitute consenuit: hoc infamis officii continua, donec vixit, damnatione sortitus, ut ipse acclinis humi, Regem semper ascensurum in equum non manu sua, sed dorso attolleret:* & in ista miserabili servitute decessit. Galienus verò tàm claro Dei judicio territus, tàmque misero collegæ permotus exemplo, pacem Ecclesiis trepida satisfactione restituit. Tradit id Eusebius Cæsariensis in Chronicis, cùm inquit: *Valeriano in Persas ducto, Galienus pacem nostris reddidit.*

lissimè habuit, ut etiam dorsum ejus calcaret, cũ equum ascẽdere vellet.

XVII.

Itaque Galienus Valeriani filius postquam Romanum dominium solus obtinuit, Christianis mitior est factus, quia tàm misero (ut diximus suprà patris ac socii permotus exemplo, leniùs & moderatiùs erga Christi fideles agere cœpit: datisque decretis, inhiberi supplicia, persecutionesque cessare jussit: atque instituit, ut quo quisque putet more, exoret quod Divinum est. Sed postea depravatus ut pater, rursus ad sævitiam contra Christianos armatur, & infiniti sub eo Martyrio coronantur. Sed non compensat (ut inquit Paulus Orosius ubi suprà injuriæ ultionisque mensuram unius impii, quamvis perpetua & supra modum abominanda captivitas, contra tot millia excruciata Sanctorum: justorumque sanguis ad Deum clamans, in eadem sese terra ubi fusus est, vindicari rogat. Non enim de solo constitutore præcepti, justo supplicium judicio flagitabatur, sed etiam executores, delatores, accusatores, spectatores ac judices, postremo qui injustissimæ crudelitati vel tacita voluntate assentiebantur, quia Deus secretorum cognitor est, & quorum maxima per omnes Provincias pars hominum versabatur, eadem ultionis plaga corripi justum erat. Solvuntur repentè undique permissu Dei ad hoc circumpositæ relictæque gentes, laxatisque habenis, in omnes Romanorum fines invehuntur. Germani, Alpibus, Rhetia, totaque Italia penetratis, Ravennam usque perveniunt. Alemanni Gallias pervagantes, etiam in Italiam transeunt. Græcia, Macedonia, Pontus & Asia Gothorum inundatione deletur. Nam Dacia trans Danubium in perpetuum aufertur. Quadi & Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania. Parthi Mesopotamiam auferunt, Syriamque corrodunt. Et ne quid forte Romani corporis ab hac dilaceratione cessaret, conspirant intrinsecus tyranni, consurgunt bella civilia, funditur ubique plurimus sanguis Romanorum, Romanis barbarisque sævientibus: sed

Galienus tàm misero Valeriani permotus exemplo, Christianis mitior est factus.

Depravatus exinde Galienus ut Valerianus, rursus persecutor Ecclesiæ evasit.

Vltio in persecutores Ecclesiæ.

Romanorũ Respublica non solùm foris ab hostibus atteritur, sed & intùs civili malo laceratur.

ſed citò ira Dei in miſericordiam vertitur, & cœptæ ultionis major forma quàm pœna in menſuram plenitudinis reputatur. Igitur primus Genuus, qui purpuram Imperii ſumpſerat, apud Myrſam occiditur. Poſthumius in Gallia invaſit tyrannidem, multo quidem Reipublicæ commodo. Nam per decem annos ingenti virtute ac moderatione uſus, & dominantes hoſtes expulit, & perditas Provincias in priſtinam faciem reformavit; ſeditione tamen militum interfectus eſt. Æmilianus apud Moguntiacum, cùm res novas moliretur, oppreſſus eſt. Poſt mortem Poſthumii Marius ibidem invaſit Imperium, ſed continuò interfectus eſt. Deinde Victorinus à Gallis ultro creatus, & poſt paululum occiſus eſt. Huic ſucceſſit Tetricus, qui tunc Aquitanicæ præſidatus adminiſtrabat officium, multaſque ſeditiones militum pertulit. At verò in Oriente per Odenatum quendam collecta agreſti manu, victi repulſique Perſæ, defenſa Syria, recepta Meſopotamia eſt, & uſque ad Cteſiphontem ruſticani Syriæ cum Odenato ſuo vincendo venerunt. Galienus autem cùm Rempub. deſeruiſſet, ac Mediolani libidinibus inſerviret, occiſus eſt.

Galienus deſerta Republica, ac Mediolani manens, voluptatique deditus, interfectus eſt.

XVIII.

Decima perſecutio ſub Aureliano.

Decima perſecutio extitit ſub Aureliano, qui 29. ab Auguſto imperavit: nam hic Imperator licèt in principio ſui Imperii Eccleſiæ ſtatus proſperioribus incrementis augeri cœperit, tamen proceſſu temporis malis depravatus conſiliis, bonum propoſitum mutavit, & in Gallias tranſiens IX. à Nerone duriſſimam contra Chriſtianos perſecutionem excitavit, in qua paſſi ſunt Agapitus, Symphorianus, & Columba Virgo, quorum ſanguis de terra ad Deum clamans, vindictam de perſecutore impetravit. Etenim, dum Aurelianus in perſecutione Chriſtianorum fureret, fulmen de Cælo juxta eum comiteſq; magno cum pavore circumſtantium cecidit. Signum porrò iræ Divinæ, quo Princeps territus, pœnas illicò luit ſuæ impietatis atque crudelitatis: quia non multò poſt in itineris medio inter Conſtantinopolim & Heracleam in cavo Floreo, ſive Cœnophrurio viæ veteris, fraude ſervi ſui anno Imperii ſexto à militibus occiſus eſt.

Martyrium S. Agapiti, Symphoriani, & Columbæ Virginis.

Valeriani obitus.

XIX.

Vndecima perſecutio ſub Diocletiano & Maximiano.

Vndecima perſecutio fuit ſub Diocletiano & Maximiano, qui XXXIII. loco ab Auguſto imperarunt. Extitit autem Diocletianus origine Dalmata cujuſdam Scribæ filius, Salonis ortus, Libertini etiam ſanguinis: qui Imperator ab exercitu creatus, ſtatim Aprum in militum concione percuſſit, ac propria manu interfecit, jurans non ſine ſuo ſcelere Numerianum interfectum. Poſt hoc Diocletianus in conſortium Regni Herculium Maximianum quendam ſuum commilitonem aſſumpſit, & Cæſarem conſtituit anno ſui Imperii ſecundo, ac eum in Galliam miſit contra Amandum & Helianum, qui collecta Ruſticanorum multitudine, quos Vacaudas, ſive Ba-

Diocletianus de Dalmatia oriundus fuit cujuſdã Scribæ filius, Salonis ortus.

Bagaudas vocabant, magnos & perniciosos inceperant ac difficiles ibi excitare tumultus adversus Romanum Imperium. Maximiano ad supplementum exercitus, legionem Thebæam ex partibus Orientalibus Diocletianus ire præcepit. Quæ legio sex millia, sexcentos sexagintasex viros validis animis, & instructos armis, antiquorum Romanorum habebat exemplo. Hi ergo milites Christianæ Religionis ritum Orientali traditione à Sancto Zabda Hierosolymitanæ urbis Episcopo susceperant, Fidemque Sacram virtuti & armis omnibus præponebant. Ad urbem quippè Romam itinere attingentes, eandem Christianitatis Fidem, quam acceperant, apud Beatum Marcellinum prædictæ Romanæ urbis Pontificem confirmaverunt: ut antè gladio interirent, quàm Sacram Fidem Christi, quam acceperant, violarent. Recepti igitur à Diocletiano Cæsare, jubentur ut post Maximianum collegam iter, quod cœperant, ad Galliam tenderent. Maximianus verò, qui usu quidem militiæ bellis aptus: sed idolorum specialis cultor, ferus animo, avaritia crudelis, libidini deditus, cæterisque vitiis obsessus, serenitatem Imperatoriam nimia crudelitate polluerat; in Galliam properans, & eò assecutus, facilè agrestium hominum imperitam & confusam manum militari virtute ac ordine compescuit, ac pacem Galliæ reddidit. Sed & in ipso itinere, Sacra Thebæa legio, cui Beatus Mauritius præerat, cùm sacrificare idolis noluisset, à præfato Maximiano, Seduni in Gallia, in loco, Agauno dicto, pro Christo libenter occubuit, ut dicetur.

Diocletianus Maximianum Cæsarem constituit, ac in Gal iá cũ legione Thebæorũ misit contra Amandum & Helianum, qui collecta gravi manu populi Rusticorum, Romano se opposuerát Imperio.

XX.

Interea nota, quod dicitur de S. Mauritio & Sacra Thebæa legione: quia plures extitère Thebæ, quarum una fuit in Ægypto, à Busyride Ægypti Rege condita ambitu cxl. stadiorum, uti refert Herodotus, centum portis, aliisque publicis privatisque ædificiis insignis, totaque pensilis, subter quam Reges soliti erant maximos armatorum exercitus educere, nullo ex oppidanis id sentiente: & quod est mirabilius, mediam fluvius intersecabat. Græci Heliopolin, hoc est, Solis urbem vocavère. Hujus incolæ Thebæi dicti sunt, & vicina Regio Thebais, in Æthiopiam vergens. Alia Thebe fuit in Bœotia, à Cadmo Agenoris filio condita, quam Amphion muris ornavit, Bacchi & Herculis clarissima patria, ab Alexandro Magno postea eversa. Hæc & Draconigera dicta est, quia à Cadmo cum quinque viris, ex dentibus draconis ab ipso interfecti natis, constructa fuit. Varro tamen lib. 3. de re rust. scribit hanc Urbem ab Ogyge ædificatam. Ab hac Thebani dicti sunt. Hanc Heptapylon vocat Apulejus, ab eo quòd septem portas habebat, inclyta duobus ducibus, Epaminonda & Pelopida. Eadem vocata fuit, & Dircæa, à Dirce fonte. Fuerunt & Thebæ in Aphrica, à Libero patre conditæ. Unde S. Hieronymus in Comment. Epist. ad Galatas: *Præterèo*

Thebæ plures extitère.

Prima fuit in Ægypto.

Secunda in Bœotia.

Tertia in Aphrica.

(inquit) *Thebas Liberi, quas in Aphrica condidit*: quæ Civitas nunc Thebestis appellatur. Alia extitit in Thessalia, à qua Thebani & Thebæi. Fuit & alia Thebe, Homero teste, in Cilicia, Andromaches uxoris Hectoris patria. Alia fuit in Lucania, ab Aoniis colonis condita, quam interiisse Auctor est Cato in Originibus. Fuère & Thebæ Corsicæ: At verò milites illi erant de Ægypto ex præfata ejus Urbe Thebe seu Theba: nam ex ea, cùm præfatus Amandus & Helianus collegissent Bagaudarum exercitum in Romanos, Dux Ægypti jussu Diocletiani collegit exercitum, in quo fuit Beatus Mauritius, qui sub se habebat illum exercitum, in quo erant, uti ostendimus suprà, sex millia sexcenti sexagintasex milites, qui discessi ab Ægypto Romam pervenerunt, acceptaque ibi à præfato Beato Marcellino Papa benedictione, juncti sunt exercitui Maximiani, cùm contra Bagaudarum turbas pergeret in Galliam rebellantes; sed transcensis Alpibus, cùm in quadam planitie apud Octodorum oppidum in Sabaudia residerent; & comperto quòd Christiani essent, jussit Maximianus, ut omnes idolis immolarent, & adversus Vacaudas ac Christianos persequendos Fidem confirmarent. Quod audiens Sacra legio huic sceleri nolens assentire, octo millibus ab Octodoro, ubi erat Maximianus cum suis, quibus Bacchaidarum nomen indiderat, discesserunt. Hoc audiens Cæsar mandavit eos revocari: sed id recusante Sacra legione, inquit: *Jungitur despectui meo Cælestis injuria. Sentiat ergo contumax miles me diis meis posse dare vindictam.* Unde ira succensus missis militibus plurimis nolentes reverti ad sacrificandum, decimum quemque decollari præcepit: sed Sancti cum gaudio capita porrigentes, quodammodo concertabant, ut alter alterum præiret ad mortem: quorum decima parte truncata, Sanctus Mauritius eorum Dux & præcipuus ac fortissimus athleta Christi, paululùm à satellitibus Regiis segregatus, convocat remanentes, ac eos alloquitur: & ut constanter quod cœperant consummarent, exemplo sociorum & Fidei devotione illos Sacra concione confortabat. Nuntiis quoque Imperatoris dixit, quòd jam Christi mandatum adimplere parati erant, qui Petro dixerat, ut mitteret gladium in vaginam. Nam pro Christo mori omnes parati erant: nullamque utpote Christi milites defensionem facere cupiebant, eò quòd ob defensionem Reipublicæ tantùm arma susceperant. Cùm hæc Imperator audisset, jussit ut iterum decimum quemque eorum protinùs decollarent. Quo facto Exuperius signifer accinctus inter commilitones stans, eos ad passionem gloriosa locutione exhortatur: & ut omnes arma projiciant suadet: & virtutibus solis armentur. Dixitque Nunciis Augusti: ut hæc Imperatori referrent, quòd licèt milites essent sui, servi tamen potiùs erant Chri-

Quarta in Thessalia.

Quinta in Cilicia.

Sexta in Lucania.

Septima in Corsica.

Thebæorum legio Romam ad Marcellinũ Papam, qui Cajo successerat, venit, acceptaque ab eo benedictione, juncta est exercitui Maximiani.

Thebæorum legio comperta, quòd Christiana esset, contendit in Fide cum Maximiano.

S. Mauritius Primicerius legionis Thebææ.

Ejusdem signifer S. Exuperius.

Christi. Cæsari debebant militiam, sed Christo innocentiam: ab Imperatore laboris stipendium acceperant, à Christo vitæ æternæ præmium præoptabant. Tunc Imperator insaniens jussit omnem suum exercitum, id est, totam legionem circumdare, ita ut nec unus posset evadere. Vallantur ergo Sancti milites Christi à militibus diaboli, nefandis manibus trucidantur, pedibus equorum conculcantur, & Christo pretiosi Martyres consecrantur apud Agaunum super Rhodanum situm oppidum. Elapsi sunt de collegio illo plures, quos insequentes Romani, IX. in oppido Galliæ Bunna occiderunt. Gereonem verò cum sociis suis CCCXXX. in suburbio Coloniæ Agrippinæ urbis interfecerunt. Victorem etiam cum CCCXL. in urbe Troja, quæ nunc Xantis dicitur, interemerunt. Nec offendi debet Lector, si quis Sanctos fugisse Martyrium audit, cùm Petro dictum fuerit: *Alius te cinget, & ducet quò non vis.* Sancti enim dum carnem suam odio habere non possunt, vitam diligunt, sed ei Cælestem vitam & amorem præponunt. Nec inconveniens puto credendum, si dixerimus Dominum ad hoc Martyres suos fugere voluisse, ne uni loco, vel uni patriæ tantus relinqueretur thesaurus, quin potiùs per diversa loca & Provincias divideretur.

S. Mauritius, & S. Exuperius cum Sacra legione Thebæorum numero sex millia sexcenti sexaginta sex palmam Martyrii susceperunt.

XXI.

Verùm pax erat Ecclesiis ante præfatum Maximianum, & Diocletianum, qui post triumphum de Persis actum ut Deum se adorari voluit, & fratrē se Solis & Lunæ vocari, pedesque sibi osculari mandavit: primus vestibus & calciamentis gemmas inseri jussit; cùm omnes retrò Imperatores in modum Judicum incederent, & solam chlamydem purpuream ultra communem habitum haberent. Interim dum prosperis incrementis ubique dilataretur Ecclesia, subitò turbo universalis persecutionis increbuit. Etenim Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente vastari Ecclesias, affligi interficique Christianos decimo post Neronem loco præceperunt, anno Imperii Diocletiani (ut tradunt Eusebius & Contractus in Chronicis) decimo nono, mense Martio, in diebus Paschæ. Quæ persecutio omnibus ferè antè actis diuturnior atq; immanior fuit: nā per decem annos incendiis Ecclesiarum & Sacrorum librorum, proscriptionibus innocentum, cædibus Martyrum incessabiliter acta est: quoniam variis edictis jubebantur Divinæ legis libros exuri, cunctæ quæ per Orbem erant, usque ad solum Ecclesiæ dirui, & Ecclesiarum Prælati in arctissimis vinculis poni, ac demum exquisitis suppliciis cogi immolare idolis, & nolentes trucidari. Et generaliter nulla ætas, nullus sexus, nulla conditio excipiebatur: quin non sacrificantes, crudeliter necabantur. Tunc Romæ, Cajo Papa Martyrio coronato, Marcellinus eligitur. Cujus tempore tanta vis persecutionis efferbuit, ut intra triginta dies, vigintiduo millia homi-

Diocletiani superbia.

Hic primus gēmas vestibus, calceamentisque inseri jussit, cùm ōnes retrò Principes sola purpura uterentur.

Diocletiani & Maximiani persecutio omnium terribilissima & crudelissima.

Crudelissima Diocletiani & Maximiani edicta contra Christianos.

S Marcellinus Papa à Diocletiano compulsus, incensum idolis posuit: dehinc pœnitentia ductus, universorum Episcoporũ congregavit Cõcilium in Campania.

num promiscui sexus, per diversas Provincias Martyrio coronarentur. Ita ut & ipse Marcellinus Papa, timore ductus, idolis immolaret. Sed postea Synodo facta, in Campania, proprio ore coram centum octoginta Episcopis, & cinere aspersus capite, necnon & cilicio indutus pœnitentiam egit, dicens, se peccasse. Et sic iratus Diocletianus Imperator, fecit eum decollari: qui sepultus est in Cœmeterio Priscillæ, via Salaria Martyrio coronatus. Conjuraverat autem Beatus Marcellinus Marcellum presbyterum (qui consequenter post ipsum factus est Papa) ut præceptum Diocletiani de immolatione non adimpleret.

XXII.

S. Marcellinus coram Episcopis delictum suum recognovit, & ipsorum se judicio exposuit, sed Cõcilium recusavit.

Postquàm autem (ut refert Martinus Polonus in sua Chronica) Beatus Marcellinus decollatus fuisset, & corpus ipsius per triginta dies jacuerat in platea, in exemplum Christianis: Marcellus presbyter nocte cum presbyteris & diaconis, cum hymnis & lucerna, sepelierunt illud. Sed hoc de eo invenitur, quia cùm se in Concilio Episcopis judicandum supposuisset, dicens se paratum esse ad omnia obedire, quicquid sibi imponerent: illi responderunt, *Absit ut summus Pontifex ab aliquo alio judicetur. Negasti tu? Negavit & Petrus, magister tuus. Et quis Apostolorum ausus fuit eum judicare? Egressus enim solus, flevit amarè. Tu igitur collige in teipso causam tuam, & ore proprio teipsum judica.* Ad hoc Marcellinus: *Ob scelus* (inquit) *idololatriæ, judico me deponendum. Anathematizo etiam quicunque corpus meum tradiderit sepulturæ.* Sed flens dixit: *Heu me, avarum me corrupit aurum: & ideò non possum in Sacerdotio remanere.* Sicque pergens ad Diocletianum, confitens se Christianum, cum Claudio & Quirino capitalem accepit sententiam. Et cùm corpus ejus per triginta dies (ut audisti) jacuisset inhumatum, nocte apparuit in visione Beatus Petrus Marcello, qui in Papatum (ut ostendimus suprà) successit, sibi dicens: *Marcelle, dormis?* Et ille cùm dixisset: *Quis es, Domine?* Respondit: *Ego sum Princeps Apostolorum: sed quare corpus meum inhumatum non sepelis?* Dans ei intelligere, hoc dictum de corpore Marcellini. Et addidit: *Non legisti, quòd omnis qui se exaltat, humiliabitur?* Denique, *Multum se humiliavit, qui se indignum sepultura judicavit. Vade ergo, & sepeli eum juxta me: ut quos justificavit gratia, non dividat sepultura.*

Severitas S. Marcellini in seipsũ.

S. Marcellinus per pœnitentiam rediens, sententiam contra seipsum dans de Papatus cessione, à Diocletiano Martyrio est coronatus.

S Marcellinus jussu S. Petri Apostoli sepelitur.

XXIII.

Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani Imperium eodem die deposuerunt, tradentes illud Constãtio & Galerio.

At porrò, cùm Ecclesiarum nimia persecutio inolevisset, adest continuò Dei dextera, in tanta rerum permutatione: ut Augustus Diocletianus depositus cum collega pariter Augusto Maximiano, Regni insignibus privati, & plebei post Imperium viverent: nam anno secundo persecutionis Diocletianus ab invito exegit Maximiano, ut simul purpuram Imperiumque deponerent, ac junioribus in Rempublicam substitutis, ipsi in privato otio consenescerent. Etenim

nim ex constituto Salonæ convenerunt: ibique inter se constituerunt, ut die uno ambo Imperiali potestate deposita, privatorum vestem sumerent. Itaque sub una die Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus apud Mediolanum potestatem Imperii simul cultumque deposuerunt: ut quidem Eusebius Palæstinus ait, quòd mente capti, desipere cœperint: ut Cassiodorus in Chronico inquit, quòd cùm non possent ob ætatis defectum prævalere, deposuerunt Imperium, tradentes illud Constantio & Galerio: ut reliqui verò Scriptores referunt, quòd Græcorum Philosophorum vitam sibi degendam legerint. Cùm enim satis diu Imperio gerendo summa potestate usi, & delitiis affluxissent, & gloriam magnam sibi comparasse visi essent, generos etiam suos in locum suum surrogassent, ad philosophandum se etiam per excellentem & superbam ambitionem contulerunt: ut scilicet, quòd se Imperium optimè administrasse existimarent, ex Philosophica quoque vita gloriam aliquam apud posteros consequerentur. Primam sententiam approbat & sequitur Otho Phrisingensis Episcopus lib. 3. Historiarum cap. 45. cùm ait: *Igitur Diocletianus & Maximianus dum multis malis Ecclesiam Dei attriuißent, & crudeli animaduersione statum Ciuitatis Christi perturbaßent, ultrix Dei dextera, quæ castigari paucis cives suos permiserat, in tantam eos amentiam & permutationem tradidit, ut uterque eorum, Maximianus tamen vel inuitus, sed comparis amore fractus, Imperium deponeret, priuatumque habitum, & plebejum Diocletianus in Nicomedia, Maximianus Mediolani, xx. ab Imperii Diocletiani anno aßumeret.* Atqui Herculius quidem Maximianus, ut audivit Constantinum in Galliis, Constantio ejus patre Eboraci in Britannia mortuo, creatum Imperatorem, privatum habitum deponens, Constantinum dolo circumvenire cogitat. Verùm dum ad hæc in Gallias venisset, à filia sua Fausta Constantini uxore proditus, & in fugam versus, in Massilia fune suffocatus, vitam finiit. Diocletianus autem cùm ad extremam propè pervenisset senectam, miserè quoque periit. Qua de re audi Ioan. Baptistam Egnatium lib. 1. Romanorum Principum. Is enim ibi præfata enarrans, hunc in modum inquit: *Sicque pacato Orbe post annorum Imperium xx. Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani Imperium eodem die deposuère. Rem miram, & ad hanc ætatem incognitam, ut sponte, nec prægrauante saltem senecta, vel rerum mole, uterque in ordinem se redegerit. Diocletianus certè constantiùs in proposito mansit. Nam per decem annos quot priuatus Salonis superfuit, hortorum amœnitati vacans, iterum ad Imperium solicitatus, à priuata vita abduci non potuit, testatus nullos sibi unquam soles lætiores affulsiße. Obiit autem duodeoctoginta natus annos vel alienatione mentis, vel veneno*

Causa excutitur, quare Diocletianus & Maximianus Imperium reliquerint.

Maximiani & Diocletiani interitus.

Maximianus à filia Fausta detectus, quòd dolum Constantino viro suo pararet, Massiliæ fugiens occiditur.

hausto, veritus Licinium ac Constantinum, qui illum tanquam Maxentii fautorem grauiter increpuerant. Sed & Maximianus dum Constantino genero insidias parat Imperium affectans, Massiliæ captus Constantini iussu necatur. Sed clariùs Maximiani obitum describit Paulus Orosius ubi suprà cap. 28. his verbis: *Herculius Maximianus persecutor, & ex Augusto tyrannus, confirmatum jam Imperio filium veste ac potestate Regia spoliare conatus, conviciis autem ac tumultibus militum palam conterritus, in Galliam profectus est, ut Constantino genero æquè dolis junctus auferret Imperium: sed per filiam deprehensus & proditus, deinde in fugam versus, Massiliæ oppressus & interfectus est.*

XXIV.

Continuatio prædictarũ persecutionũ à Nerone usq; ad Diocletianũ & Maximianum, facta per plures Imperatores.

Cæterum prædicta Diocletiani & Maximiani persecutio fuit ultima, & quasi omnium præcedentium generalium tribulationum continuatio ante tempora præfati Constantini. Postquam enim Constantinus ille Magnus à Beato Sylvestro Papa baptizatus est, pacem Ecclesiæ reddidit. Sed præfatas a Nerone usque ad præfatum Diocletianum & Maximianum persecutiones, quæ Constantini tempora præcesserunt, singulæ ferè per plures Imperatores protelatæ sunt. Illam namque, quam Nero incepit, Vespasianus consummavit. Et illam, quam Trajanus inchoavit, Adrianus & Antoninus Pius priùs persecuti sunt, postea prohibuerunt: nam Adrianus (ut ait Paulus Orósius lib. 7. Historiarum cap. 13.) per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem, virũ Fide & sapientia plenum, & per Serenum Granium legatum, libris de Christiana Religione compositis, instructus atque eruditus, præcepit per epistolam, ad Minutium Fundanum proconsulem Asiæ datam, ut nemini liceret Christianos sine obiectu criminis aut probatione damnare.

Edictum Adriani Imperatoris de Christianorũ incolumitate.

XXV.

Iustinus Philosophus librum pro nostra Religione conscriptum Antonino Pio Imperatori tradidit, cumque benignũ Christianis fecit. Vnde pro his qui in Asia patiebantur iniuriam, tale scriptũ Antoninus promulgavit.

Postquam verò (ut inquit Nicephorus Callistus lib. 3. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 28.) Adrianus uno & viginti annis Imperio administrato, naturæ debitum persolvit, præfatus Antoninus cognomento Pius ei successit: ad quem anno (ut ait Eusebius Cæsariensis in Chronico) tertio sui Imperii, & ad Senatum Romanum Iustinus Philosophus de Neapoli urbe Palæstinæ nobili prosapia oriundus, inter cætera præclara opera, Apologeticum Christianos defendens conscripsit. A quo ille, & simul ab aliis quamplurimis fratribus, qui à provincialibus in Asia conviciis & injuriis gravibus contumeliosissimè exagitabantur, permotus, Christianis benignus est redditus, & pro his tale scriptum promulgavit, ac publicè ad Asiæ pupulos dedit: *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Augustus Armenicus, Pontifex maximus, Tribunitiæ potestatis quindecies, Consul tertiò, uniuersis simul plebibus Asiæ salutem. Ego quidem*

dem non ambigo etiam ipsis diis curæ esse, ne quis noxius lateat; multò enim magis ipsis conuenit punire eos, qui sibi immolare nolunt, quàm nobis. Et post pauca: *Vos autem cæteros quidem deos negligitis, cultum uerò immortalis Dei, quem Christiani colunt, expellitis. Sed paternam ego secutus sententiam, pari moderatione statuo, quòd si quis persistit hujuscemodi hominibus absque ullo crimine mouere negotia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absoluatur, etiam si perhibetur id esse, quod ei obiicitur Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnæ ipsius, quam objecit existat.*

XXVI.

Illam verò persecutionem, quam incepit Marcus Antoninus Verus, perfecerunt etiam Commodus & Severus. Illa quoque, quæ cœpit per Decium, continuata est (ut ostendimus suprà) per Gallum & Volusianum: quam autem inchoaverunt Valerianus & Galienus, invaluit per Claudium, ut patet ex actis Sanctorum Martyrum Marii & Marthæ conjugum, & filiorum Audifacis & Abachum nobilium Persarum, qui Romam temporibus præfati Claudii Principis ad orationem venerant: è quibus post toleratos fustes, equuleum, ignes, ungues ferreos, manuumque præcisionem, Martha in Nympha necata est, cæteri sunt decollati, & corpora eorum incensa. Illa pariter persecutio incepta per Aurelianum, continuata est per Numerianum. Et illam denique, quæ per præfatum Diocletianum & Maximianum inchoata est, persecuti sunt & absolverunt per octo annos quatuor eorum successores: quorum primus fuit prædictus Galerius cognomento Maximinus. Sunt, qui ex veteribus monumentis Maximianum magis probent: sed quocunque cognomine hic fuerit, solùm sufficit, quòd is trux extitit ac propè immanis: ut qui rus, unde venerat, oleret, nostrique sanguinis appetentissimus, prout infra fusiùs latiùsque agetur. Sed is Imperium adeptus, molem & ipse secum rei reputans, duos sibi ascivit Cæsares, Severum, & Maximianum juniorem, qui & Maximinus Galerius dictus est: illum Italiæ, hunc Aphricæ & Orienti præfecit: ipse Illyricum sibi medius ascivit. Interim Maxentius præfati Herculii Maximiani filius, qui privatus in Lucania morabatur, à Prætorianis militibus Romæ Augustus nuncupatus est: contra quem præfatus Galerius Augustus prædictum Severum Cæsarem Romam cũ exercitu misit. Severus cùm Urbem obsideret, militum suorum scelere desertus & proditus, atque ex ea fugiens, Ravennæ secundo Imperii sui anno interfectus est. Galerius autem interfecto Severo Licinium Carnunti Imperatorem fecit. Verùm non multò pòst genitalibus putrescentibus, vitæ tædio vim sibi gladio intulisse ostendemus infrà.

Martyrium Sanctorum Marii & Marthæ coniugum, & filiorum Audifacis & Abachũ sub Claudio Imperatore.

Inchoatam Diocletiani & Maximiani persecutionem persecuti sũt & absolverũt per octo annos quatuor eorum successores.

Primus extitit Galerius Maximinus.

Severi Cæsaris cædes.

Licinius Imperator.

XXVII.

Secundus extitit præfatus Maxentius: nam hic à Prætorianis mili-

Secundus fuit Maxentius.

militibus (ut diximus suprà) Romæ Imperator factus, tyrrannidem exercebat: qui (ut ait Eusebius Cæsariensis lib. 8. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 17.) primò velut invitans erga plebis gratiam, Fidei nostræ veneratorem se esse simulabat: & ob hoc persecutiones reprimi, omnesque injurias à Christianis arceri jubet. Sed nihil in reliquis artibus suis, nihil in vita vel moribus, quod Christiani primum videretur ostendit. In tanta enim flagitiorum & scelerum fæce versabatur, ut nihil facinorum pessimorum ab ejus actibus esset alienum. Denique Senatorum, & maximè nobilium matronas publicè abstrahi, & ad suam libidinem deduci imperabat: post contaminationem viris suis reddi jubebat: non tàm expleta libidine, quàm invitata. Tantus verò metus patres plebemque oppresserat: ut ne hoc ipsum quidem, quod vi vel metu erat, palam ostendere auderent: sed ferebant insuetam servitutem gementes: & aliquid pro libertate cogitare metu inhibebantur; cùm ille non ira jam, sed libidine cædis agitaretur. Denique quadam die imperat militibus suis exire per plateas totius Vrbis, & omnes qui occurrissent cujuscunque ætatis & sexus gladiis cæderent. Innumeræque multitudines populi Romani non hostium, sed civium telis deiectæ sunt. Senatores verò & ii maximè qui honoribus & divitiis clariores in curia videbantur, confictis criminibus tanquam rei puniti & proscripti sunt. Addidit verò etiam hoc flagitium sceleribus suis, quòd artis magicæ industriam summis studiis excoluit: & ad ministeria explenda perquirebantur mulieres nobiles gravidæ: & adhuc funestis sacris mediæ scindebantur: rapiebantur parvuli infantes, eorumque exta visceribus evulsa perscrutabantur. Iugulabantur & ut leones, & nefandis quibusdam commentis ac præcantationibus dæmoniaca arte composita bella per hoc dicebantur arceri: & credebatur jus fasque Regni per nefas posse servari. His verò malis omnibus etiam illud additur, quòd omnes qui per cæteras Vrbes vel agros fuerant tyrannica crudelitate deterriti, dum nil sibi ad vitam tutum putant, relictis agris per loca abdita & latebras eunt. Ad ultimum quoque in Christianos crudeli persecutione Maxentius desævit: sub quo Alexandriæ passam esse Beatam Catharinam multi graves Historici & Chronistæ tradunt, inter quos præcipuè habemus Martinum Polonum in sua Chronica & D. Antoninum Archiepiscopum Florentinum 1. Par. Hist. tit. VIII. cap. 1. §. XXXVIII. at Breviarium Romanum & Martyrologium die XXV. Novembris sub præfato Galerio Maximino, de quo infrà plura dicemus, illam Sanctam extitisse martyrizatam asserunt. Verùm Maxentius suorum scelerum illicò pœnas luit: nam inter ipsum & præfatum Constantinum bellum civile exortum est, Maxentius sæpe multis præliis fatigatus, iuxta pon-

Maxentius sub prætextu Christiani nominis summam fœdissimamque exercet tyrannidem.

Facinorosa Maxentii scelera.

Maxentii crudelitas.

Maxentius crudelis Christianorum persecutor.

Vtrum Beata Catharina passa sit sub Maxentio, an sub Galerio Maximino.

Bellum civile inter Maxentium et Constantinum,

pontem Milvium à Constantino ultimò victus & interfectus est, anno Imperii sui sexto. Sed de hac Constantini victoria cōtra Maxentium, qui sibi Imperium usurpaverat, sic inquit Hugo Floriac. apud D. Antoninum ubi suprà cap. 11. §. v. *Cùm septimum annum Imperii sui perageret Constantinus, adversus Maxentium pessimis* ut dictum est) *moribus adornatum, nondum baptizatus, conspirante secum collega Licinio, bellum paravit. Et dum illuc pergeret: multaque secum de imminentis belli necessitate pugnæ proximus pertractaret, vidit per soporem in Cælo signum Sanctæ Crucis flammeo nitore rutilare, & Angelos sibi adsistentes & dicentes: Constantine in hoc signo vinces.* Cassiodorus in Historia Tripartita pleniùs hoc refert lib. 1. dicens: *Eusebius Pamphylus cum iureiurando ipsum Imperatorem dicentem audisse se refert: quia circa meridiē declinante iam Sole Crucis signum ex lumine factum, & scripturam consertam ei dicentem: In hoc signo vince; uidisset ipse & milites, qui cum eo tunc essent. Pergente namque aliquò cum exercitu per iter, hoc, inquit, ei miraculum ostensum est. Dumque cogitaret quid esset acturus, nox superuenit: & dormienti Christus apparuit cum signo, quod uidit in Cælo: iussitque, ut fieret eius signi figuratio, quæ foret auxilium in congressionibus præliorum. Cùmque iam non opus esset interprete, sed apertè Imperatori monstratum fuisset, quid de Deo credere conveniret, mox die facta Sacerdotes Christi convocans, de dogmate consulebat. At illi Sacros libros offerentes, de Christo loquebantur, suaque dicta ex Prophetis comprobabant. Signum verò quod apparuerat ei, dicebant trophæum esse victoriæ adversus infernum.* Constantinus ergo (ut ait Hugo) signum quod viderat, in militaria signa depinxit: deinde in speciem Crucis signum quod dicunt Labarum transformavit: & sic instructus & armatus cum magna spe victoriæ adversus Maxentium dimicaturus iter acceleravit. Cui Maxentius per pontem navigiis compositum egressus hostiliter occurrit. Iusserat quoque navibus ad muscipulam compositis fluviū sterni: & suppositis tabulis exequari. Sed cùm utrinque pugnarent, & exercitus Maxentii Sanctæ Crucis virtute prosterneretur, ad Vrbem fugiendo remeare volens Maxentius, pontem (ut diximus) navigiis compositum ascendit: & subitò subsedere naves: & ipse lapsu equi in profundum alvei demersus est. Sicque belli futuras cędes sui nefandi capitis redemit interitu. Tunc Constantinus urbem Romam triumphans ingreditur: & ita totius Occidentis Imperium usque ad Oceanum devenit tàm ad Constantinum quàm ad Licinium. Constantino ergo in Vrbe recepto, statim ut imagines ob honorem triumphi illius Senatus erexit, vexillum Sanctæ Crucis in dextera sua manu fecit depingi, & subter scribi: hoc esse vincibile signum Dei vivi. Enarrat etiā quæ de Con-

Signum Sanctæ Crucis Constantino ostensum.

Christus Constantino apparuit.

Constantinus juxta visionem sibi monstratam, Maxentio ad pōtem Milvium victo ac in ejus profundum merso, Romam ingressus, Sanctam Crucem in triūphali loco poni fecit.

Constantino & Maxentio diximus, Otho Phrisingensis lib.4. Historiarum cap. 1. cùm inquit: *Maxentius quoque Romæ multis malis cives premebat. Denique inter cætera ejus facinora hoc de ipso dicitur, quòd Senatorum, & maximè nobilium matronas publicè abstrahi, & ad libidinem suam ipsis patribus metu oppressis, tacentibus, & gementibus deduci præciperet. Senatores etiam, vel qui in curia clariores esse videbantur, falsa criminum objectione, proscribi fecit. Addebat his malis magicæ artis nephanda præstigia, ut videlicet mulieribus prægnantibus occisis, viscera perscrutarentur, ac præcantationibus dæmoniaca arte compositis, futura prædicerent. Itaque dum contra sceleratissimum tyrannum Constantinus Imperator religiosus, fautorque Christianæ Fidei, bellum parat, multisque modis anxius, ad Cælos sæpiùs oculos attollit, nocte sopore depressus, ad Orientis partem signum Crucis igneo fulgore in Cælo coruscare videt. Perquirens autem quid esset, Angelos sibi dicentes audit: Constantine in hoc signo vinces. Manè expergefactus, milites Christianos ad se vocat: cognitoque de hoc, quòd Christianæ Fidei signaculum esset, lætus, ac securus de visione, frontem signo Crucis munit, Christianumq; se futurum, si prospera successerint, promittit. Erat autem multa Serenissimo Principi anxietas, quòd tyrannum non sine magna effusione sanguinis civium, superare posset. Dominus ergo tàm devotioni Principis satisfacere, quàm afflictioni Ecclesiæ subvenire volens ipsum tyrannum miro modo, sine periculo tàm Augusti, quàm Romani populi perdidit. Naves enim juxta pontem Miluium in modum muscipulæ colligauerat, ut per hoc ignarum hujus rei militem venientem deciperet. Jam Augustus appropinquabat, jam signa cominus volabant: & ecce tyrannus nutu Dei dæmoniaco raptus spiritu, in machinamenta quæ hostibus parauerat, juxta quod scriptum est, Et incidit in foueam, quam* Psal. 7. *fecit: nullo comitatus socio, solus juxta desiderium Principis, absque utriusque exercitus discrimine, periit. Igitur dum Constantinus desiderata victoria potitus, Urbem ingressus fuisset, cum magno tripudio à ciuibus suscipitur. Cùmque ei ad morem triumphus pararetur, ipse non sibi, sed Christo victoriam attribuendam prædicauit. Crucem etiam, cujus virtute hostis deuictus erat, in triumphali loco poni fecit & adorari.* Hæc ille.

XXVIII. Galerii Maximini in Oriente tyrannis.

Præfatus verò Galerius Maximianus seu Maximinus in Oriẽte & Ægypti partibus simili prædicta Maxentii per omnia crudelitate & vexania tyrãnidẽ gerebat: ita ut alter alterũ in sceleribus videretur imitari: & cui potissimùm flagitiorum palmam deberes dare ignorares. Itaque Galerius Maximinus delitiis, luxu, atque omnium dissolutionum genere fluitans, turpissima suis militibus præbebat exempla: ita ut nullum vel breve seu parvum oppidum absque adulterio nobi-

nobilium matronarum,quæ per loca fuissent repertæ:vel corruptione virginum præteriret. Is in tàm sublimi constitutus honore, pudicitiæ, honestatis, justitiæ, & totius æquitatis hostis publicus erat: qui ut etiam Christianorum hostis & persecutor existeret: adversus eos tanta rabie crudelitatis efferbuit, ut prædecessores suos vincere festinaret in scelere.Ignes enim & laminas, cruces,bestias,maris profundum, obtruncationem membrorum, effusiones oculorum, & singulis membris specialia inferre supplicia gestiebat; cùm tamen illi magis constantes & fortes invenirentur in tolerando, quàm iste ingeniosus & callidus in exquirendo. Hoc igitur modo Galerius Maximinus & Maxentius in Oriente simul ac Occidente,velut uno dæmonis spiritu armati, passibus eisdemque vitiis accensi desæviebant tyranni. Sed inter eos bellum civile gestum est, & mare infestum atque innavigabile fuit. Quòd si id à quopiam navigaretur, eum quòd utrinque alios alii captos abducerent, fidiculæ, flagra, tormenta varia, cruces, & postremò ignis supplicium manebant. Apparebantur ubique thoraces, cuspides & hastæ: præterea triremes, classes, & instrumenta belli omnia in promptu erant, temporeque eo toto in locis & Provinciis omnibus nihil aliud vel audiebatur vel expectabatur, quàm hostiles incursiones, cædes, rapinæ.

Libido ejusdem, crudelitas,& persecutio Christianorum.

Bellum civile inter Galeriū Maximinum & Maxentium.

XXIX.

Cùm autem dicti Galerii Maximini per longum tempus contra Christianos fuisset grassata crudelitas, ipsum authorem scelerum ultio Divina corripuit: nam ille, qui lætis & saginatis carnibus incedebat superbus, dum adversus præfatum Maxentium festinat, militum suorum defectionem veritus, retrò in Illyricum contendit: ubi ulcere inguinibus innato, inflatis subitò visceribus suppuratisque distenditur: in profundioribus dehinc pectoris partibus obortum vulnus,totus intrinsecus viscerum secessus tabe serpente depascitur. Post etiam fistulis quibusdam in superficie putridis meatibus, ac apertis interioribus vulneris venis ebullire cœpit undatim innumera vermium multitudo; fœtor verò tàm intolerabilis erat, ut nullus omninò nec medicorum quidem propius accedere posset. Denique plerosque medicorum, quòd nec morbo aliquid mederi, nec vim fœtoris tolerare possent, interfici jubet. In quibus cùm quidam potiùs jugulandus quàm medicaturus assisteret, inspiratus à Deo: *Cur* (ait) *Imperator erras; & quod Deus infert, ab hominibus putas posse revocari? Nec humanus est iste morbus, nec curandus à medicis. Sed recordare quanta in servos Dei scelera egeris, quàmque in Religionem Divinam impius & prophanus extiteris; & intelliges unde tibi sint poscenda remedia. Nam & ego quidem cum cæteris mori potero, tu tamen à medicis non curaberis.* Tunc se primum hominem Galerius Maximinus esse intellexit: & scelerum suorum immanitatem recor-

Galerius Maximinus Divina vindicta in gravissimū morbum incidit.

Agnoscit & confitetur impietatē suam sera pœnitentia.

 datus,

Galerii Maximini edictum, quo persecutio in Christianos prohibetur.

datus, primum omnium se errasse, & impiè egisse profitetur: & velut pœnitens Deo satisfacere incipit. Convocatis enim iis qui in officio publico sibi parebant, legem scribit, & continuò publicari jubet, qua non solùm à Christianis desinat persecutio, & arceatur omnis injuria, verùm & reædificari eorum permittantur Ecclesiæ, ut solitis cultibus & obsecrationibus vacantes, etiam pro ipsius salute Cæsaris excelso supplicent Deo. Tunc quasi post nimiam tempestatem si Solis splendor redditus fuisset terris, cœperūt Duces populi nostri per singulas quasque Vrbes frequentare Conventus, Ecclesias instaurare, & Concilia agere, Sacerdotia reparare. Inde stupor ingens Gentilium de tanta tàmque subita conversione rerum: ita ut admiratione ipsa fateri cogerentur magnum & solum verum Deum esse Christianorum. Verùm Galerius Maximinus lege illa pro Christianis promulgata, infeliciter diem clausit extremum: eò quòd cruciatus sui præfati morbi non sustinens, vim gladio vitæ suæ attulit. Qua de re ita scribit Nicephorus Callistus lib.7. Ecclesiasticæ Historiæ cap.20. *Galerius autem Maximinus Divinis expetitus plagis, toto primùm corpore tumorem ingentem concepit: quo deinde variè disrupto, lentè ita emarcuit, ut blasphema ejus & impia lingua, quæ iniquitatem in altum evomuerat, intra fauces ipsas vermium vim proferret, qui ex ore illius prorepentes fœtore pessimo locum habitationis omnem replebant. Postremò autem, more canis quàm maximè latrans, sceleratam & nefariam cum quadam violentia exhalavit animam.* Sed hæc clariùs enarrat Paulus Orosius lib.7. Historiarum cap.28. *Porrò* (inquit) *Galerius occiso Severo, Licinium Imperatorem creavit. Cūque persecutionem à Diocletiano & Maximiano missam ipse atrocioribus edictis accumulavisset, ac postquam per annos decem omni genere hominum exhaust Provincias, putrefacto introrsum pectore, & vitalibus dissolutis, cùm ultra horrorem humanæ miseriæ etiam vermes eructaret, neque medici ultrà jam fœtorem ferentes, crebro jussu ejus occiderentur, à quodam medico constantiam ex desperatione sumente increpitus, iram Dei esse pœnam suam, atque à medicis ideò non posse curari, edictis latè missis, Christianos de exiliis revocavit. Ipse autem cruciatus non sustinens, vim vitæ suæ attulit.* Sic Orosius.

Edicto hoc promulgato, Galerius Maximinus miserè diē clausit extremum, eò quòd genitalibus putrescentibus, & vermibus undequaque erūpentibus, vitæ tædio vim sibi gladio intulit.

XXX.

Tertius fuit Maximinus Galerius.

Hic post patrem suum persecutionem Christianorum renovat.

Tertius extitit præfatus Maximinus Galerius filius prædicti Galerii Maximini: nam hic post sex menses à morte patris sui, qui persecutionem Christianorum inhibuerat, eam renovat. Itaque Cæsar iste per sex menses non ampliùs passus est nostros in pace persistere: quia illis elapsis quicquid ad turbandam Christianorum pacem, quicquid mali potest, excogitat. Igitur primò prohibere Christi fideles per occasiones quasdam tentat, ne ad Cœmeteria convenirent. Interea exercendæ sævitiæ, qua pollebat, occasionem maxi-

mam

mam est nactus: eò quòd apud Antiochiam simulacrum quoddam Jovis nuper consecratum artibus quibusdam magicis & impuris consecrationibus ita compositum est, ut falleret oculos intuentium, & portenta quædam ostentare videretur & responsa proferre. Idque omnibus & ipsi Imperatori pro certo confirmatur. Quod postea quàm ab omnibus creditum est, asseveratur idem deus ille dedisse responsa, ne Christiani habitarent in Vrbibus. Tunc verò rursus adversus nos persecutionis rabies instauratur: & Maximinus Galerius interim summa instantia per Vrbes singulas ac Provincias sacerdotes simulacrorum ac pontifices statuit, multisque honoribus & muneribus afficit, & omnia prorsus diligenter egit: quatenus cunctos beneficiis suis præveniat, ut per hoc promptiores eos efficeret in odium & necem Christianorum. Tanta porrò in brevi adversus nos crudelissimus tyrannus excitavit, ut longè sæviora prioribus & duriora paterentur. Quando enim adversum nos legationes Provinciarum & Vrbium: quando tot & tanta Imperialia edicta venerant: ita ut etiam æreis tabulis incidi leges, quæ contra nos datæ fuerant, juberentur. In iis verò legibus, quas adversus nos ære inciderat velut in æternum mansuras, jactanter ac superbè descripserat, quòd ex quo Christiani ab Vrbibus pellerentur, aeris læta esset temperies, & terræ fœcunditas abundantior: ideòque satis rectè consuli ad deorum immortalium gratiam, ut invisum hoc hominum genus ex omnibus locis, in quibus eorum majestas colitur, pelleretur. Nec mora Dei providentia dum adhuc per aliquas longius positas Civitates impia mitterentur edicta, arrogantiam tyrannicæ vocis refrænans, qua lætas segetes pro Christianorum fuga & uberes fructibus descripserat; campos, imbres restringit in nubibus, & effectas aridas ob sterilitatem segetes derelinquit. Arescit etiam herba camporum: & non solùm hominibus fructum, verumetiam pecudibus pabulum negat. Famet quoque terra, & obscœna ubique grassatur. Aeris quoque temperies, quam suis impiis actibus descripserat famulari, in tantam corruptionem versa est, ut humana corpora ulceribus pessimis, quæ ignis sacer appellatur: necnon iis qui dicuntur carbunculi, replerentur: ita ut ora hominum atque oculos occuparent: ut si quis ex his effugisset mortem, luminibus orbaretur. Sed & aliis nihilominus pestilentibus morbis virorum ac mulierum immensæ multitudines, & præcipuè infantium catervatim cadebant. Nostri verò minimè quibus revera per Dei gratiam, quod maximè hominibus mirabile fuit: neque fames in aliquo, neque lues fuerunt damnata. Tunc ergo videtur impletum illud quod scriptum est in Exodo, quòd Ægyptiis erant tenebræ palpabiles & crassæ. Filiis autem Israel lux in omnibus habitationibus suis: nec propter hoc impius

Simulacrum & oraculum Jovis Antiochiæ Christianos ab Urbibus ejici jubet.

Impia edicta Maximini Galerii.

Divina ob expulsos Christianos vindicta.

pius ille, ac mente ferox Maximinus Galerius immutavit affectus, donec digna in eum verbera ultio Divina protulit. Nam dum civile bellum contra præfatum Licinium disponit, Licinius à Roma digressus eum expugnare paravit. Et cùm jam ferro Licinii cecidisset Maximini Galerii exercitus, pars quæ supererat videns Imperatorem suum Divino favore nudatum, Licinio se subdidit. Maximinus autem ipse Galerius ut vidit à diis suis se deceptum, & ab hominibus derelictum, turpiter & infideliter fugit. Veruntamen dum reparasset exercitum, velletque cum hoste secundò confligere, doloribus internorum viscerum correptus, vehementer exagitari cœpit, ut nec stratis quidem recumbere posset. Tunc homo edax (inquit Eusebius Cæsariensis lib. IX. Ecclesiasticæ Historiæ cap. X.) & qui vino semper repleretur, nunc nec summis labiis quidem degustandum recipere cibum, aut oretenus vinum sumere potest. Itaque carnibus inedia & ariditate consumptis, hoc solùm profecit infelix, quòd in ultimis vitæ positus, justum esse judicium Dei, & scelerum pœnas se merentem profitetur expendere. Ad ultimum tamen morbo priùs luminibus amissis: & tunc magis quod adversus Christum impietatis admiserit videns, vivendi finem fecit. Sed defuncto eo, qui erga Christianos nunc inaudita crudelitate, nunc simulata venia agebat, aperta licentia legitimorum Principum Ecclesiarum status multò etiam clarior, quàm priùs fuerat reparari cœpit. Tunc inimicis Fidei plenitudo ultima atrocitatis suæ fiebat: ita ut ipse publicus puderet eos aspectus. Etenim primus ipse Maximinus Galerius Imperialibus edictis tyrannus & impius & Deo atque hominibus invisus fuit pronuntiatus. Tabulæ quoque ejus pictæ, vel imagines aereæ, aliæ dejici ac præcipitari jubentur: aliæ verò atris faucatæ coloribus obliteratæ: judices quoque ejus, quos ille in tyrannicis dominationibus ministros scelerum habuerat, legitimi Principes velut impietatis ejus ac crudelitatis antistites jusserunt interfici.

Bellum civile inter Maximinum Galerium & Licinium.

Maximinus Galerius in Christianos sævitiæ pœnas luit.

Hic apud Tharsum dum civile bellum contra Licinium disponi interiit.

Statuæ Maximini Galerii dejiciuntur, & memoria ejus damnatur.

XXXI. Quartus ac ultimus fuit præfatus Licinius: nam sub eo magna extitit in Christianos hominesque persecutio, & omnes, qui piè de Christo sentiebant, diis immolare cogebantur. Motivum hujus persecutionis fuit ex invidia ipsius Licinii contra præfati Constantini gloriam, quam iste acquisivit ex tranquillitate & augumento statui Ecclesiastico reddito: eò quòd incredibile est memoratu quàm brevi Constantini studio facta latè per totum Orbem Ecclesia creverit: & quanta cura erga sumptum ædificandarum Ecclesiarum fuerit ardens. Etenim cùm edicto publico ædificarentur Ecclesiæ per totum ejus Imperium, ipse ad hoc peragendum ex Regiis thesauris pecunias affluentissimè conferebat. Igitur cùm tali simplicitate Ecclesiarum gloria apud Deum hominesque proficeret, & imago quædam Cæle-

Quartus ac ultimus extitit præfatus Licinius.

Constantini gloria.

Cælestium haberetur in terris Religionis, Princeps Constantinus per dies singulos Fide & Religione crescens, ineffabili gaudio de Ecclesiarum profectibus replebatur. Cùmque pro his omnibus non iam ut Imperator, sed ut pater coleretur à cunctis, non tulit infelix invidia vel nostrorum pacem lætis successibus crescere, vel illius erga nos studia inquassata durare. Quoniam Licinius, qui primò quasi probitate morum, non solùm ab eo quasi in societatem Regni fuerat adscitus, verùm etiam in propinquitatem ex coniunctione susceptus, quia sororem Constantini in matrimonium acceperat; videns Imperatorem Constantinum non tàm vi & metu, quàm amore & Religione omnibus imperare, ac in summa veneratione cunctis esse mortalibus, præcipuè Christianis, invidia perculsus occultis insidiis eum decipere paravit. At ille totus confidens in Deo, ad omnia se illo signo, quod ei Cælitùs monstratum fuerat, muniebat. Nec ullis per hoc insidiis fieri obnoxius poterat. Verùm Licinius iratus, quòd ille Christianorum precibus iuvaretur, & ideò tutus maneret, stulta iracundia permotus, Imperatori quidem apertum bellum indixit. Regni quidem Fidem societatemque contaminat, nostros verò privato & speciali odio persequi parat. Hæc in querelā denotans, quòd non ita pro se, sicut pro Constantino Christiani in solemnitatibus & ex præcepto sibi traditis orationibus excubarent. Versa igitur vice, is qui paulò antè acerrimè in eos vindicaverat, qui tyrannorum tempore adversus Christanos aliquid crudele moliti sunt, nunc in nostros tela contorquet.

Invidia Licinii contra Constantini gloriam.

Licinii res novæ contra Constantinum.

Licinius Constātino apertū bellum indicit.

XXXII.

Itaque Licinius primùm (ut ait Nicephorus Callistus lib. VII. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 44.) Christianos, qui sub ditione ejus erant, premere atque oppugnare est aggressus: deinde mente ab insita sibi insania captus, manifestam contra Ecclesias commovit persecutionem: futurum ratus, ut Constantinus, Religione periclitante, summo afficeretur mœrore. Neque eum latebat, Ecclesias pro illo orare, atque studere ut sub illius essent Imperio. In primis verò delectu instituto, repentina rabie suscitatus, aut instinctu dæmonum in furorem versus, omnes Christianos è domo familiaque sua iussit expelli: militesque qui dæmonibus sacrificare nollent, honore dignitateque spoliatos exautoravit. Post hæc profecit pestis, & tyrannicis edictis statuit omnes, qui se Christianos profiterentur, in carcerem trudi. Statim tamen invenit aliquid in quo priores crudelitate superaret. Addidit edicto ne quis alicui misso in carcerem cibum vel potum deferret. Denique omnes, qui contaminatis sacrificiis acquiescere nollent, non tortoribus, sed laniatoribus dari, ut eos porcorum more suspensos per frusta cæderent, & in partes divisos in mare ad pabulum piscium proiicerent. Ecclesiæ quoque, quas suis iam

Licinius, qui antea Constatino erga Civitatem Christi benignū præbuerat auxilium, Christianos persequi intentat.

Primò omnium de palatio suo si quis Christianus esset, exire iubet, & exui omni militia.

iam temporibus communibus edictis extrui fecerat, rursus & subverterentur. Præterea & leges siquæ apud Romanos benè & honestè à maioribus latæ fuerant, in barbarum ritum everterentur. Avaritiæ quoque insatiabiliter cœpit studere, sensus innovare, agros cultoribus vacuos tributis replere. Si quos inimicos factionibus circumventos in exilium misisset: horum uxores illegitimis matrimoniis evulsas servis suis ac satellitibus iungere. Ipse verò etiam contra ætatis suæ vires cœpit adulteriis & corruptionibus virginum delectari.

XXXIII.

Licinii in Episcopos & Sacerdotes sævitia.

Sed dum impius in Christianos, maximè in Episcopos & Sacerdotes, quos ministros Dei esse sciebat, sævitiam suam exerceret, etiam (ut inquit Nicephorus Callistus ubi suprà) exercitus Dux Theodorus Martyrio est defunctus, spectata fortitudine vir, qui Heracleæ in Ponto habitans, Mariandynorum genti præerat: & quòd evocatus ad Licinium non venisset, hospitem ipsum habuit, eiusque Deos comminutos egentibus dedit. Hunc Licinius etiamsi egregiè charum habuerit, multis tamen affecit cruciatibus. Nam & in crucem eum egit, & subulas in meatus secretiores corporis ejus immisit, postremòque capite truncavit. Cujus corpus postea in patriam eius Euchaitem magnificè deportatum, & ibi insigni Templo cohonestatum est. Alius hic est à Tyrone illo, qui in Amasea civitate sub Bringe Maximiani præfecto holocaustum factus, supplicium ignis fortiter pertulit. Sicuti & ille, qui Pergæ in Pamphylia crucifixus, vitam hanc finiit. Quamvis omnes ii corpus unum & spiritus unus in Christo fuerint. Post Theodorum & Basileus Amasenus Episcopus, cùm priùs intolerabilia tormenta esset perpessus, capitale subiit supplicium. Sebastia quoque urbs in stagno suo quadraginta illos egregios & Divinos viros per frigus & undam mirificè Deo totos holocausti instar oblatos vidit, cùm Lysias adhuc & Agricolaus satellites propugnatoresque eius superstites essent inveniendisq; adversus Martyres novis cruciatibus apprimè pollerent. Illorum autem nomina hæc sunt: Domitianus, Eunoicus, Sisinnius, Heraclius, Alexander, Ioannes, Claudius, Athanasius, Valens, Helianus, Meliton, Ecditius, Acacius, Vivianus, Heluius, Theodulus, Cyrillus, Flavius, Severianus, Cyrion, Valerius, Cludion, Sacerdon, Priscus, Euthycus, Smaragdus, Philoctimon, Aerius, Michallius, Lysimachus, Domnus, Theophilus, Euthycius, Xantius, Angias, Leontius, Isychius, Caius, Gorgonius, Candidus: de quibus sic inquit Martyrologium Romanum die ix. mensis Martii: *Apud Sebasten Armeniæ natalis SS. Quadraginta militum Cappadocum, qui tempore Licinii Imperatoris sub Præside Agricolao post vincula & carceres teterrimos, post cæsas lapidibus facies, in rigens stagnum missi sunt*

Theodori Ducis Martyrium.

Theodorus Tyro Martyr.

Item Theodorus Pergensis.

Basilileus Amasenus Episcopus.

Quadraginta milites Cappadoces apud Sebastē Armeniæ Martyres.

Eorum nomina.

sunt, ubi constricta eorum corpora distrumpebantur, ac demum crurifragio Martyrium consummarunt. Erant autem inter eos nobiliores Cyrion & Candidus; quorum omnium praeclaras glorias Sancti Basilius, aliique Patres scriptis suis celebrarunt. Illorum porrò cõjuges, quæ & ipsæ quadraginta numero fuère, Heracleam Thraciæ abductæ esse feruntur: atque ibi cum Amone quodam diacono tormentis, quæ quisquam exprimere possit maximis, generosè & fortiter toleratis, cum pulchra professione, per gladium victimæ Deo sunt oblatæ.

Coniuges eorūdem itidem 40. Heracleæ Thraciæ Martyres.

Amon diaconus Martyr.

XXXIV.

Verùm Licinius suæ sævitiæ in Christianos ac scelerum pœnas luit: nam postquam præfatis armis præcinctus tyrannidem cœpit agitare Licinius, Constantinus veris virtutibus adornatus tot tantisque flagitiis ire obviam parat: ac ita mox bellum inter eos efferbuit. Sed Constantinus Licinium sororis suæ virum in Pannonia primùm vicit, deinde apud Cibalas, seu Cibalias oppressit. Vniversa Græcia potitus, Licinium crebris bellis terra marique assurgentem & repressum, tandem ad deditionem coegit. Facta enim congressione in Bithynia circa Chrysopolim, victus est Licinius atque comprehensus: sed Constantinus Herculii Maximiani soceri sui motus exemplo, ne iterum depositam purpuram in perniciem Reipublicæ sumeret, privatum jussit occidi apud Thessalonicam, ubi capite truncatus est, quamvis omnibus jam ministris nefariæ persecutionis extinctis, hunc quoque inquantum exercere potuit persecutionem, digna punitio flagitaret.

Licinius suæ crudelitatis in Christianos ac scelerum pœnas luit.

Bellum inter ipsum & Constantinum efferbuit.

Licinius Thessalonicæ contra ius Sacramenti privatus iussu Constantini occiditur.

XXXV.

Licinio igitur à Constantino devicto atque interfecto, ipse Constantinus à Sylvestro Papa, juxta traditionem Romanorum, causa mundandi à lepra, in Ecclesia, quæ S. Joannis dicitur, baptizatus est. Vnde omnes Imperiales dignitates Papæ contulit: & ipse Constantinopolim transiit. Sunt qui scribant Constantinum extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo rebaptizatus in Arianum dogma declinasse. Habetur id in Chronico D. Hieronymi: at quis (ut tradit Cæsar Card. Baronius tom. 3. Annalium Ecclesiasticorum ad annum Christi 324.) putet istud esse tantæ auctoritatis & Fidei, & non potiùs credat ab alio esse apppositum, quàm à Sancto Hieronymo positum, quod totius Ecclesiæ Catholicæ consensione & usu continuato constat esse improbatum atque rejectũ, ut ex iis, quæ suprà de sincera Fide Catholica Constantini audisti, constat? Sed & ipse Hieronymus se à tanta calumnia vindicet: qui agens contra Vigilantium, Sacrarum reliquiarum cultum spernentem, hæc ait: *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui Sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim,*

Constantinus num fuerit rebaptizatus ab Eusebio Nicomediensi Episcopo.

Solvitur obiectio ex S. Hieronymo.

X *apud*

apud quas dæmones rugiunt? &c. Certè sacrilegus dicendus fuisset, nec in exemplum adducendus esset, qui ab Ecclesia Catholica descivisset. Scimus apud Luciferum Calaritanum lib. 1. pro Athanas. & de Regibus apost. Constantinum Imperatorem infamia hæresis laborasse, quòd S. Athanasium exulare jussisset. Verùm magis ipsi credimus Athanasio, qui eum sæpe excusat, & post obitum Constantinum pium, felicis memoriæ, atque religiosissimum non rarò nominat in Orat. 1. adversus Arianos, & in Apologia ad Constantin. Sed audiat hic Lector quæ hac de re tradit etiam Martinus Polonus in sua Chronica his verbis: *Constantinum autem in extremo vitæ suæ, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo rebaptizatum, & in Arianum dogma conuersum esse, quidam retulerunt. Sed hoc de Constantino mendosè dictum est: quoniam Beatus Gregorius in Registro, cùm loquitur Mauritio, eum bonæ memoriæ appellat: & in Tripartita Historia, ejus exitus atque acta, bona inueniuntur. Et super Psalmum XIIII. dicit ipsum Beatus Ambrosius, magni meriti apud Deum: quia primus Imperator viam Fidei & deuotionis Principibus dereliquit. Isidorus etiam in Chronicis suis, reprobans hoc, omnino dicit eum feliciter terminasse. Vnde & Græci Constantinum in Catalogo Sanctorum annumerant: & festum de ipso cum solemnitate agunt, uigesimaprima die Martii. Sed ea quæ mendosè de prædicto Constantino dicta sunt, de Constantio filio ipsius, omnia vera esse inveniuntur. Nō enim verisimile est, tantæ deuotionis Principem in tantum desipuisse, ut baptismum, quem à Beato Syluestro acceperat, & quo se corporaliter à lepra, & spiritualiter à peccato mundatum cognouerat: ac ipsum Christum se vidisse in baptismo, testificatus fuerat, sic viliter ut rebaptizaretur contempsisset. Vnde propter eximiam, quam habuit ad Christi cultum Religionem, & propter nimiam quam habuit ad Clerum reuerentiam, creditur, hoc ab aduersariis Fidei confictum esse.*

Græci Constantinum in Catalogo Sanctorum annumerant: & festum de ipso solemniter agunt die 21. mensis Martii.

Nam in tantum Christi cultum dilexit, ut mox baptizatus, Christianorum Ecclesias mandaret ubique erigi. Ipse etiam in palatio suo Lateranensi, ad honorem Christi Ecclesiā, quæ nunc dicitur Basilica Saluatoris, construxit: ut ex hoc, uniuersitas hominum sciret, nullam in corde suo circa Fidem Christi dubietatem, vel præteriti erroris remansisse vestigium. Quam Ecclesiā S. Sylvester Papa solemniter consecrauit. Quæ dedicatio, usque hodie, tanquam primæ Ecclesiæ, non solùm Romæ, sed etiam in circumadjacentibus Ciuitatibus solemniter celebratur. Cujus consecrationis tempore, imago Saluatoris, non opere humano, sed Divino, tunc primùm omni populo Romano picta in muro apparuit, quæ manet usque in hunc diem. Hucusque iste.

Constantinus Romę in palatio suo construxit Salvatoris nostri Ecclesiam, duodecim cophinos terrę propriis humeris ad fundamenta deportādo.

XXXVI. Duodecima persecutio fuit sub Constantio Constantini filio: nam is Ariana hæresi per quendam Arianum presbyterum & Eusebium Ni-

Nicomediensem Episcopum Arianorum antesignanum pollutus, nõ minùs Catholicos vexavit, quàm antea Gentiles Imperatores fecissent: cujus, & aliorum Arianorum crudelitatem in Sacras Virgines & alios Orthodoxos, S. Athanasius in omnibus suis operibus, ac præsertim in Apologiis, & in Epistola ad Solitariam vitam agentes enarrat, invasiones scilicet armatorum in Ecclesias, lapidationes, flagellationes, cædes, incendia, direptiones, ita ut hæc persecutio, ait Cæsar Card. Baronius tom. III. Annalium Ecclesiasticorum ad annum Domini 356. longè immanior probetur, quàm quæ à Gentilibus factæ fuerunt. Neque in Orientales tantùm Ecclesias ipsos desævisse, sed etiam in Occidentales, Martyria multorum Præsulum Occidentalis Ecclesiæ demonstrant, ut Eusebii Vercellensis Episcopi, Dionysii Mediolanensis, Felicis Romani & aliorum. Quare Liberius summus Rom. Pontifex cùm à Constantio jussus esset deportari in Beream Thraciæ, & misisset illi Imperator in sumptus quingentos aureos, totidemque Eusebia Imperatrix, animo ingenti omnes remisit, ut & alios ab Eusebio allatos cum illa exprobatione: *Tu Ecclesias Orbis terræ expilasti, & iam mihi, ut damnato, & egenti affers eleemosynam? Abi primùm, & Christianus ipse fias.* Athan. ad Solit. Ammianus autem Marcellinus, etsi Gentilis, hæc narrans testimonium supremæ auctoritati summi Pontificis Romani præbet dicens: *Athanasio semper infestus* (Constantius) *licèt sciret impletum* (exilium scilicet & abdicationem Athanasii) *tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis Episcopi, firmari, desiderio tenebatur ardenti.*

Duodecima persecutio sub Constantio Imperatore Ariano.

Martyria multorum Episcoporum Occidentalis Ecclesiæ sub Constantio.

XXXVII.

Verùm Constantius non solùm sæviit in Christianos, quorum aliqui passi sunt, ut suprà audisti, aliqui pulsi sunt, ut S. Athanasius toto Orbe profugus, & D. Hilarius in exilium relegatus; sed etiam in suos crudelitatem exercuit. Gallum enim à se antea dictum Cæsarem ferocientem & insolescentem supra Cæsaris nomen, in Istria interfecit. Erat autem iste Gallus Magni Constantini nepos, de filio ejus Constantino Constantii fratre procreatus, germanus Juliani, qui & Apostata cognominatus est. Hic aliquando apud Constantinopolim literis vacans, Mardonio Pædagogo usus est in Grammatica, & in Rhetorica Libanio, in Logica Eubolio. In his artibus proficiens, Imperii nonnunquam adipiscendi opinionem apud homines faciebat: quod timens Constantius illum Nicomediam misit; ubi magicam artem ediscens, Julianus ab Imperatore jussus est occidi. Sed cùm jam ille fratrem suum interfecisset, ipse metuens ne idem sibi faceret, maximo commento usus, monachum se esse finxit, quò Mundo abrenunciasse judicaretur: ut sic Imperatoris mentem eluderet. Denique Nicomediæ Lector constitutus, Imperatoris furorem mitigavit: sed cùm amicis felicia fore tempora declararet, quò

Constantius relegavit S. Athanasium & D. Hilarium.

Gallus Cæsar à Constantio patrueli suo ob suspicionem occiditur.

Iulianus frater Galli timore Cõstantii, ne occideretur ab ipso, priùs monachus est factus, & Lector Nicomediæ est

est constitutus; deinde fugiens per diversas Provincias, magos & hariolos, ut si Imperator fieri posset, requirebat.

ad Imperium assumeretur, suspectus Imperatori factus diffugit: inventus tamen Eusebiæ Constantii uxoris beneficio vitam obtinuit. Veniens igitur Athenas, magos & hariolos, ut si Imperator fieri posset, ubique requirebat; tandem verò quendam magum invenit, qui dæmones advocans visibili specie ad se adduxit: quibus conspectis Julianus Crucis signaculum fecit, quo territi dæmones effugiunt. Unde signum Crucis admirans atque laudans Julianus virtutem Christi prædicabat. Magus verò illum culpans, sic alloquitur: *Ne putes ò bone vir, quia timuerant signum hoc, sed potiùs abominati recesserunt*: sicque capiens miserum, replevit cum odio Christiani signaculi. In hac igitur arte magica Julianus proficiens, ab Athenis revocatus Cæsar constituitur, acceptaque Constantia sorore Constantii, in Gallias adversum Alemannos eas vastantes, missus est: de quibus triumphans militū consensu Augustus est appellatus: & mox Italiam Illyricumque pervadens, Constantium Parthicis bellis occupatum, Regni parte privavit. Constantius Juliani scelere comperto, dimissa expeditione Parthorum, dum ad civile bellum revertitur, in itinere inter Ciliciam Cappadociamque apud Mopsucrenen juxta Tauri moutis radices æstuantissima febre, sive apoplexia decessit. Ita ille qui discissa pace & unitate Fidei Catholicæ, Christianos adversus Christianos armans, civili (ut ita dicam) bello Ecclesiæ membra dilaceraverat, totum inquietum tempus Imperii sui, molestumque spatium vitæ suæ, bellis civilibus etiam per propinquos & consanguineos excitatis, exercuit, exegit, expendit. Defuncto igitur Constantio Julianus rerum potitus, ut omnibus placeret, primùm Catholicos à Constantio pulsos revocat. Paganis quoque idolis immolandi licentiam tribuit. Deinde Orationes in Senatu recitans, cunctos, qui ante se fuerant Cæsares, laceravit. Scripsit etiam contra Christianos blasphemum librum. Sub hoc in Christianos persecutio maxima facta est, de qua infrà dicemus.

Iulianus à quodam mago decipitur.

Iulianus Cæsar efficitur à Constantio.

Iulianus bellorum successibus elatus, Augusti nomen usurpat.

Cōstantius Parthico bello dimisso contra Iulianum arma fumens moritur.

XXXVIII. Decima tertia persecutio sub Sapore Persarum Rege, Magorum & Judæorum impulsu tempore præfati Constantii Imperatoris Ariani contigit, de qua S. Hieronymus in Chronico, Sozomenus lib. 2. cap. 8. & sequentibus, Nicephorus lib. 14. cap. 19. & sequentibus, & alii. Coronatus est S. Simeon Seleuciæ & Ctesiphontis Episcopus, soror ejus Tarbula virgo, & alii innumeri, quorum splendida certamina à præfatis aliisque Auctoribus descripta Ecclesia quolibet vertente anno è Sacris Tabulis summo cum honore prædicat. Initium ponitur anno 7. Constantii, & Christi 343. perseverasse alii putant biennio, alii verò in longius extendunt.

Persecutio XIII. sub Sapore Persarum Rege.

Martyrium S. Simeonis Seleuciæ & Ctesiphontis Episcopi.

XXXIX. Decimaquarta persecutio fuit sub præfato Juliano Apostata: nam hic ex Christiano Lectore paganus factus Christianos est persecutus. Ita-

Persecutio XIV. sub

Itaque à Juliano excitata est hæc persecutio, specie quidem mollior, sed revera perniciosior; leoninam enim feritatem sub vulpina pelle tegens non tàm vi quàm astu in Ecclesiam sæviebat, quod persecutionis genus describens S. Gregorius Nazianzenus Orat. in funere Cæsaris ajebat: *Furebat aduersum nos infandus Imperator, & cùm in seipsum primùm per Christianæ Fidei repudiationem insanisset, jam aliis quoque intolerabilis erat, nequaquam cæterorum Christi hostiũ more, magno & strenuo animo impietatem profitens, verùm clementiæ obtutu persecutionem celans, atque instar flexuosi illius serpentis, qui ipsius animum obsidebat, omni genere machinarum ad barathrum suũ miseros callidè pertrahens. Ac ne eos honores, qui Martyribus haberi solent, consequeremur* (hos enim Christianis homo egregius invidebat) *prima illius fraus, ac versutia hæc fuit, ut qui Christi causa excruciabantur, non ut Christiani, sed ut facinorosi, supplicio afficerentur. Altera quòd huic rei non tyrannidis, sed persuasionis nomen imponebat, scilicet, ut major eorum infamia, quàm periculum esset, qui sponte ad impietatem proruebant. Cùmque alios pecuniis, alios dignitatibus, alios promissis, alios variis honorum generibus, quos ne regiè quidem, sed perquam serviliter inspectantibus omnibus deferebat; omnes deniq; verborum præstigiis, suoq; exemplo ad se alliciebat.* Nec minus eleganter S. Joannes Chrysostomus Orat. adversus Gentes eã describens ajebat: *Aliunde autem parvulis præliis, ac velitationibus nos petens Julianus; aperto enim marte nos adoriri tùm differebat; primùm atque præcipuè, quòd persuasus planè esset frustrà, se id tentaturum: deinde quòd nullam nobis ansam relinquere volebat, per quam Martyrii corona redimi possemus. Ferre enim haud quaquam poterat: idque illi, quavis calamitate indignius erat, si quis in medium productus pro veritate, vel ad mortem usque tormenta sustineret, usque adeo ex animo inimicitias se nostras suscepisse declarabat; noverat enim, noverat, inquam, apertè futurum, ut si id ipse attentasset, omnes pro Christi nomine suas animas proderent.* Breviter, sed non minùs luculenter Ruffinus lib.2. Hist. Eccl. cap.6. *Julianus callidior cæteris persecutor non vi, neque tormentis, sed præmiis, honoribus, blanditiis, persuasionibus, majorem penè populi partem, quàm si atrociter pulsasset, elisit.*

sub præfato Iuliano Apostata.

Iuliani persecutio qualis.

Iulianus ejurato Baptismo ad Paganismum rediit.

Iuliano ab idolorum cultu cõverso blãda persecutio fuit, illiciens magis quàm impellens ad sacrificandum, in qua multi ex nostris voluntate propria corruerunt.

XXXX.

Julianus igitur, cùm cæteris esset callidior, multò plures blanditiis quàm vi superavit: idcircò sub eo (ut diximus suprà) maxima in Christianos persecutio facta est. Is enim Christianam Religionem arte potiùs quàm potestate insectatus, ut negaretur Fides Christi, & idolorum cultus susciperetur, honoribus magis provocare, quàm tormentis cogere studuit. Aperto tamen præcepit edicto, ne quis Christianus docendorum liberalium studiorum professor esset. Sed tamen

Sub Iuliano maxima in Christianos persecutio facta est.

Iulianus nititur abolere Fidem Christi.

tamen ſicut à majoribus noſtris compertum habemus, omnes ubiq; propemodum præcepti conditiones amplexati, officium quàm Fidem deſerere maluerunt. S. Athanaſius cum auguribus & magis obſiſteret, quò minus ſuis artibus uti poſſet, à Juliano in exilium mittitur. Cùm Daphinus in ſuburbano Antiochiæ ab aruſpicibus interrogaretur, nullum reſponſum acceperunt: unde ſilentii cauſam percontantes ſacerdotes, à dæmonibus hoc reſponſum acceperunt: *Si Babylæ Martyris ſepulcrum auferatur, reſponſum dabitur*. Hoc reſponſo hilarior factus Julianus Chriſtianis imperat, ut inde ſepulcrum auferant: qui juſſa complentes mira exultatione ſepulcrum trahunt, dicentes: *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis*. Quibus verbis ita Julianus excanduit, ut præter inſtitutum multos interfici juſſerit. Præterea Julianus quò Chriſtianis ſtomachum faceret, Judæis templum Hieroſolymitanum reſtituit, cùm dicerent ſe alibi ſacrificare non poſſe. Qui certè tanta arrogantia elati ſunt, ut majore impenſa quàm antea reſtituere Templum conarentur: verùm non ita multò pòſt terræmotu Templum corruens, & multos Judæos ſimul oppreſſit: & illud approbatum eſt, *lapidem ſupra lapidem poni non debere*. Sequenti autem die incendio Divinitùs immiſſo & ferramenta conſumpta ſunt, & eo miraculo multi Judæi perterriti ad Fidem Chriſti venère. Hujus rei Hiſtoriam ita enarrat Marianus Scotus lib. 2. Chronicorum: *Julianus in odium Chriſti, templum Hieroſolymis Judæis reparare permiſit: & ex omnibus Provinciis Judæi collecti cùm nova Templi fundamenta jacerent, ſubitò nocte oborto terræmotu ſaxa ab imo fundamentorum excuſſa, longè latèque ſparſa ſunt: igneuſque globus ab interiore æde Templi egreſſus, plurimos eorum ſuo proſtravit incendio. Quo terrore, reliqui pavefacti Chriſtum confitebantur in via. Et ne hoc caſu crederent factum, ſequenti nocte in veſtimentis cunctorum apparuit Crucis ſignum.* Sic ille.

Iulianus Iudæis licentiam dedit, templum Hieroſolymis reædificandi: qui ex omnibus partibus cōgregati, quod magno labore cōſtruxerant, per terræmotum fūditùs deſtructo, locum & opus deſeruerunt.

XXXXI.

Inſuper Julianus paganos Chriſtianorum officiis aſſuefactos fieri volebat: unde Arſatio Pontifici Galatiæ ſcribens monuit ut Sacerdos ad ſpectacula non procedat, in tabernas non bibat, rebus turpibus non interſit, Xenodochia conſtituat per ſingulas Civitates: ad quod opus juſſit ſingulis annis dari xxx. mille modios frumenti, & xl. mille ſextarios vini. Chriſtianis Julianum aliquando adeuntibus, quòd nimium tributis gravarentur, ita reſponſum eſt: *Veſtrum eſt, ut patienter mala ſuſtineatis: hoc enim eſt præceptum Dei veſtri*. Ei interdum ſacrificanti apud Fortunam Conſtantinopolitani maris, Marinus Epiſcopus Chalcidonenſis, ætate & moribus provectus, oculiſque imbecillis, in faciem reſtitit, eumq; impium, & ſine Deo Apoſtatamque, ut Sozomenus in Tripartita refert

Iulianus paganos Chriſtianorum officiis aſſuefactos fieri volebat.

Iuliano aliquando in Vrbe Regia Fortunæ ſacrificante, Marinus

fert Historia, vocare non metuit. Cui dum Julianus tanquam Philosophicæ patientiæ, nihil aliud quàm cæcitatem improperasset, dicens: *Neque Deus tuus te curare potest*. At Episcopus respondisse fertur: *Ego Deo meo pro cæcitate gratias ago, quia hoc ideò est gestum, ne te videam omni pietate nudatum*. Auferebat hic impius ab Ecclesiis ornamenta, à Virginibus alimenta, à Clericis privilegia, quos inter milites aggregari jussit. Vetuit autem, ne Galilæorum filii (sic enim Christianos nominabat) Poetas, Rhetores, aut Philosophos legerent, quòd diceret, paganos à Christianis proprio gladio vulnerari. Atqui Julianus avunculus hujus Juliani cùm pallia Deo dicata Antiochiæ in unum collegisset, projiciens ea in terram, contumeliosè super ea sedit: moxque verenda ejus & loca fœmoribus circumposita tanta putredine percussa sunt, ut vermes crearent: qua passione usque ad mortem non caruit. Heliopolitæ autem, quia secundum suas antiquas leges Virgines eorum non fornicabantur antequam nuberent, eas in theatro nudas stare jusserunt. Quibus primùm illudentes, postea totunderunt: novissimè per medium sectas porcis edendas tradiderunt. In Ascalone & Gaza pagani dividentes uteros Virginum, & hordeo cumulantes porcis apponebant. In Sebaste Joannis Baptistæ sepulcrum aperuerunt, ossa igni tradiderunt, & pulverem dispersérunt. Sed Dei providentia adfuère quidam ex Hierosolymis monachi, qui aliquas particulas de ossibus illis collegerunt, & ablatas ad patrem suum Philippum pertulerunt. Sanctus Elisius præsente Juliano Cæsare decollatus, quia deos adorare noluit, surrexit, & ambabus manibus per unum milliarii portavit caput suum in montem excelsum: eique rupis albus gremium suum aperiens, concavum apertumque locum dedit super se sedenti. Passus est quoque sub isto Juliano Apostata Sanctus Gallicanus, qui sub Constantino magister militum fuerat, de quo sic ait Martyrologium Romanum die 25. Iunii: *Alexandriæ Sancti Gallicani Martyris viri Consularis, qui triumphalibus insulis sublimatus, & Constantino Augusto charus, à Sanctis Joanne & Paulo ad Fidem Christi conversus est; qua suscepta, cum Sancto Hilarino ad Hostia Tiberina secedens, hospitalitati & infirmorum servitio totum se dedit; cujus rei fama in toto Orbe divulgata, multi undique illuc venientes, videbant virum ex Patricio & Consule lavantem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus solicitè ministrãtem, & cætera pietatis officia exhibentem. Qui postmodum sub Juliano Apostata inde expulsus, Alexandriam perrexit: ubi cùm à Rauciano judice sacrificare cogeretur, & contemneret, percussus gladio, Christi Martyr effectus est*. Romæ passi sunt Priscus Presbyter, Ioannes Presbyter, item Ioannes & Paulus egregii adolescentes, Faustus Ver-

Episcopus Chalcidonensis senectute cæcatus illum publicè appellavit Apostatam.

Marino Iuliani responsum.

Impiæ Iuliani leges.

Impium Heliopolitarum facinus.

Ossa Beati Joannis Baptistæ diripiuntur, & cremantur.

Sanctus Eliseus Martyr.

Sanctus Gallicanus Martyr.

Plures alii Sancti Martyres, qui sub Iuliano passi sunt.

Vercellensis Episcopus, & Eusebius: Aretina Civitate, Donatus Episcopus: Antiochia Theodoricus Presbyter: & alii quàm plures: quorum omnium gloriosa passio quotidiè in Ecclesia recitatur. Impius verò Iulianus ubi multos Martyres interfecit, in Persas exercitum duxit: sed Christianorum sanguinem diis suis voverat, palam persecuturus Ecclesias, si de Persis victoriam potuisset adipisci. Nam & amphitheatrum Hierosolymis extrui jussit, in quo reversus à Persis, Episcopos, monachos, omnesque ejus loci Sanctos, bestiis etiam arte sævioribus objiceret, spectaretque laniandos. At postquam à Ctesiphonte castra movit, à quodam Persa simulato persugo astu ad deserta Persarum deductus, cùm fame & siti Apostata perdidisset exercitum, & inconsultiùs à suorum erraret agminibus, ab obvio fortè hostium Equite conto ilia perfossus, post secundum annum & octavum mensem, ex quo imperare cœperat, ex quo verè Cæsar ordinatus fuerat, anno VII. ætatis XXXII. interiit. Sunt qui (ut infrà patebit) sagitta è Cœlo missa vulneratum dicant. Dum autem moreretur, & cùm misisset manum in vulnere, & sanguinem aspergeret in aerem, ore blasphemo dixit: *Vicisti Galilae, vicisti*. Hoc enim nomine Christum vocare solitus erat. Itaque miser Christum blasphemando vitam finivit. Sic misericors Deus impia consilia impii morte dissolvit. Ita Paulus Orosius lib. 7. Histor. cap. 30. S. Hieron. in Chronico, Marianus Scotus lib. 2. Chronologiæ, & alii. Martinus verò Polonus in sua Chronica alium enarrat fuisse Iuliani interfectorem, quem non lancea, sed fulmine illum peremisse indicat, cùm ait: *Cùm verò contra Persas ad bellum processisset, transiens per Cæsareã Cappadociæ, multa opprobria B. Basilio illius Civitatis Episcopo, & Christianis fecit, & comminationes futuras inferens, B. Basilius orans & jejunans cũ Christianis, vidit B. Virginem præcipientẽ Mercurio militi, dudum antè in quodam Monasterio sepulto, ut se & Filium ejus de Iuliano vindicaret. Quod & factum est. Et blasphemando, expirans clamavit: Vicisti Galilae, vicisti*. Hæc Polonus, qui ea videtur sumpsisse ex S. Ioanne Damasceno: nam iste Sanctus Orat. 1. de Imaginibus agens de S. Basilio hæc refert: *Pius enim vir, ut ipse Helladius ejus discipulus & in Pontificatu successor narrat, Dominæ nostræ adstabat imagini, in qua Mercurii etiam celebris Martyris figura descripta erat; adstabat autem supplicans, ut impius Iulianus Apostata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit, quid esset eventurum. Vidit enim Martyrem ad exiguum tempus obscurum; non multò autem pòst hastam cruentam tenentem*. Hæc ille. Nicephorus verò Callistus lib. 10. Ecclesiasticæ Historiæ capite 35. prodit duos Sanctos fuisse Iuliani interfectores, quorum nomina reddidit, dicens alterum extitisse Mercurium, alterum Artemium Ducem, am-

Iulianus ad bellum Persicum profectus, nostrũ sanguinem diis suis voverat, cogitans se Christianam Religionem deleturum, si de Persis victoriam reportaret: at ibi Dei judicio à quodam hostiũ Equite lancea perfossus, interiit.

Alium narrant alii fuisse cædis Iuliani administrum.

Quisnam secundum eos iste fuerit.

ambos inclytos Martyres. Sed & Theodoretus lib. 3. Hist. cap. 20. de nece Iuliani hæc prodidit: *Et improviso eum vulneratum offendunt rabie contra conditorem suum furentem. Ferunt porro ipsum tyrannum, simul ac plagam acceperat, manum protinus sanguine implevisse, illumque projecisse in aerem, ac dixisse: Vicisti Galilæe: & simul tàm confessum esse victoriam, & blasphemiam (adeo enim à mente abalienatus erat) in Deum impudenter locutum.* Addunt Sozomenus, & Nicephorus Iulianum cùm moribundus jaceret, vidisse ante se Christum Dominum nostrum stantem ac subridentem, atque projecto manu sanguine dixisse: *Saturare Nazarene.* Consona & simillima his, quæ ostēdimus de nece Iuliani, tradit etiam Otho Phrisingēsis lib. 4. Hist. cap. 10. *Iulianus* (inquit) *ex subtilitate ingenii, Philosophos sectare volens, in tantam super se levatur vesaniam, ut juxta Pythagoram, spiritum in se Alexandri requievisse diceret, ipseque ad instar ejus, totum Orbem sibi subjugare pararet. Hujus rei gratia, dum adversus Persas procinctum moveret, à quodam in insidias vocatur. Vbi dum ex sterilitate locorum miles deficeret, ipse telo in incertum misso, post annum, & menses VIII. ex quo imperare cœperat, ex quo verò Cæsar ordinatus fuerat, anno VI. ætatis XXXI. ictus, interiit. Fertur de ipso, quòd cùm iaculum contra se venire videret, ex Divina id animadversione fieri cognoscens, non ad pœnitentiam motus, sed ad obstinationem devolutus, ore blasphemo diceret: Vicisti Galilæe. Hoc enim nomine Christum vocare solitus erat. Sic ergo Dominus Ciuitatem suam ab impiissimo tyranno, qui Christianorum sanguinem diis suis vouerat, ad plenum liberauit. Legitur in vita B. Basilii, ex precibus ejusdem Sancti viri, eò quòd Cæsaream Cappadociæ, cui præsidebat, in reditu funditùs delere decreverat, hoc telum à B. Mercurio Martyre Cœlitùs missum. In argumentumque hujus rei, ferrum, quod juxta ejusdem Martyris tumbam jacebat, cruentum mane dicitur fuisse inventum. Quia verò Porphirius, & Calixtus, & cæteri fautores ejus sapientiam, pietatemque Juliani prædicant, qualia post mortem ejus simulacra magicæ artis gratia instituta, inventa fuerint, breviter aperiam. Ait ergo Socrates in Tripartita Historia hoc modo. Cùmque mortuus fuisset, & impio pius successisset in Imperium, ingredientes in templum, uiderunt mulierem à capillis appensam, extensas habentem manus, cujus uterum aperuerat, ut Persarum victoriam in jecore ejus inspiceret. Hoc scelus in Charris inventum est. Verùm in Antiochia plurimas arcas in palatio ajunt fuisse repertas, humanis capitibus plenas, & innumera in puteis dimersa corpora mortuorum. In qua Ciuitate comperta nece ejus, non solùm in Ecclesiis nostros, sed & in theatris paganos exultantes resultasse, præfatus Scriptor commemorat, & clamasse: Maxime fatue, ubi sunt nunc tua vaticinia? vicit Deus,*

Iulianus Cælesti telo ictus, manū implevit sanguine, illumque jactans in aerem, dixit, *Vicisti Galilæe.*

Quomodo, et ubi percussus fuerit Iulianus.

Deus, & Christus ejus. Hactenus ille.

XLII. Nec diù post præfatum Julianum quievit Ecclesia: nam post eum ad Imperium assumptus fuit Jovinianus, qui septem tantùm menses & dies xx. ipsum tenuit, cui Valentinianus, qui ob Fidem Christi Tribunatu militum à præfato Juliano privatus fuerat, successit. Hic Valentem fratrem suum in Imperii societatem ascivit, atque ei Orientis Imperium dedit. Is tamen, qui primò Catholicus fuerat, amore uxoris tanquam Evæ, suæ illectus, fraudeque Eudoxii Constantinopolitani Episcopi Ariani dogmatis assertoris circumventus, ab eo baptizatus, in sævissimam hæresim declinavit, seu incidit: atque ad infelicitatis suæ cumulum, miserrimo jurejurando ad servandum impietatis dogma se obligavit: sed malignam infectationem diù texit, nec voluntati potestatem admiscuit, quoad viventis fratris authoritate compressus est. Contemplabatur enim de eo quantam vim in ulciscenda Fide Imperator posset exercere, qui tantam constantiam pro retinenda quondam miles habuisset. Valentinianus autem bellum in Sarmatas parans, subita sanguinis eruptione, quod Græcè apoplexis vocatur, Brigitione obiit, anno Imperii XII. Quo mortuo Valens Imperium quatuor annis tenuit, qui solus cùm impiè ageret, & potuisset erubescere, illicò Orthodoxos persequitur, & in exilium mittit. Sub eo anno XII. sui Regni multi Monachorum in Ægypto Christi milites, dum Regi terreno militare recusãt, crudeliter per tribunos & satellites cæsi, Martyrio coronati sunt. Valens enim legem dederat, ut monachi militarent. Nolentes verò, jussit interfici. Deinde cùm jussisset omnes Christianos ab Edessa urbe expelli, quædam muliercula pauper suum filium ferens in brachio, ostio non clauso currebat ad Ecclesiam, quò omnes Christiani convenerant: cùm præfectus mandasset, ut nemo in Ecclesia remaneret, nolens eis parcere: indignatus autem propter illam mulierem, ait ei: *O infelix, quò sic indecenter curris?* At illa, *quò alii*. Tunc ille: *Non audisti* (inquit) *quòd præfectus occisurus est universos, qui ibi reperientur*. Verùm mulier: *Audivi* (inquit) *& ideò festino, ut inveniar inter eos*. Et hunc (ait) puerum cur trahis? *ut* (inquit) *& justè Martyr efficiatur*. Quo audito statim ille recurrens ad Principem, dixit omnes paratos esse ad mortem: impium verò esse tantós in brevi occidere: & sic ab ira revocavit Principem. Itaque Valens Ariana peste infectus Catholicos incredibiliter afflixit, & innumeras molestias Ecclesiis intulit, estque memoratu dignum Trajani ipsius Ducis responsum, cui cùm Valens ob rem cum Gothis malè gestã ignaviam exprobrasset: *Non ego*, inquit, *Imperator victus sum, sed tu ipse prodidisti victoriam, qui contra Deum aciem instruere non desis, & ita ejus auxilium Barbaris concilias; nam abs te oppugnatus*

Valens Imperator ab Eudoxio Episcopo Ariano uxoris suasu seductus & baptizatus, in sævissimam hæresim declinavit.

Persecutio XV. sub præfato Valente Ariano.

Valẽs post mortẽ fratris sui illicò velut effrenata libertatis audacia legẽ dedit, ut Monachi ad militiam cogerentur; nolentes verò fustibus jussit interfici.

Valens apud Edessam Mesopotamiæ urbem sævit in Orthodoxos.

Constantia mulieris Orthodoxæ.

Hæc cum filio suo currens ad Martyrium, Præfectum & Imperatorem stupore facti à crudelitate removit.

Trajani Ducis prudẽns respon sum.

gnatus se illis adjungit. Tùm Valens anno Imperii sui XIV. de Antiochia exire compulsus, sera pœnitentia nostros de exilio revocat. Nam in Thracia prælio commisso adversus Gothos occurrens, ipseque sagitta saucius fugiens, & ob dolorem nimium sæpè equo labens, ad cujusdam villulæ casulam deportatus est; quò per sequentibus Barbaris, & incensa domo, sepultura quoque caruit. Ita S. Hieronymus in Chronico. Et D. Joannes Chrysostomus ad Viduam juniorem ait: *Unà cum his omnibus quos secum habebat, combustus est.* Hæc ipse, eadem omnes alii Auctores, qui de nece Valentis agunt. Sed & S. Isacius monachus Constantinopoli existens ea hora qua Valens in Thracia comburebatur, Prophetico afflatus spiritu, dixit apud Nicephorum lib. 21. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 50. *Nunc Valens igne torretur, & nares profluentem ab eo ingratum odorem sentiunt.* Sic ille.

Valens à Gothis occiso exercitu fugiens in domo quadam vivus crematur.

XLIII.

Perfecutio XVI. sub Isdigerde ac Barane Persarum Regibus.

Sextadecima persecutio in Perside sub Isdigerde ac Barane Persarum Regibus tempore Theodosii Junioris viguit, in qua Diaconus ille Beniamin nobilissimum Martyrium peregit, & complures alii benedictas animas pro Christo fudère. De ista memoranda perscribunt Socrates lib. 7. cap. 18. Theodoretus lib. 5. cap. 38. Nicephorus lib. 14. cap. 19. & sequen. & alii. Cœpit autem anno præfati Theodosii Iunioris 13. & sævijt per annos triginta ferè. Ejus meminit S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 52.

XLIV.

Persecutio XVII. sub Vvandalis in Aphrica, quam tribus voluminibus, qui interfuit, & cius pars magna fuit, S. Victor Vticensis Episcopus complexus est.

Decima septima fuit persecutio Vuandalica seu Vvandalorum in Aphrica, in qua adversus Episcopos, Ecclesias, ac Orthodoxos dira & extrema sunt designata supplicia à Regibus Vuãdalicis, & innumerabiles Martyres effecti: eam tribus integris voluminibus qui interfuit, & cujus pars magna extitit S. Victor Uticensis Episcopus plenissimè complexus est: de eadem agunt quoque S. Gregorius Turonensis lib. 2. Histor. Francor. cap. 3. S. Theophanes in Histor. Miscella, & alii; qui omnes afferunt eam persecutionem gravissimam fuisse sub quinque Vuandalorum Regibus, scilicet Gunderico, Genserico, Hunerico, Thrasamundo & Gilimer. Nam Stilico Vuandalus, militiæ dux strenuus sub Theodosio seniore, ab eo moriente relictus est tutor filiorum ejus, & totius Imperii, quocirca ipse duas filias suas Honorio successivè in uxores dedit. Tandem volens Imperium ab Honorio ad se suumque filium Eucherium transferre, occultè contra Honorium concitavit Vvandalos: sed proditione ejus detecta, perduellis ipse cum filio ab Honorio capite mulctatus est. Post Stiliconis mortem Vvandali sibi Regem crearunt Corsiconem, qui omnia quæ inter Alpes & Pyrenæos sunt vastavit. Vvandali à Gothis facti sunt Ariani. Corsico obsidens Arelatum à Præfecto Vrbis capitur & occiditur. Huic succedit Fredebaldus II. Vvandalorum Rex, quo mor-

Series Vuandalicæ persecutionis, sub qua Martyres innumerabiles effecti sunt.

Vuandali à Gothis facti sunt Ariani.

mortuo succedit III. Rex Gundericus, primus in Hispania Vvandalorum Rex: huic pariter succedit frater ejus Gensericus, quartus eorum Rex, qui Aphricam vastavit, & Hipponem, in eaque Sanctum Augustinum urbis Episcopum obsedit: deinde traiiciens in Italiam Romam cœpit & diripuit, mox & Capuam & Nolam, in qua Episcopus erat S. Paulinus, qui postquam sua bona in redimendis captivis consumpserat, sese Vuandalis pro recuperando viduæ filio in servitutem dedit. Prædicatus fuit Gensericus omnium Regum felicissimus & gloriossimus, quòd duarum totius Orbis potentissimarum & principum urbium, Romæ & Carthaginis, fuerit expugnator. Genserico succedit filius eius Hunericus seu Honoricus, quintus Vvandalorum Rex, qui trecentos Episcopos, Diaconos, Presbyteros, Laicos verò 4940. in exilium misit, multosque Martyrio affecit: Trachenses cives, quòd Arianum Episcopum pati nollent, malè mulctavit, eisque linguas & dexteras manus amputavit: qui tamen per miraculum Deo dante, ita locuti sunt ac si linguas habuissent, quorum unus dũ peccat & prolabitur in libidinem, donũ hoc perdidit teste S. Gregorio lib. 3. Dialog. cap. 32. Sed audiat hic Lector quæ de hac Honorici persecutione narrat F. Joã. Laziardus Cælestinus lib. 3. Epitomatũ universalis Historiæ cap. 15. his verbis: *Tempore Zenonis, qui Romani Imperii Monarchiam assumpsit anno Domini 476. Gensericus Rex Vvandalorum moritur, cui successit Honoricus filius eius, qui infinita mala intulit in Aphrica Christianis. Nec legitur aliqua persecutio particularis ita crudelis, nec ita aspera, sicut fuit Honorici in Aphrica. Hic siquidem in primordio Regni, ut communiter habet subtilitas Barbarorũ, cæpit mitiùs & modestiùs agere, & maximè circa Religionẽ Fidei nostræ, & ut se religiosũ ostenderet sollicitus requirebat hæreticos Manichæos, ex quibus multos incendit. Arianos etiam destruebat ipse clam pessimus Arianus: sed nequitiam suam diù celare non potuit. Nam publicè & privatim veros Catholicos persequi cæpit: & ut totum corpus Aphricanæ Ecclesiæ perderet, mandavit Catholicorum & suorum Arianorum apud Carthaginem Concilium congregari, in quo Rex impius qui nectabat dolos interesse noluit: sed loco eius quos sciebat voluntarios & peritos pro sui erroris sustentatione illo in Concilio præfecit. Venitur ad disputationis conflictum, & Catholici vociferationis tumultum vitare volentes eligunt ex se decem, qui pro omnibus responderent. Ariani verò eligunt quendam Gerilem nomine, cui thronus superbissimus in loco excelso à satellitibus Regis collocatur. Dixerunt itaq; Catholici, Gerille propone quod vis: qui respondit cum fastu nescio Latinè. Catholici dixerunt, semper Latinè fuisse locutum manifestè cognovimus: unde modò te excusare non debes; maximè quia huius rei incendium suscitasti: si autem nostram Fidem desiderasti*

S. Paulinus Nolanæ urbis Episcopus se pro recuperando viduæ filio captivum Vuandalis dedit.

Persecutio Fidelium in Aphrica ab Hunerico Rege Vvandalorũ.

Honoricus Fideles persequitur.

Gerilis Arianus.

rasti agnoscere hoc est veritas quam tenemus. Regali quoque Imperio de Fide Catholica quam servamus iubemur reddere rationem: ideò Fidem quam prædicamus & credimus secundum mediocritatem nostrarum virium intimamus. Primum igitur de unitate substantiæ Patris & Filii, quod Græci Homousium dicunt exponendum nobis esse cognoscite, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ita in Trinitate Deitatis profitemur, ut & Patrem in sua proprietate subsistere, & Filium nihilominus in propria extare persona, atque Spiritum Sanctum personæ suæ proprietatem retinere fideli confessione fateamur; non enim eundem asserentes Patrem quem Filium, neque Filium confitentes quia Pater sit aut Spiritus Sanctus: neque Spiritum Sanctum accipimus, ut aut Pater aut Filius, sed ingenitum Patrem & de Patre genitum Filium, & de Patre & Filio procedentem Spiritum Sanctum unius credimus esse substantiæ vel essentiæ, quia ingeniti Patris & geniti Filii procedentis Spiritus Sancti una est Diuinitas, tres verò personarum proprietates. Et contra hanc Catholicam & Apostolicam Fidem ut hæresis execrata nouitatem quandam induxerant: asserentes Filium non de Patris substantia genitum, sed ex nullis stantibus, id est, ex nihilo eum substitisse. Ad hanc impietatis persectionem quæ contra Fidem emerserat refellendam, & penitùs abolendam, Homosion sermo Græcus positus est, quod interpretatur unius substantiæ vel essentiæ significans Filium non ex nullis stantibus, nec alia substantia, sed de Patre natum esse. Qui ergo putat Homosion auferendum, ex nihilo vult asserere Filium extitisse: sed si ex nihilo non est, ex Patre sine dubio est: & rectè Homosion unius cum Patre substantiæ Filius; ex Patre autem esse, id est, unius cum Patre substantiæ, his testimoniis approbatur, Apostolo dicente, qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ. Item quoque in Evangelio dicitur, Ego in Patre, & Pater in me: & ego & Pater unum sumus: quod non ad unitatem tantummodo voluntatis, sed ad unam refertur substantiam, quia non dicit ego & Pater unum volumus: sed unum sumus. Verùm quia duas in Filio profitemur esse naturas, id est, Deum verum & hominem: quicquid excellentis sublimitatis potentiæ de Deo referunt Scripturæ ad memorandam ejus Diuinitatem tribuendam sentimus: & quicquid infra hominem Cælestem potentiæ de eodem humilius narrant, non verbo Dei, *sed hominum reputamus assumpto. Secundum Diuinitatem ergo hoc est quod superius diximus, ubi ait: Ego & Pater unum sumus: & qui me videt, videt & Patrem, & omnia quæcunque Pater facit, eadem & Filius facit. Similiter & cætera ea quæ superius continentur. Illa verò, quæ de ipso secundum hominem referuntur, ista sunt. Pater major me est: & non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris. Et Pater si fieri potest transeat*

Christianorum in Arianos disputatio pulcherrima & fidelis de unitate substantiæ Patris et Filii, quod Græci Homousiō appellant, ac de processione Spiritus Sancti ab vtroque.

Horum trium una est Diuinitas, tres verò personarum proprietates.

ſcat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, &c. Eſt quoque verus Filius Dei, quia Deus verus natus de Deo vero, ſicut dicit Ioannes: Hic eſt verus Deus & vita æterna: & ipſe Dominus ait, Ego ſum via, veritas & vita. Cæterum de Spiritu Sancto dicit Apoſtolus, Diuiſiones gratiarum ſunt; idem autem ſpiritus, &c. Et ſequitur: Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult: unde non dubiè claret Spiritum Sanctum & Deũ eſſe, & ſuæ voluntatis actorem, qui cuncta operari & ſecundum propriæ voluntatis arbitrium Diuinæ diſpenſationis dona largiri apertiſſimè demonſtratur, quia ubi uoluntaria gratiarum diſtributio prędicatur, non poteſt uideri conditio ſeruitutis. Habes quoque creatorem Spiritum Sanctum in libro Iob: Spiritus (inquit) Dominus *eſt, qui fecit me, & Spiritus omnipotentis, qui docet me. Et David dicit, Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. Vna itaque eſt Religio, unaque glorificatio Trinitatis, ut audiamus Apoſtolum, ſicut audierunt Corinthii, Gratia* Domini *noſtri Ieſu Chriſti, & charitas* Dei, *& communicatio Sancti Spiritus, &c. Hæc eſt Fides noſtra Euangelicis & Apoſtolicis traditionibus, & omnium quæ in Mundo ſunt Catholicarum Eccleſiarum ſocietate fundata, in qua nos per gratiam* Dei *omnipotentis permanere uſque in finem vitæ ejus confidimus & ſperamus. Cumque libellus Catholicorum prædicta continens in Concilio legeretur oblatus. Ariani veritatis lumen ſufferre nequaquam cæcis oculis potuerunt: immo inſanientes vocibus grauiterque ferentes, quòd noſtri ſe Catholicos dixerant mentientes Regi ſuggerunt, quòd qui Catholicos ſe dicebant ſtrepitum fecerant audientiam fugientes: qui eadem hora accenſus & credens mendacio, feſtinauit facere quod volebat. Jamque conſcriptum decretum habens, & occultè cum eodem decreto per diuerſas Prouincias ſuos homines dirigens: Epiſcopis adhuc charitatiuè poſitis una die uniuerſæ Aphricæ Catholicorum Eccleſias clauſit, uniuerſamque ſubſtantiam Epiſcoporum Catholicorum & Eccleſiarum ſuis Arianis Epiſcopis condonauit, neſcienſque quid loqueretur, neque de quibus affirmabat pro ſe legem, quam contra eos & omnes hæreticos pro honore Catholicæ Eccleſiæ Catholici Imperatores pro Catholicis dederant, eaque contra Catholicos non erubeſcebat proponere, quæ pro Catholicis fuerant ordinata: addens multa de ſuo, ſicut placuit tyrannicæ poteſtati. Poſt dicta feralia jubet cunctos Catholicos, qui Carthagini fuerant congregati: quorum jam Eccleſias, domos, & ſubſtantiam (ut dictum eſt) cœperat in hoſpitiis in quibus erant ſpoliari, & ſpoliatos extra muros Ciuitatis expelli: non animal, non ceruus, non mutanda quæ ferebant veſtimenta dimittuntur. Addidit adhuc ut nullus quempiam ipſorum hoſpitio reciperet, aut eis victualia miniſtraret: qui autem miſerationis cauſa contrà facere attentaſſet,*

[Margin: Adhuc hic diſputatur.]

[Margin: Perſecutio in Chriſtianos fideles.]

[Margin: Catholici ab Honorico ſpoliantur.]

set, cum uniuersa domo irremediabiliter cremaretur. Sapienter tamen sic projecti Episcopi tunc egerunt: nam licèt mendicantes, tamen inde minimè recesserunt. Si enim recessissent & violenter reuocati fuissent, mentirentur hæretici ipsos disputationis fugisse conflictum. Præterea non habebant quò se reciperent recedentes, ipsorum Ecclesiis, domibus, & uniuersis substantiis (ut præmittitur) occupatis: dum ergo gementes in circuitu murorum sub aere nudo jacerent, factum est ut Rex causa solatii Ciuitatem exiret, cui uniuersi occurrunt dicentes, cur taliter affligimur? pro quibus malis commissis ita patimur? Si ad disputationem sumus congregati quare spoliamur? quare trãsducimur? quare differimur? & sine Ecclesiis & domibus nostris extra Ciuitatem fame & nuditate laborantes mediis stercoribus volutamur. Quos Rex impius toruis oculis aspiciens priusquam suggestionem eorum audisset, jussit satellitibus qui secum erant super eos equos dimitti, ut tali violentia possent non solùm conteri, sed etiam enecari: ex quibus multi contriti sunt, & maximè senes, qui propter naturæ debilitatem citiùs defecerunt. Et ut breuiter asperitatem illius persecutionis enarrem omnes illos Episcopos dolosè ad Concilium vocatos, Rex crudelissimus exiliauit, & variis suppliciis afflixit. Et de aliis Catholicis ferè quinque millia exilio condemnauit, & exiliatos variis fecit interire suppliciis. Ita Laziardus. Verùm Hunericus postquam octo annis regnasset, vermibus consumptus interiit. Hunerico succedit Guntabundus; huic deinde Thrasamundus frater ejus, qui regnavit annos 26. Hic (ut ait Hermannus Contractus in Chronico) Catholicas Ecclesias clausit, & ccxx. Episcopos exilio in Sardiniam misit, quos Symmachus Papa Sanctissimus inibi aluit. Thrasamundo successit filius ejus Hilpericus, quem genuit ex filia Valentiniani Imp. qui proinde à matre Orthodoxam Fidem cum lacte suxit. Quocirca Gilimer Hilperici frater consobrinus, Regni avidus, Hilpericum proditionis accusavit, quòd cum Iustiniano occultè colluderet. Hilpericus ergo à Vvandalis Regno privatus custodiæ traditus est, eique suffectus Gilimer, qui quinque annos regnavit. Iustinianus autem Imperator volens restituere Hilperico Regnum, bellum movit Gilimero mittens contra eum Belisarium, à quo Gilimer superatus & captus, argentea catena vinctus Constantinopolim in triumphum ductus est ad Iustinianum Imperatorem anno Domini 536. Ubi visa Iustiniani magnificentia, meritò Gilimer exclamavit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ego heri fui Rex, nunc captiuus & catenatus quasi mancipium.* Tunc ergo desiit Regnum Vvandalorum, anno scilicet 95. ab invasa & occupata ab iis Aphrica, uti futurum prædixerat S. Cyprianus, teste Evagrio lib. 4. cap. 16.

Episcoporum fidelium exulantium conquæstio & comploratio.

Hic equis militum conteruntur & martyrizantur.

Hic proscribuntur.

Honorici obitus.

Gilimer ultimus Wandalorum in Aphrica Rex à Belisario superatus & captus, argentea catena vinctus Constãtinopolim in triumphum ductus est ad Iustinianum Imperatorem.

De-

XLV.

Persecutio XVIII sub plurimis Imperatoribus Orientalibus.

Decima octava persecutio multas persecutiones Imperatorum Orientalium contra Orthodoxos complectitur, in primis perfidi Zenonis Eutychianæ hæresis patroni, quem Divina ultio merito supplicio interemit: nam hæc de illo Cedrenus in Annalibus narrat: *Fertur fama Zenoni à quadam Diuina potestate fuisse caput abscissum, ut ea res conspectum hominum fugeret, solaque cute caput cum cervice coniungeretur.* Hæc ille. Cæterum Evagrius lib.3.cap.29. & alii fermè omnes morbo comitiali extinctum produnt, ac vivum ab uxore fuisse sepultum, de quo hæc idem Cedrenus refert: *Satellites porro, qui ad sepulcrum in quo repositus fuit, custodiendum erant collocati, retulerunt se per duas noctes lamentabilem vocem audivisse ex sepulcro elatam: Miseremini & aperite mihi: cùm illi dicerent, alium iam imperare: Nihil, inquit, curo: in monasterium me abducite. Sed cùm non aperiretur, ferunt aliquanto pòst monumentum fuisse reclusum, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos mandiderat, & caligas quas gestabat.* Hæc ipse. Secundò Anastasii Eutychiani hæretici, qui cœpit imperare anno Domini 493. Hic Imperator ab Achatio Constantinopolitano Episcopo corruptus Arianus est effectus Deo & hominibus odibilis, malè vixit & malè periit. Hæresim istius Imperatoris Hormisda Papa per singulas Civitates Imperii Constantinopolitani mandavit publicari, ad commovendum populum contra eum. Imperator verò Papæ scripsit: *Nos qui sumus Imperator, iubere uolumus; non autem nobis iuberi.* Et parum post dictam scripturam iusto Dei iudicio fulmine ictus interiit, de quo ita narrat Zonaras in Annalibus: *Aliud uidisse somnium memoratur. Virum terribilem, qui librum manu gestans diceret: Ecce ob peruersitatem Fidei tuæ annos quatuordecim uitæ tuæ deleo*: sed subdit Zonaras: *Et quia fatale sibi esse ex oraculo didicerat, ut fulmine interiret, Tholotum ædificium construxit, in eoque degit, sed frustrà.* Hæc eadem accipe etiã ex Cedreno in Annalib. qui ait: *Anastasius cum oraculo edoctus esset, igne sibi pereundum fore, cisternã in Palatio, quæ Frigida dicitur, multis meatibus aperuit, quorum cuique cadus appositus esset, conatus hoc pacto oraculum irritum reddere. Verùm id absre fuit. Fulmine enim Diuinitùs est ictus.* Quod qualiter contigerit Zonaras prodit his verbis: *Cùm aliquando tonitrua horrendum in modum resonarent, & fulgura multa eliderentur, atque ipse perterritus è cœnaculo in cœnaculum descenderet, & alios atque alios thalamos subiret: in quodam Regio cubiculo mortuus inuentus est.* Tertiò Iustiniani, Constantii, Leonis Isaurici Iconomachi, qui à quodam apostata Fidei deceptus omnes imagines Christi, & Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum deponi fecit, & igne comburi, ac multos impietati suæ resistentes decollari iussit. Inter cæteres

Zeno Imperator Eutychianæ hæresis patronus.

Horrendus eius interitus.

Anastasius Imperator Eutychianus hæreticus ab Achatio corruptus Arianus hæreticus est effectus.

Violentus Anastasii Imperatoris obitus.

Leo Imperator Iconoclasta omnes Sanctorum imagines deponi & comburiq; iussit.

cæteros (ut ait Otho Phrisingensis lib.5.Hist.cap.18.) passa fuit Cõstātinopoli virgo Christi Theodota seu Theodosia: ea namq; cùm ex facultatibus suis tres Sanctas imagines fieri procurasset, unam Christi Domini, Dei Genitricis alterā, tertiā verò S. Anastasiæ, reliquis opibus erogatis in pauperes; unà cum aliis Religiosis fœminis, jussu Leonis Imperatoris gladio percussa, Martyrium consummavit, *cujus* (subdit ibi Otho) *usque hodie maxima in urbe Regia manet memoria, & veneratio. In Ecclesia enim Sanctimonialium integro corpore humata seruatur, omnibusque aduenientibus tanquam Cælestis medica, inter manus virginum deportata adhibetur, ac tanquam pro bono onere quoscunque culcando grauem se præbuerit, habetur. Quod & nuper dum Hierosolymitana expeditio sub Conrado Romanorum, Ludouico Francorum Regibus ageretur, nos cum multis aliis experti fuimus.* Hæc Otho. Sed impiū Leonē de suo errore Gregorius III. valde redarguit, & cùm esset incorrigibilis ipsum excommunicavit, Romámque & totam Italiam & Hispaniam ab illius dominio & potestate deficere fecit, eique vectigalia interdixit. Et sic tyrannus infeliciter vitam finiit. Huic impio successit in Imperium filius ejus Constantinus Copronymus, id est, stercorarius. Is enim tantoperè sordibus delectabatur, ut animalium brutorum stercoribus se illineret, & suos idem facere juberet, inquit Theostērictus in Niceta. Hic per omnia patrem suum malitia superavit: nam fuit pessimus & vilis hæreticus, hostis Deiparæ nostræ, seu blasphemus Sanctissimæ Virginis & Dei Genitricis Mariæ osor, & apostata Catholicæ Fidei: eò quòd sacrificia dæmonibus immolavit. Hic Sanctarum legum persecutor toto tempore vitæ suæ maleficiis & magicis artibus operam dedit, & turpibus luxuriis & dissolutionibus deserviens cum summa diligentia iniquitatibus deservivit. Hic dum baptizaretur à Patriarcha Geranno in baptismo cantavit, magnum dans præsagium, quòd Ecclesiæ Dei futurus esset in scandalum. Hic Synodum cccxxx. Episcoporum Constantinopolim congregavit, in qua deponendis Christi & Sanctorum imaginibus terribile promulgavit edictum, & ex tunc contra Catholicos cœpit tyrannidem exercere, & licèt monitione præmissa ut se à sua nequitia coherceret, ipse ut alter Pharao induratus in malo permansit: ob quod mors pestilens incipiens à Sicilia & Calabria in Regiam urbem, & ita eam devastavit, ut in ea infinitæ domus integræ clauderentur, nec erat qui eas inhabitaret: ferebantur enim in plaustris ad sepeliendum cadavera mortuorum. Mortuus est etiam miserabili viscerum dolore Anastasius Patriarcha falsus, qui Constantino ob cupiditatem rei gerendæ in omnibus favebat. Verùm Constantinus miserabiliter in Chelandio mortuus est, clamans & dicens: *Viuens adhuc*

Sub eo Constantinopoli passa est S. Theodosia Virgo.

Causa ejus Martyrii.

Leo à Gregorio III excommunicatur.

Leonis obitus.

Constantini Copronymi immūditia.

Cōstantinus hostis Deiparæ.

Constantinus apostata Catholicæ Fidei.

Constantinus dæmonibus immolat.

Constantinus dū baptizatur prodigiose cantat.

Horribilis Constantini obitus.

adhuc igni sum inextinguibili traditus; Sacrosanctamque Deiparam nominari, & laudari exposcens, cùm sine fœdere ejus fuerit inimicus. Ita S. Theophanes. Et Cedrenus in Græcor. Annal. inquit: *Animæ & corporis mortem obiit vociferans, atque dicens se inextinguibili igni traditum propter Mariam, jubens eā exinde honorari, ac celebrari verè Deiparam.* Hæc ille. Quintò denique Leonis Armeni, Theophili & aliorum Imperatorum Iconomachorum, sub quibus multi Martyres coronati sunt. Quas persecutiones si omnes accuratè enumerare vellemus, non parvum esset condendum volumen. Sed his pleni sunt tàm Græcorum quàm Latinorum Annales, unde affatim haurire poterunt, qui hæc pleniùs nosse cupiunt.

Theophilus Balbi successor persecutionem in Catholicos continuat, ob cultum Sacrarum imaginum.

XLVI.

Perfecutio XIX sub Cosdroe Persarum Rege, à quo Hierusalem fuit incēdio tradita, S. Crux in Persidem asportata, & per Judæorum manus, qui ad hoc Christianos emebant, plurimi interfecti.

Decima nona persecutio, quæ fuit paulò ante exortum Mahometem, extitit Cosdrois Secundi Persarum Imperatoris, qui in Ægypto & Aphrica à se capta innumeras Christianorum cædes fecit, de qua inter alia hæc S. Theophanes in Histor. Miscella habet: *Anno quinto Imperii Heraclii cœperunt Persæ Jordanem bello, & Palæstinam, & Sanctam ciuitatem Hierusalem, & multos in ea per Judæorum manus interfecerunt, id est (ut quidam ajunt) millia nonaginta. Isti enim ementes Christianos, prout unusquisque habere poterat, occidebant eos. Zachariam verò Hierosolymitanum Præsulem comprehensum, & pretiosa, & viuifica ligna Sanctæ Crucis cum multa præda abduxerunt in Persidem.* Hæc ipse. Quin & Antiochus Monachus, qui illo vivebat tempore, & oculis lachrymarum imbre manantibus cuncta intuebatur, hæc lamentatur homil. 107. tom. 2. Biblioth. SS. Patrum: *Debemus lachrymas profundere amaritudinis plenas. Primum quidem, quòd Ciuitas Sancta incendio conflagrauerit. Crux quoque Sancta Christi Dei nostri in Persidem transmigrarit. In eorum item gratiam, qui tot attriti bellis perierunt, &c.* Hæc ille. At de sæva & horrenda persecutione Cosdrois, qui plura cupit scire, adeat Theophanem, Cedrenum, Zonaram, & alios Recentiores.

XLVII.

Persecutio XX. Mahometanica seu Saracenica, quæ Christiano nomini multas Provincias detraxit, ut notum est.

Vigesima persecutio fuit Mahometana seu Saracenica, quæ post erumpentem ex orco anno Domini 623. impiam à Mahomete conflatam sectam, ad annum nostræ Salutis 1300. vehementissimè infestavit Christianum nomen, & Religionem; detraxit Christianis multas Provincias cum plurimis Urbibus, ut Arabias, Syriam, Mesopotamiam, Babyloniam, Persiam, Thraciam, Ciliciam, Aphricam, Hispanias, & c. trucidatis & afflictis innumeris Christianis, additis infinitis suppliciis, ac ludibriis illatis in Divinam Religionem. Ex quibus pauca referamus: S. Theophanes in Miscella est Auctor, Anno nono Leonis Isaurici Haumar Principem Saracenorum in Oriente, adversus Christianos promulgasse edictum, quo discederent

à Sa-

à Sacra Religione, magnis propositis præmiis obtemperantibus, renuentibus verò ut mors illicò inferretur, innumerosque ea de causa Martyrio coronatos. Rursus idem Scriptor agens de primo anno Copronymi, sic ait: *Euelid Rex Arabum in Oriente interfecit Christianos captiuos in omni Ciuitate. Inter quos Eutychius filius Mariani Patritii Martyr uerus ostēsus est in Charris Mesopotamię. Vbi & reliquiæ ipsius sanctitates per Dei gratiam operantur. Et multi alii per sanguinem consummati sunt*. Hæc ipse. Qui insuper anno Leonis filii Copronymi quinto refert, Madi Saracenorum Principem dirissimam de Christianis in Syria exercuisse carnificinam, ac omnes fermè Christianorum Ecclesias solo æquasse: ut intermittamus Saracenicas in Hispania, adversus Christianos persecutiones omnibus pervagatas, ac Sanctissimi Eulogii electi Archiepiscopi Toletani stylo, cruore Martyrii tincto exaratas: negari non potest, nullam immaniorem bestiam hactenus passam Ecclesiam, ac ipsam impurissimi Mahometis teterrimam sectam, quæ cæpit prefato anno Domini 623. qui fuit XII. Imperii Heraclii Imperatoris, uti ostendimus 1. Par. nostri Divini Theatri Tract. 4. fol. 61. num. 16.

Evelid Rex Arabum, teste S. Theophane, in Oriēte Christianos captivos in omni Civitate interfecit, ex qua & aliis Auctor cōcludit, nullam immaniorē bestiam hactenus Ecclesiam passā, ac ipsam impurissimi Mahometis teterrimā sectam, cui suffragantur, qui asserunt Mahometē fuisse Antichristum.

XLVIII.

Persecutio XXI. sub Turcarum Regibus, quorū Imperium anno Domini 1300. cœptum, & immani potentia subnixum Christianis plurima damna intulit.

Vigesima prima persecutio Turcarū memoratur, quæ post conditum anno Domini 1300. tremendum istud & formidabile Imperium immani subnixum potentia, quod totum ferme Orientem occupat, magnamque Libyæ partem cum Ægypto, jam per quadringentos & amplius annos ad hanc usque diem Christianam ditionem infestissimè vastat: ademptum nobis geminum Imperium, Constantinopolitanum & Trapezuntium: imminet perpetuò nostris capitibus, & nisi Dei invigilans cura Ecclesiam suam conservet, cruenta hæc & horribilis bestia eam jamjam hiantibus faucibus diglutiat. De hac quid dicamus, nihil amplius habemus, nisi quod & cuncti Annales, & omnes hominum memoriæ ingenti cōgerie malorum, quæ à Turcarum gente in Christianam Religionem sunt illata, refertissimi inveniantur. Et utinam nos ea omnia experiri non cogeremur.

XLIX.

Persecutio XXII. sub Lutheranis & Calvinistis.

Vigesima secunda est persecutio Lutheranorum, Calvinistarum, & aliorum nostri temporis hæreticorum, qui in Occidente & Septemtrione non in vivos tantùm, sed etiam in mortuos miræ crudelitatis argumenta ediderunt: nec in terricolas solùm, sed etiam contra Cælites, ut novi gigantes, non terræ, sed Herebi filii, bellum moverunt, corpora Sanctorum exhumata & combusta, venerandæ imagines proculcatæ, confractæ, discerptæ, aut etiam concrematæ: Sacra vasa, aut conflata, aut inquinata: Ecclesiæ dirutæ, Altaria eversa, Sacramenta irrita, Catholicorum libri in medio foro rogo traditi, Sacræ res pessundatæ, Fidei cuncta Sacra dogmata abnegata, rejecta. Totus status œconomiæ Christianorum ordinum per-

Martinus Lutherus Germanus hæresiarcha, & pater hæresiarcharum.

turbatus, inversus, tota facies Ecclesiæ deformata, seu potiùs extincta, Orthodoxi omnes ubique pessimè accepti, & Martyrio ubi viribus, aut dominatione prævalent, ut in Anglia, affecti fuerunt. Dicti sunt autē Lutherani à Martino Luthero Germano hæresiarcha, & patre hæresiarcharum, qui anno Domini 1517. perturbare cœpit Ecclesiam, & perturbavit usque ad annum 1546. in quo miserè obiit: nam morte repentina nefarius iste homo ab Eremitano Ordine, Catholica Fide atque Apostolica Ecclesia apostata iniquus, qui tanquam novus Lucifer traxit secum in perditionem tertiam partem Stellarum, id est, fideles innumeros in æternum interitum, sublatus est è medio die 18. Februarii, à diabolo (ut fertur) strangulatus. Cùm enim vesperi opiparam cœnam sumpsisset lætus & sanus, & facetiis suis omnes ad risum provocasset, eadem nocte cùm quiesceret cum Catharina de Bora sive Borna moniali concubina sua, strangulatus est (ut audisti) à diabolo, & sequenti mane inventus est mortuus. Sunt qui eum se suffocasse dicant. Acceptum namque esse ab intimo, fidelique ejus cubiculi famulo noctu sibi impium excucullatum suis ipsum manibus sathanico adactum impulsu laqueo gulam fregisse, tradunt Bozius de signis Ecclesiæ, Genebrard. & alii, corvorumque turbam ejus funus comitatam; quin & dæmones ab energumenis ex Geel in Saxoniam ad ejus funus convolasse, narrat Tilman. Bredembach. lib. 7. Sacr. collat. cap. 39.

Funestus Lutheri interitus.

Lutherus à diabolo strāgulatus est.

Sunt qui scribant eum sibi gulam fregisse.

Lutheri errores.

Docuit errores plurimos: sed præcipui sunt, hominem sola Fide justificari: liberum arbitrium periisse per peccatum. Papam esse Antichristum: in Eucharistia remanere substantiam panis cum corpore Christi. Indulgentias nihil valere: non esse Purgatorium: per Sacramenta non dari gratiam, peccata cùm remittuntur, non deleri, sed non imputari, & alia id genus multa. Vide Joannem Cochlæum in libro de actis, & scriptis Martini Lutheri. At Calvinistæ dicti sunt à Joanne Calvino Noviodunensi Zuinglii discipulo, qui contempto magistro propriam familiam instituit anno Domini 1538.

Joannes Calvinus hæresiarcha.

Calvini errores.

censuit motus rationem prævenientes esse peccaminosos: negavit Christum ad inferos descendisse: censuit animas Sanctorum non videre Deum ante diem Judicii: negavit infantibus fidelium necessarium esse baptismum: obcæcationem & obdurationem hominis Deo adscripsit: negavit esse meritum pii operis: negavit Ecclesiam esse firmamentum veritatis, & ait eam errare posse: Manichæos impietate superavit & blasphemiis, dum Deum auctorem fecit peccati: docuit in Ecclesia nullos esse malos: negavit præcepta Dei servari posse: docuit, filios baptizatorum nasci Sanctos: gratiam semel habitam non posse amitti: omnes veros fideles esse prædestinatos: hæc, & his similia habentur in libris quatuor institutionum. Hunc scribit Beza

phthisi

hphtisi,colica,asthmate,calculo, podagra, hæmorrhoidibus vexatum. Accessit morbus pedicularis, qui totum corpus pervasit:ac fœtidissimum & purulentissimum ulcus circa verenda: à vermibus ergo corrosus expiravit instar Herodis, Hunerici, Maximiani & Antiochi Epiphanis, acerrimorum persecutorum Christi & Ecclesiæ. Ita Hieron. Bolsecus Doctor medicus in vita Calvini cap. 22. Itaque Calvinus obiit morbo pediculari, & blasphemans,ac desperans, anno Domini 1567. teste Surio in Historia ad hunc annum: sed inter blasphemas voces,quibus diei quem unquam vel studiis vel scriptionibus impendit, Deoque vero maledixit ac dæmones invocavit, animam orcipotenti commisit.

Eius turpissima mors.

L.

Vigesimus tertius ac ultimus locus non immeritò Japonicæ persecutioni assignari potest, cujus si immanem sævitiam,& tormentorum exquisita inventa: & inde Martyrum invictum animi robur, & multitudinem consideres, cum præfata sævissima Diocletiani & Maximiani persecutione videtur conferenda.

Persecutio XXIII. sub Iaponica tyrannide.

LI.

At in septima denique Mundi ætate, quam auspicabitur Antichristus,omnium atrocissimè ac crudelissimè opprimetur Christiana Ecclesia ab ferali ipso portento Antichristo, ac sociis, subjectisque Regibus, quæ erit omnium præfatarum sævissima persecutio: quia præfatas tribulationes, quas passa est Ecclesia Christi tùm à Judæis, tùm à Romanis Imperatoribus Ethnicis, hæreticis, à Regibus Mahumetanorum ac Turcarum, à Lutheranis & Calvinistis, & forsan subitura est alias etiam ab aliis Regibus, qui abhinc ad Antichristum usque exorientur, unius persecutionis ipsius Antichristi magnitudo & atrocitas continebit. Primò,quia Antichristus,prout suprà in IV.Tractatu & VI. ostensum est, omnes artes adhibebit ad decipiendum, scilicet simulatam sanctimoniam, eloquentiam, sapientiam, blanditias, promissa, opes, honores, minas, terrores, tormenta acerbissima,ac insuper faciet miracula,id est,mira quæ hominibus videbuntur miracula. Unde S.Gregorius 32. Moral. cap. 12. *Pensemus*, inquit,*quæ erit humanæ mentis illa tentatio,quando pius Martyr & corpus tormentis subjicit,& tamen ante oculos ejus tortor miracula facit? Cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat? Dicatur igitur rectè, Stringit caudam suam quasi cedrum: quia nimirum & altus tunc erit veneratione prodigii, & durus crudelitate tormenti. Unde & per David dicitur: Insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili suo.* Secundò, quia Antichristus erit organum diaboli, & quasi diabolus incarnatus. Hinc Apostolus 2.Thess.cap.2.ver.9.*Cujus est adventus*, ait, *secundum operationem sathanæ, in omni virtute,& signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis* qui

Septima Ecclesiæ persecutio ab Antichristo patranda in septima Mundi ætate.

Antichristus erit organum diaboli,& quasi diabolus incarnatus.

qui pereunt. Quocirca, ut inquit S.Hippolytus in Tractat. de Consummat.sæculi, erunt tunc Martyres prioribus sæculis illustriores & sublimiores: certabunt enim contra diabolum, qui tunc extremas iras & vires exeret, ac Antichristum omnis nequitiæ principem, atque utrumque vincent, & de utroque triumphabunt. Itaque gravitas & acerbitas persecutionis Antichristi patet ex dictis tùm hoc Tract. tùm I v.v. & v I. Tractatu. Quibus adde, eamdem ex præfatis priscis Gentilium & hæreticorum persecutionibus metiendam & conjectandam esse. Hasce enim omnes quasi præambulas velitationes, hæc ultima Antichristi complectetur, & longè transcendet, ut ait Cornelius à Lapide in cap. x I I I. Apocalypsis in fine, ubi id probat his rationibus. Primò ergo, lege quæ scribit Eusebius, Orosius, Baronius & alii de immani persecutione Neronis, Decii, Diocletiani, aliorumque Imperat. primis trecentis post Christum annis: hæc omnia in tres annos cum dimidio Antichristi confer & consla, & videbis quanta ipsius immanitas sit futura. Quæ enim trecentis annis sparsim passi sunt Christiani successivè, hæc omnia patientur simul iidem numero Christiani tribus annis cum dimidio ab Antichristo, immò longè plura & diriora. Nam Nero & cæteri ejus sequaces fuerunt tantùm typus & præludium Antichristi: hoc est enim quod de eo ait Apostolus 2. Thess. 2. ver. 7. *Mysterium jam operatur iniquitatis*.

Magnitudo & atrocitas persecutionis Antichristi declaratur ex præfatis Ecclesiæ persecutionibus, quas illa continebit quasi præambulas velitationes, & longè trascendet.

LII.

Secundò, lege quæ de persecutione Vvandalorum scribit Victor Uticensis; Donatistarum, Optatus Milevit. Arianorum, S. Athanasius & alii: ac scito has tantùm fuisse umbras Antichristi. Atque, ut alios prætercam, umbra Antichristi fuit Constantius Imper. Arianus. Nam Primò, Constantius inconstantissimus *novas semper fides quærit*, ait S.Hilarius lib. ad Constant. Secundò, Constantius patientiam & lenitatem affectabat, sed per ministros furorem suum explebat. Tertiò, Constantius ab Arianis appellatus est Æternus: ita Antichristus volet coli & adorari ut Deus æternus. Rursum, Constantius habitus est loco Antichristi, dum suum palatium vult esse Ecclesiam, ait S. Athanas. Epist. ad solitar. sic Antichristus in templo Dei, quasi in palatio suo sedebit, teste Apostolo 2. Thess. 2. ver. 4. Insuper Quartò, Constantius in exiliis separabat Confessores ab invicem, ne mutuò se solarentur & animarent, cùm Decius & Diocletianus hac consolatione eos non privarent, sed simul & conjunctos in exilium relegarent, ait S.Hilar. loco citato. Quintò, Constantius volebat videri & haberi Christianus & Catholicus, ideòque Catholicos Orthodoxos ad suam sectam pellicere satagebat ficta benevolentia, ne videretur imitari sævitiam Decii & Diocletiani, cùm tamen reipsa esset sævior: nam fideles ita discrucia-

Præfatæ Wandalorum & Arianorum persecutiones extitère tantùm umbræ Antichristi.

Umbra Antichristi fuit præfatus Constantius Imperator Arianus.

cia-

eiabat, ut tamen eos enecari nollet, ut iidem absque Martyrio viverent in tormentis. Unde S.Basil.Epist.60. asserit tàm atrocem & horribilem fuisse persecutionem Constantii, ut putet eam esse initium persecutionis Antichristi. Quàm sæva et crudelis hæc extiterit per 24. ferme annos quibus ille Imperio præfuit, accuratè docent Socratas lib 3. Sozomenus lib.3.& 4. Theodoretus lib.2. Nicephorus lib.9.& alii plures. Dira sunt planè atque lugubria, prout ostendimus suprà, quæ tùm ipse Constantius Princeps, tùm eius freti auxilio Ariani in Catholicos perpetrarunt exilia, carceres, expilationes bonorum, cædes, profanationes Ecclesiarum, & id genus alia horrenda atque funesta inferentes: sed ut levissimum ac perfidum Cõstantii Ariani Principis animũ penitùs quivis agnoscere queat, Ammiani Marcellini Gentilis hominis de eo iudicium, cui etiam tanta hominis inconstantia sugillatione digna visa est, paucis audiamus, qui sic lib.21. ait: *Constantius Christianam Religionem absolutam, & simplicem anili superstitione confundens. In qua scrutanda perplexus, quamquam componendi gratia, excitavit dissidia plurima, quæ progressa fusiùs aluit concertatio verborum, ut cateruis Antistitum iumentis publicis ultròcitròque discurrentibus per synodos quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehicularia succideret nervos*. Hæc Ammianus. Sextò, Constantius miris artibus & fraudibus Orthodoxos pervertere satagebat. Denique Constantio ademptum est Imperium cum vita; dum ipse ademit Divinitatem Christo Dei Filio, idque à Iuliano Apostata, quem ipse quasi cognatum, consortem & hæredem Imperii designarat, Cæsaremque crearat. Quocirca moriens Constantius de tribus indoluit, ait S.Gregor.Nazianz.Orat.de laudibus S. Athanasii: *Unum, quòd generi suo necem attulisset* (nam initio Imperii nonnullos sanguine junctos occidit.) *Alterum, quòd Iulianum, Apostatam Imperatorem*(creando eum Cæsarem) *nominasset. Tertiũ, quòd nouis Fidei dogmatibus studuisset, simulque cum bis vocibus è vita discessit*. Hæc & plura faciet quoque Antichristus.

Eius persecutio quanta sæva & crudelis fuerit, & quandiù duraverit.

Constantius moriens de tribus indoluit.

LIII.

Præfatus Iulianus Apostata typus fuit Antichristi.

Tertiò, Constantium, Decium & Diocletianum, cæterosque persecutores superavit Julianus Apostata, ideòque præ illis omnibus fuit typus & præcursor Antichristi. Ejus ergo persecutio fuit acerbissima, multis de causis. Nam Primò, Julianus magos alebat, eorumque artibus magicis utebatur, ac nuncios habuit dæmones, quos stitit Sanctus Publius Monachus, ut patet ex ejus vita. Secundò, desertoribus & apostatis honores tribuebat: suis blanditiis fideles ad apostasiam & idololatriam sollicitabat. Ita blanditus est Gregorio Nazianzeno, ornando præfectura ejus fratrem Cæsarium; sed refutavit hoc Gregorius, jussitque Cæsario ut præfecturam Juliano

Eius persecutiò extitit acerbissima, multis de causis.

liano resignaret. Tertiò, pietatem simulabat. Hinc parabat ædificare Monasteria & Virginum cœnobia, ac domos hospitales, ait Nazianz. Orat. 1. in Julianum. Quartò, *Christianos liberales literas docere ac discere vetuit*, inquit S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 52. ut scilicet eos armis sapientiæ privaret, quibus suam fidem propugnabat. Rursum, ut Christianos vocaret in odium & contemptum, vocabat eos Galilæos, & ut ab omnibus ita vocarentur, publico edicto sāxit. Quintò, invidebat Christianis Martyrium, nolebatque eorū constantiam in tormentis vinci & confundi. Sextò, simulabat patientiam & clementiam, cùm esset furibundus & crudelissimus. Hinc persecutionem suscitavit, sed executionem ac tyrannidem Civitatibus, ac populari turbæ, cuius audacia est effrænis & intolerabilis, permisit, ait Nazianzen. Orat. 1. in Iulianum, ubi eum chamæleontem vocat, quòd in omnes fraudum formas se verteret, sed ita, ut post illecebras frustrà adhibitas, statim plus violentiæ adhiberet. Rursum, cùm Martyres Fidei causa occideret, morti eorum non Fidem, sed aliam politicam prætexebat causam & culpam, uti faciunt etiamnum Caluinistæ. Septimò, signum Crucis ex labaro & aliunde sustulit, ac pro eo Iovem substituit, teste Sozomeno lib. 5. cap. 16. Reliquias S. Babylę Martyris, & aliorum, quibus magorum & dæmonum vis frangebatur, eorum monitu exportari fecit, ait Chrysost. Orat. contra Gentes. Octavò, ingeniosè artes fideles pervertendi excogitabat. Ita Constantinopoli tempore Quadragesimę in foro, dum esset annonę caritas, non nisi carnes idolis immolatas venales proponi curauit, ut cives cogeret idolothytis vesci, aut fame mori. Ita Clericos militiæ ascribi iussit: fideles magnis tributis oneravit: Pastores & Episcopos in exilium egit, ut populum simplicem carentem Ducibus faciliùs ad suam sectam pertraheret. Christianos ad libitum bonis privavit, sola hac de causa, quòd Christus Christianis præceperit temporalium rerum & opum despicientiam. Rursum, Judæos, Arianos & Donatistas hæreticos in Christianos grassari permisit, immò suscitavit, ut Christiani mutuis se litibus & cædibus conficerent, testis est Optatus lib. 2. Nonò, Julianus ut auctoritatem sibi apud plebem conciliaret, credi voluit Alexander Magnus (credebat enim ipse, & ab aliis credi volebat, Pythagoricam metempsychosin, id est, animarum ex uno corpore in aliud transmigrationem) quasi Alexandri anima in se transmigrasset, ipseq; in altero corpore esset Alexāder, uti ex Socrate narrat Baronius anno Christi 363. Deniq; Julianus Divinitùs telo Cælesti percussus interiit, uti suprà ostēsum est, & tamen moriens Divinos honores affectavit. Hæc & plura præstabit quoque Antichristus, tantùmque hosce omnes superabit, quantùm corpus superat umbram,

Iulianus ex subtilitate ingenii, Philosophos sectare volens, in tantam super se levatur vesaniā, ut iuxta Pythagoram, spiritum in se Alexandri Magni requievisse diceret.

bram, veritas typum, exemplar imaginem. Quamobrem ejus persecutionem fore ostendimus suprà maximam ac sævissimam omnis præfatarum persecutionum, maximis plenam periculis: ita ut ejusmodi pericula neque antea fuerint in Mundo, nec aliquando sint futura: adeò potenter prævalebit Antichristus per tyrannos & sequaces suos Christianos malos atque perversos. Equidem non est ambigendum Antichristum tunc excelsum potentiæ, & Monarchiæ culmen adepturum, quando Mundus erit in statu omnium corruptissimo, ac moribus depravatissimo. Nunquam enim homines ullis ab Orbe condito retrò temporibus tot flagitiis, sceleribus cooperti extitère, ut erunt sub adventum Antichristi: tunc enim hominum vitia atque peccata ad plenum cumulum mensuramque pervenient, ut tunc in Antichristo verè fiat omnis recapitulatio iniquitatis, & universa impietas in ipso conglobetur.

Horrenda Antichristi persecutio futura est omnibus quotquot ipsam præcesserūt, perniciosissima & truculentissima.

LIII.

Hic (ut tradit Lactantius Firmianus lib. 7. Divinarum inst. cap. 16.) insustentabili dominatione vexabit Orbem. Divina & humana miscebit, infanda dictu atque execrabilia molietur, nova consilia in pectore suo volutabit, ut proprium sibi constituat Imperium, leges commutabit, suas sanciet, contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet: denique immutato nomine, atque Imperii sede translata, confusio ac perturbatio humani generis sequetur. Tàm verò detestabile atque abominandum tempus existet, quò nulli hominum sit vita jucunda. Justum populum impius persequetur, & erit pressura, & contritio, qualis nunquam fuit à principio Mundi. Quicunque crediderint atque accesserint ei, signabuntur ab eo tanquam pecudes: qui autem recusaverint notam ejus, aut in montes fugient, aut comprehensi exquisitis cruciatibus necabuntur. S. Hippolytus Martyr in Oratione de Consummatione Mundi: *Confestim* (inquit) *mittet dæmonum cohortes ad montes, speluncas, & cavernas terræ, qui scrutentur eos, qui subduxerunt sese ab oculis ejus, & adducent eos ad adorandum illum. Ac sibi obtemperantes sigillo suo notabit; recusantes verò Imperium ipsius pœnis incomparabilibus, acerbissimisque tormentis, & machinis absumet, qualia nunquam fuerunt, nec auribus homo percepit, nec oculis mortalium conspecta sunt.* Tunc lugebit universa terra, vitam cruciatuum plenam. Lugebit mare, lugebit aer, lugebit Sol, lugebunt animantes feræ cum volatilibus, lugebunt montes, & colles, ac ligna campi propter genus hominum, eò quòd omnes defecerint à Sancto Deo, & crediderint Impostori illi, suscepto charactere impuri illius, & hostis Dei loco vivificæ Crucis Salvatoris nostri. Erunt apud homines tenebræ, lamentatio super lamentationem, væ super væ. Argentum & Aurum tunc projicietur in plateas, nec quisquam colliget ea, sed omnia abominationi habebunt.

Sævitia & crudelitas tribulationis per Antichristum fidelibus inferendæ.

Maximus universæ terræ fletus & dolor erit tempore tyrannidis Antichristi.

bunt. Cuncti enim aufugere conabuntur, & abscondi, nusquam tamen latere poterunt à malis adversarii. Extra timor, intus tremor, nocte dieque tùm in platea, tùm domi morticina: in plateis, in domibus fames ac sitis. In plateis tumultus, in domibus planctus. Pulchritudo aspectus faciei tabescet; fient enim formæ eorum tanquam mortuorum. Venustas mulierum exarescet, cupiditas omnium hominum evanescet.

LIV. Consolatio Christi. Misericordia Dei.

In iis autem omnibus malis consolationem adhuc piis hominibus proponit Christus Dominus noster Matth. 24. dicens: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi*: unde misericordia fit manifesta Dei, qui servorum suorum non obliviscitur in iis periculis tantis. S. Hieronymus in præfatum locū Matthæi & S. Augustinus Epist. 80. acriter invehunt in quosdam, qui dicerent eos dies revera cæteris breviores futuros, & cursu Solis celeriore transigendos: sed est id merum humanæ mentis delirium, cùm tunc Deus neutiquam statum Cæli ordinem ac motum sit immutaturus. Verus enim sensus est: Dies illos breviandos, seu decurtandos, aut coarctandos, ut Græca indicant, non diuturnitatis mensura, sed numero, hoc est, non quòd naturalibus & ordinariis diebus breviores sint futuri, (pari enim qua nunc duratione constabunt) sed quòd jam inde ab æterno decreverit Deus illos futuros paucos, cùm plures esse potuissent. Vult igitur Redemptor noster apertissimè dicere grassante, & horrendum in modum debacchante Antichristo suprema & sævissima omnium quotquot antè fuerunt, persecutione in Ecclesiam Christi, si diutiùs tàm atrox turbo duraret, nullum uspiam mansurum hominem, qui vel non in partes Antichristi transiret, vel non crudeli morte mactaretur, omnia vel depravante, vel concidente Antichristo. Deum verò noluisse, ut in longius tempus tàm dira tentatio producatur, quia voluit multos electos stabiles in Fide & Religione conservare. Et quamvis Antichristus ut subitam & repentinam, ita validissimam habiturus est potestatem, tamen repentè rursus interibit: ideò namque properè festinabit diabolus, quoniam sciet potestatem illam & tyrannidem diù sibi Dominum non permissurum. Id adeò Joannes quoque in Apocal. 12. testatur, inquiens: *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicū temporis habeat*. Ecce diabolus sciens diù sibi non licere posse ut sæviat in populum Dei, eò magis accelerabit, plusquam furiosus erit. Tunc ejus ope Antichristus magna prodigia patrabit: nam sub eo (ut inquit S. Isidorus lib. 1. de Summo bono cap. 28.) magnitudo signorum ita fiet, ut electi, si fieri potest, in errorem mittentur. Sed si electi, quomodo sunt in errorem mittendi? Ergo ibunt in errorem titu-

Vtrū tēpore persecutionis Antichristi dies futuri sint breviores, quàm nunc sunt.

Magnitudo signorum ita fiet sub Antichristo, ut

titubationis ad modicum pro multitudine prodigiorum, non tamen dejiciendi sunt à stabilitate sua terrorum impulsu atque signorum. Vnde & ideò ponitur si fieri potest: quia electi perire non possunt, sed citò resipiscentes cordis errorem Religione coercebunt: scientes prædictum à Domino esse, ut dum hoc fecerint adversarii, non conturbentur Sancti. Tàm mira facturus est prodigia & signa dum venerit Antichristus, ut etiam electis quoddam cordis gignatur scrupulum, quod tamen citò exuperet in illis ratio, per quam scient in deceptionem reproborum & electorum probationem eadem fieri signa. In quo tempore per patientiam gloriosi erunt Sancti non per miracula, sicut Martyres fuerunt priores. Illi enim & persecutores sustinebunt, & facientes prodigia. Proinde & durius bellum sustinebunt: quia non solùm contra persequentes, sed etiam contra miraculis coruscantes dimicaturi sunt. Graviùs sub Antichristi temporibus contra Ecclesiam deseviet synagoga, quàm in ipso adventu Salvatoris Christianos est persecuta. Dum in Martyres diabolus jam exercuerit crudelitatem magnam etiam ligatus, crudelior erit tamen Antichristi temporibus, quando etiam erit solvendus. Nam si tanta ligatus facere potuit, quanta solutus faciet? Quantò propinquius finem Mundi diabolus videt, tantò crudelius persecutiones exercet: ut quia se continuò damnandum conspicit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur. Quantò breve tempus videt sibi restare diabolus ut damnetur, tantò in magna persecutionis ira movetur, Divina justitia permittente, ut glorificentur electi, sordidentur iniqui, & ut diabolo durior crescat damnationis sententia. Brevitatem temporis, nempe trium annorum & sex mensium, quibus Ecclesiam persequetur, atrocitate pressuræ compensabit Antichristus: tunc enim diabolus (ut suprà audisti) omnem iram suam, omnem potentiam & artes effundet ad opprimendam Ecclesiam, sciens sibi nullum post hac relictum tempus & locum nocendi fidelibus.

ut electi, si fieri potest, in errorē mittentur

Populus Judæorum graviùs sub Antichristi temporibus contra Ecclesiam desæviet, quàm in ipso adventu Salvatoris Christianos est persecutus.

Diabolus sub Antichristo extremas iras suas & vires exeret, seu evomet.

LV.

At verò funestas ac diras Ecclesiæ sub Antichristo oppressiones in typo, seu sub schemate pulcherrimæ mulieris amictæ Sole, Stellis coronatæ, Luna calceatæ prægnantis, & maximis cruciatibus ac doloribus parturientis, ab teterrimo dracone infestatæ, quæ in desertum fugiens, ibi pasta fit à Deo diebus mille ducentis sexaginta, eleganter & politè depinxit S. Joannes in Apocalypsi cap. 12. ver. 1. ita scribens: *Et signum magnum apparuit in Cælo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona Stellarum duodecim: Et in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat.* Mulierem hanc à S. Joanne visam, Ecclesiam Christi asseverare S. Methodius his verbis affirmat: *Mulier amicta Sole est Ec-*

Quæ S. Joannes in Apocalypsi prædixerit de Antichristi persecutione.

Ecclesia in fine Mundi ob acerbissimas persecutiones & persecutores, magnis do-

doloribus & ærumnis, quasi parturiés, filios, id est, fideles, Christo pariet.

clesia: & post alia: *Itaque necesse est fateri Ecclesiam esse eam quæ parturit eos qui redimuntur.* Hæc ille. Et quidem Ecclesia tempore Antichristi summis doloribus & cruciatibus suos fideles ex se genitos parturiet, quia per summas rerum difficultates, & immenso dolore Christianos in Fide & Religione conservare enitetur, quasi iterum eos parturiens, & Christo regenerans propter ingentia pericula, & maxima discrimina pereundi. Ita passim Patres & Interpretes Apocalypsis, ut ait ibidem Cornelius à Lapide. Sequitur autem S. Joannes prædicens quæ dictæ mulieri, nempe Ecclesiæ sub Antichristi tyrannide eventura sunt, ut S. Victorinus, Andreas, Aretas, & alii magni nominis Interpretes, quibus assentiuntur recentiores Explanatores, affirmant, & ait ver. 3. *Et visum est aliud signum in Cælo: & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus ejus diademata septem.* Hic draco magnus, qui apparuit Sancto Ioanni in Cælo, est diabolus, id est, Lucifer, & decem ejus cornua sunt decem Reges, qui dominabuntur in Orbe quãdo veniet Antichristus, è quibus tres, ut suprà in 1. & 111. Tractat. ostensũ est, occidet Antichristus: unde reliqui septẽ timore perculsi, sponte ipsi se subdent, & cum eo quasi dæmonis instrumento, Christianos & Ecclesiam pessumdare & evertere conabuntur: idcircò S. Ioannes subsequitur, & inquit ver. 6. *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.* Fugiet tunc Ecclesia truculentia persecutionis conterrita in loca deserta, semota, in antra, speluncasque ac invios saltus, loca cincta densissimis arboribus ac fruticibus. S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 25. agens de ministris Antichristi omnia devastantibus, ait: *Et fugabunt Ecclesiam.* Andreas verò & Aretas inquiunt: *Arripient fugam Ecclesiæ Coryphæissimi, ac præcipui Præsules.* Eadem de fuga piorum illo in metu tradidisse S. Hippolytum Martyrem & Lactantium Firmianum suprà est demonstratum: sed inquit Lactantius lib. 7. cap. 17. *Cùm hæc facta erunt, tunc justi & sectatores veritatis segregabunt se à malis, & fugient in solitudines.* Hæc ille. S. Ephrem in Serm. de Antichristo de his ita loquitur: *Plurimique Sanctorum, qui tunc reperientur, confugient maximo cum studio ad deserta, & occultabuntur timore perculsi in solitudinibus & montibus atque speluncis. Capitibusque suis terra ac cinere conspersis, cum ejulatu ac lachrymis orabunt die noctuque in maxima humilitate cordis: donabiturque illis à Deo Sancto quod orantes petierint; deducetque eos gratia ipsius ad loca definita, & salvabuntur occultati in cavernis & speluncis.* Sic S. Ephrem.

Ecclesia tempore tyrannidis Antichristi fugiet ad deserta & latibula.

Fuga piorum hominum à facie Antichristi.

LVI. Itaque Sancti & fideles, non heroes illi fortes, qui palam & intrepidè cum Antichristo cominùs decertabunt, & per Martyrium rapien-

pientur ad thronum Dei: sed infirmiores fugientes rabiem persecutionis Antichristi, in desertis & latibulis Dei gratia se recipient & abscondent. Sed singulare patrocinium, quo à Deo in illo funestissimo discrimine tutabitur Ecclesia, ostendit S. Ioannes in præfatis illis verbis, *ubi habebat locum paratum à Deo*. Etenim singularem Dei tunc tutelam & munimen hæc verba significant, qui amantissimam suam columbam in foraminibus petræ, in locis tutissimis Divina providentia præparatis conservabit. Diximus autem rabiem persecutionis Antichristi: nam impius iste quos poterit ex Christianis à Fide Christi deficere faciet, quos verò nequibit pertrahere, variis cruciatibus & nunquam antea excogitatis tormentis interficiet: sicque, vel spiritualiter in anima, vel corporaliter in vitæ hujus bonis pervincet. Hinc S. Ioannes in Apocal. 13. ver. 7. *Et datum est* (inquit) *illi*, Bestiæ scilicet Antichristo, *bellum facere cum Sanctis, & vincere eos*. Si igitur tanta perniciosa & truculenta futura sit corporalis persecutio Antichristi: quanta ergo longè atrocior & exitialior erit ejus persecutio spiritualis: in qua quæ mala futura sint, multis verbis enarrat S. Hippolytus Martyr in Oratione de Consum. sæculi. Tollet enim de medio Antichristus omnes Sacras Imagines: prohibebit omnes cantus, preces seu precationes, conciones, omnia Ecclesiastica Officia, omnes Christianos ritus, ac cæremonias, omnia Sacramenta: præcipuè verò vetabit Sacrosancta illa Baptismi & Eucharistiæ: quemadmodũ Antiochus vetuit Iudæos circũcidi, & juge Sacrificiũ eorum abstulit. Fore autem eo tempore maximam baptizandi infantes Christianorum difficultatem, indicat S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 8. Per tres porrò annos & dimidium, Eucharistiæ Sacramentum non erit in locis publicis, nec publicè debitus ei honor & cultus adhibebitur: sed privatim & occultè servabitur & honorabitur à Christianis.

Sancti & fideles fugientes rabiem persecutionis Antichristi, in desertis & latibulis Dei gratia se recipient & abscondent.

Persecutio spiritualis Antichristi.

Antichristus vetabit administrationem usũque Sacramentorum, præcipuè verò Baptismi & Eucharistiæ.

LVII.

Lugebunt tunc universæ Ecclesiæ Christi maximo luctu, quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus. Sed & Ecclesiarum ædes Sacræ instar tugurii erunt, pretiosumque Corpus & Sanguis Christi non extabit in diebus illis. Etenim illo tempore tanta erit violentia pressuræ, ut fideles nec audeant, nec possint tremendum illud Eucharistiæ mysterium saltem in publico sacrificare: eò quòd istud tunc publicè sit cessaturum juxta vaticinium Danielis, quod ita se habet cap. 12. ver. 11. *Et à tempore, cùm ablatum fuerit juge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*. Tollet autem juge hoc Sacrificium Antichristus, non quidem omninò, sed quatenus ejus notitia vel potentia pertinere poterit. Nam Sancti, perpetuò ipsum custodient & colent, nec unquam agere desinent; non tamen ubique aut publicè;

Planctus omniũ Ecclesiarum sub Antichristo.

Tempore Antichristi cessaturũ in publico Sacrosanctum Missæ Sacrificium juxta vaticinium Danielis.

blice: sed privatim & occultè, atque in locis secretis, & à cognitione Antichristi remotis. Itaque Sanctissimum Missæ Sacrificium super omnia, odio prosequetur, insectabitur, & omninò tollere conabitur Antichristus. Et hoc ritè nominatur juge Sacrificium, quod vocabulum sonat continuitatem: nam non uno duntaxat in loco, nec bis tantùm per singulos dies, mane & vesperi, ut illud Iudaicum, sed in omni loco, ut ait Malachias cap. 1. & omni tempore agitur, & offertur Deo. Cùm enim Ecclesia Christi per omnes Orbis partes sparsa sit, nullum est tempus diei, quod non alicubi terrarum, sit antemeridianum tempus, id est, peragendo Missæ Sacrificio idoneum, quod ex parte Antichristus (ut diximus) auferet. Sciens iniquus, quòd eo sublato de medio Ecclesiæ, prorsus aufertur Christus. Cognoscet quippe, se in templo sedere, & tanquam Deus adorari non posse, si Christi præsentia adsit. Atque certè exemplum, versutiam, & potentiam huc conferet, ut exulet Christus, & Missa pereat. Ecce Christiane lector verissimum signum Antichristi: cùm ab Ecclesia Sacrificium aufertur, ex quibus videre potes, qui sunt Lutherani & Calvinistæ abolentes & sepelientes Missam. Non enim aliud esse possunt, quàm Antichristi satellites & ministri.

Sanctissimum Missæ Sacrificiũ in omni loco & omni tempore agitur & offertur Deo.

Causa, ob quam juge Missæ Sacrificiũ ex parte ab Antichristo auferendum.

LIIX.

Direptas & spoliatas Ecclesias Antichristus incendet, aut diruet, vel in tabernas, seu stabula equorum convertet. Comburet omnes Sacras Scripturas tàm veteris, quàm novi Testamenti, postquam se verum Deum constituet, sed potissimùm in Sacrosancta Evangelia, ubi res Christi Dei cõlignatæ extant, debacchabitur: secundum quæ præcipuè furet adversus Danielis Oracula, Epistolas Pauli, & Divinam Ioannis Apocalypsim: ubi illius vita, mores, ingenium, & nefanda acta mirificè depinguntur. Insuper cuncta Sanctorum Patrum scripta, omnes libros, Commentaria, Ecclesiasticas Historias, Annales, Martyrum Acta, & omnium Christianorum Doctorum de Religione & pietate conscripta monumenta conscerpet, defodiet, igni tradet, & penitùs abolere conabitur. Rursum Sacra vasa conflabit, vestes Sacras, ornamenta, ac cætera instrumenta Ecclesiastica, vel in profanos usus convertet, vel igni tradet. Prædicationem verbi Dei, Sacras potissimum primis sibi ducet funditùs extinguendas. Nec quidquam majori odio prosequetur, quàm venerandum Crucis Dominicæ lignum, cujus reliquias ubicunque nancisci poterit, ferina rabie concidet, & in favillas redigere conabitur. Ejusdemque vivificæ Crucis signum, & imaginem ante omnia abominabitur, & ex omnibus locis expungi abradique jubebit. Qua de re ita scribit Pererius lib. 15. in Danielem: *Ad hæc, vetabit Antichristus, quemquam signare se signo Crucis: & hoc signum ex omnibus ubicunque erit, auferri præcipiet. Pro signo autem Crucis Christianorum,*

Antichristus omnia templa aut funditùs evertet, aut in usum tabernarum & stabulorum convertet.

Comburet omnes libros Sacros, quoscunque invenire poterit: &, ut scribit Lactantius Firmianus lib. 7. Divinarum inst. cap. 17. viros justos, libris Prophetarum obvolutos cremabit.

Antichristus prosequetur lignum Dominicæ Cru-

rum, dabit ipse suis amatoribus & sectatoribus, suum characterem & signum; quod qui non gestaverit, aut in fronte, aut in dextera, ut Joannes inquit in Apocalypsi cap. 13. non poterit emere quicquam, vel vendere, vel alia quæ ad commoditatem humanæ vitæ pertinent commercia tractare. Quod autem Antichristi futurum sit insigne, variè traditur: sed inter plures tamen convenit, fore vel hoc, Nego Baptisma: vel, Nego Jesum. Sic Pererius. Denique Antichristus nihil magis curabit, quàm ne ullum alicubi Christianæ Religionis extet vestigium, sed omnia à radicibus extirpet. Hinc Ecclesia tunc videns tantam Antichristi immanitatem, fugam arripiet, prout suprà demonstratum est, & in locis à Deo præparatis se abscondet, nempe in desertis & latibulis, in quibus eam S. Ioannes, cujus verba suprà retulimus, prodit esse pascendam diebus mille ducentis sexaginta: sed verbo Dei ac doctrina salutis intelligunt Apostoli Explanatores pascendam Ecclesiam in solitudinibus à Sanctis Episcopis, Præsulibus, ac Prædicatoribus, nec defutura illi tunc Sacramenta, quibus ceu Divinis alimentis ubertim pascatur. Primum enim tunc ac præcipuum Ecclesiæ munimen, & pastus prævalidus erit Sanctarum Scripturarum doctrina, qua omnia commenta, & machinas Antichristi tanquam aranearum tenues telas dissabunt. Nullum enim tunc potentius telum ad evertendum Antichristum erit, quàm ex ipsis Scripturis ac verbo Dei perspicuè cognoscere cuncta quæ ille ferus homo patrabit, jam longo ante tempore fuisse prænuntiata ab Antichristo ipso patranda: ex quibus quisnam ille sit, intus & in cute atq; ad ultimos usq; recessus animi facillimè perspici poterit. Nam cùm omnia quæ in Antichristo ejusque rebus oculis in præsentia cernent; eadem ipsa in Scriptura Sacra, & in Patrum interpretationibus tàm longo jam antea tempore, veluti in publicis tabulis clarissimè depicta videbunt de Antichristo fuisse prædicta, omni procul dubio cognoscent illum pestilentissimum hominem ipsissimum esse Antichristum. Unde S. Hipppolytus Martyr in Orat. de Consum. Mundi inquit: *At multi qui audient Scripturas Divinas, eas in manibus habebunt, mente versabunt, imposturam illius evitabunt. Clarè enim perspicient insidias ejus, & imposturæ arrogantiam, effugientque è manibus ejus ad montes, & occultabuntur in cavernis terræ cum lacbrymis, & coutrito corde quærentes illum amantem hominum, qui eripiet eos è laqueis illius, & conservabit immolestis illius scandalis, dextraque manu sua invisibili modo proteget eos, qui dignè ac justè ei supplicabunt. Vides quali jejunio, quibusve precibus, tunc utentur Sancti. Simulque disce quàm durum tempus, ac dies orientur illis, qui in Vrbe agrisque erunt.* Hæc S. Hippolytus.

Crucis, ac ejus signum de medio tollere conabitur, & pro eo dabit ipse suis sequacibus suum symbolum & insigne.

Quid sub Antichristi tyrannide factura sit Christi Ecclesia è Ioanne in Apocalypsi.

Primus Ecclesiæ pastus tēpore persecutionis Antichristi.

Edocti ex Divina Scriptura intelligent omnes technas Antichristi, atque in illo compleri homine cognoscent, quæcunque de Antichristo in Divinis literis fuère prædicta.

Alter verò apprimè robustus pastus Ecclesiæ tunc erit Divino- LIX.

rum

Secundus Ecclesiæ pastus tempore Antichristi tyrannidis.

rum mysteriorum communicatio, ac præsertim frequentissima, & quotidiana Sacrosanctæ Eucharistiæ sumptio. Etenim certum est, & multis ex antiquitate petitis exemplis contestatum, fideles olim cùm violentior aliqua persecutionis procella ingrueret, solitos quotidiè communicare, ac se tanto præsidio communire adversus imminentem furorem: unde S. Cyprianus Epist. 56. egregiè ait: *Considerantes se quotidiè calicem Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere*. Nec sanè existimandum est in gravissima omnium persecutione sub Antichristo, quid minus facturos Christianos, immò potiùs ardentioribus animis, & ferventiori amore tantum Mysterium quotidiè participaturos. Quoniam in summa turbinis necessitate, & uberiori ex verbo Dei tàm scripto, quàm tradito doctrina, & præstantioribus Doctoribus, ac Præsulibus, & frequentiori Sacramentorum usu Ecclesia tunc opus habebit, ut firmissimis armis præmunita ad quævis pro Christi nomine subeunda sit parata.

LX.

Quamdiù durabit persecutio, seu tyrannis Antichristi.

Quæres autem, quamdiù tandem duratura sit Antichristi tyrannis, quæ si tanta mala futura est, cur non desinat statim? Respondeo, quia manifestavit hoc Dominus ex annis, mensibus atque diebus. Ex annis quidem, quamvis minùs apertè, cùm Daniel cap. 7. loquens de præfata Antichristi persecutione, dicit, Sanctos traditum iri in manus ejus, usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Quibus verbis deinceps quoque utitur ille cap. 12. quando quæsivit ex Gabriele, qui sub forma & habitu virili stabat super aquas Tigris, quousque duratura esset illa persecutio Antichristi: respondit Angelus, adhibito jurejurando, duraturam in tempus, & tempora, & dimidium temporis, significans tres annos, superque dimidium annum. Nam tempus significat unum annum, tempora duos annos, dimidium tempus, dimidium anni. Cæterum in quæstionem vocari posset, an his verbis significetur omne tempus, quo regnaturus est Antichristus: an tempus duntaxat, quo sævissima adversus Sanctos persecutio ejus duratura est. Verùm, in promptu est respondere huic quæstioni. Nam quamdiù simpliciter regnaturus sit Antichristus, à nullo, quod ego sciam, traditur; & nulli opinor mortalium fuisse compertum: quamdiù verò regnaturus sit, ex quo tempore incipiet atrociter & crudeliter insectari Sanctos, ipsisque prævalebit, exploratum habetur ex præfatis locis Danielis, cui similia vaticinatus est B. Ioannes in Apocalypsi cap. 12. cùm inquit: *Mulier*, id est, Ecclesia Christi, *fugiet in solitudinem, & abscondet se à facie serpentis*, hoc est, à persecutione Antichristi, *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*: quæ summa est annorum trium & dimidii. Tanto enim tempore & Antichristus desæviet in Christianos, &

Eam Gabriel Archangelus significavit Danieli ex eo quærenti, duraturam tres duntaxat annos & sex menses.

Incertum quamdiù simpliciter sit regnaturus Antichristus.

Chri-

Christus Dominus Matth.24.prædixit. Atque id ita esse ex mensibus & diebus satis constat, siquidem & Daniel illud cùm non satis intellexisset, audivit ex præfato Angelo, *A tempore, quo ablatum fuerit juge Sacrificium*, id est, ex quo atrocissima Christianorum persecutio sub Antichristo cœpta fuerit? *transibunt dies mille ducenti nonaginta.* Si hæc porrò dividamus hebdomadatim, inveniemus hebdomadas centum octoginta quatuor, dies duos, quod temporis spatium conficiet annos 3.hebdomadas 27.dies 6.si 365.dies pro anno computentur. Neque tacuit hoc etiam S. Joannes, ut non celavit eum Spiritus Dei. Dixit enim in Apocalypsi cap. 12.(uti suprà ostensum est) mulierem, nempe Ecclesiam, in deserto pascendam diebus 1260. Ubi non est quòd mireris B. Ioannem 20.dies minùs numerare, quàm supputavit S. Propheta Daniel: siquidem hic de principio tyrannidis Antichristi; ille autem de fuga locutus est Ecclesiæ. Nec obstat, quòd Daniel decem enumeravit dies plùs, quàm Evangelista: quia Propheta decem aut duodecim alios dies post Antichristi tyrannidem persequitur.

Ratio, quare S. Joannes 20. dies minùs numeraverit, quàm supputavit Daniel.

LXII.

Duo pro majori hujus sententiæ elucidatione notanda secundum Malvendam.

Sed pro majori elucidatione præfatæ sententiæ tàm Danielis, quàm Ioannis duo hic sunt notanda secundum Malvendam lib.8. de Antichristo cap.9.& 12. Primum est, quòd cùm dictum sit à nobis Missæ Sacrificium tempore Antichristi cessaturum, & tyrannidem ejus tribus & semis tantùm annis duraturam; cur illic Daniel asserat amovendum esse Divinum Sacrificium diebus mille ducentis nonaginta, qui conficiunt tres annos ac dimidium, additis insuper, duodecim diebus. Quorsum enim adduntur summæ temporis persecutionis Antichristi isti duodecim dies cessationis incruenti Sacrificii? Equidem res est explicatu perardua, in qua mallemus audire, quàm dicere sententiam. Et ut multa dici possint, non tamen quæ penitùs satisfaciant. Forsitan nihil congruentius afferri queat, quàm si dicamus Antichristi integram persecutionem duraturam duntaxat tres annos & sex menses, ac nullos amplius dies, totoque isto tempore cessaturum in publico Sacrificium Missæ: illos verò duodecim dies, quos Daniel prædictæ adiicit summæ, futuros post mortem Antichristi absoluta jam persecutione, quibus adhuc etiam Divinum Sacrificium manebit amotum: nam dum expectantur plurimi fideles, qui è latebris ac desertis emergant, dum loca parantur publica ut Ecclesiæ, aut sacella, dum Sacra vasa, ornamenta, & id genus alia apportantur, dum magnificentissima instruitur pompa omni genere lætitiæ adornata, dum cuncta necessaria comparantur ad primam celeberrimam & festivissimam Sacrosancti Mysterii peractionem, & quasi redivivam in publicum restitutionem, quantacunque diligentia ac celeritate id fiat, minimum decem vel duode-

Primum notandum.

cim dies erunt insumendi. Siquidem Divinæ Missæ tunc restitutionem celebraturos Christianos solemnissimo apparatu & immenso gaudio non est dubium.

LXIII.

Secundum notandum.

Alterum est, quòd cùm dicat S.Joannes (ut suprà audisti) Ecclesiam pascendam in desertis profugam diebus mille ducentis sexaginta, scire debes, quòd horum dierum summa est fermè trium annorum solarium, quinque mensium, & dierum decem. Atqui totidem diebus dicuntur prædicaturi Elias & Enoch contra Antichristum, ut in sequenti Tractatu dicemus. Qui sanè numerus non æquat integrum tempus persecutionis Antichristi, quod (ut suprà demonstravimus) futurum est annorum trium ac sex mensium: desunt enim hic dies viginti. Sed cur subtrahũtur hi dies? Rectè nostro judicio notavit eruditus Ribera in 12. Apoc. n. 24. Tempus fugæ Ecclesiæ, seu exilii in solitudine definiri diebus mille ducentis sexaginta, hoc est, diebus minus viginti, quàm tempus persecutionis Antichristi: vel quia forsitan Sancti non statim ipso primo die decretæ & promulgatæ persecutionis fugient quousque plenius cernant, quò tandem tendant illa tàm immania edicta de nomine Christiano abolendo publicata: aut quia interfectis Henoch & Elia ab Antichristo viginti dies ante mortem ejusdem tyranni, & finem persecutionis, ut opportunè infrà ostendemus, tàm admirando exemplo confirmati fideles complures, cùm viderint illos viros Apostolicos longè clarissimo miraculo, & resurrexisse, & cum ingenti gloria in Cælos conscendisse, novos animos sument, latebras relinquent, in publicum prodibunt, quidvis pro Religione passuri.

Tempus fugæ Ecclesiæ seu exilii in solitudine definitur diebus mille ducentis sexaginta, id est, diebus minus 20. quàm tẽpus persecutionis Antichristi.

LXIV.

Congruentissima ratio, cur subtrahantur dies illi viginti.

Forsitan dici congruentius possit, illos viginti dies, qui detrahuntur, consumendos in eundo, & redeundo ex desertis locis Ecclesiam, & tempus, quo abscondita & tuta manebit, futurum mille ducentos sexaginta. Nam quãvis ipso statim primo persecutionis die aufugiat, in quærendis latebris dies decem præterituros sit verisimile: quando verò cognoscet ex Divinis literis, ac etiam revelatione superna imminere fœdum Antichristi interitum, pro majori suorum parte prodibit, & se itineri accingens decem in redeundo alios consumet dies, ut prælio Gog & Magog, & Antichristi neci Dei peculiari ordinatione intersit, ut suo loco infrà plenius sumus ostensuri.

LXV.

Nõ solùm quoad dies, sed etiã quoad menses solares, tempus illud tyrannidis Antichristi commemoratur in Sacris literis.

Similiter etiam quo ad menses solares, tempus illud tyrannidis Antichristi commemoratur in Sacris literis, quando Spiritus Sanctus per Joannem in Apocalypsi cap. 13. dicit: *Data est illi potestas facere, & bellum gerere cum Sanctis, & vincere eos, per menses quadraginta duos.* Menses autem duodecim, annum faciunt: menses triginta sex, triennium totum, unde supersunt adhuc menses sex annus dimidius; quæ omnia benè conveniunt cum annis tribus & dimi-

midio Danielis. Quamobrem tempus hoc præfatæ persecutionis Antichristi, nominatur in Scriptura modicum tempus. Joannes enim in Apocalypsi cap. 12. (ut suprà audisti) ita scribit: *Væ terræ & mari: quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Et in cap. 20. ait, post adventum Domini nostri, usque ad finem Mundi, quod tempus denotat ipse mille annis, ligatum esse diabolum, id est, potentiam ejus repressam atque frænatam: expletis autem mille annis, hoc est, prope finem sæculi, solutum iri diabolum; quia tunc amplissimam habebit facultatem impugnandi & infestandi homines: sed ad breve, tamen tempus: *Post hæc*, inquit, *oportet illum solvi modico tempore*, id est, ut dixit Angelus Danieli, per tres annos & dimidium; quo videlicet tempore, per Antichristum, quibuscunque modis poterit, crudelissimè infestabitur bonos, & eos perdere quoquo modo conabitur. Huc spectat etiam, quod dixit Dominus, referente Matthæo cap. 24. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: veruntamen breviabuntur propter electos.* Dixit, *breviabuntur*, pro eo quod est, breves (uti suprà ostensum est) & pauci erunt: quippe nō ampliùs tres annos, præterque, sex menses. Atque hic licet admirari, summisq; laudibus prædicare providentissimam Dei misericordiam; qui vim dæmonis, in oppugnandis & infestandis hominibus, mirabiliter temperet, ad utilitatem electorum suorum. Siquidem, omni hoc tempore præsentis sæculi, usque ad finem Mundi, longissimum dæmoni concessit spatium oppugnandi hominem, sed exiguam dedit ei potestatem eū lædendi: at verò prope finem Mundi, amplissimam is accipiet à Deo potestatem vexandi & affligendi homines, & maximè, per ipsum Antichristum: sed ad id tamen, angustissimum ei tempus præfinietur; nempè, non plus tribus annis & dimidio. Itaque cùm diabolus longum habet tempus tentandi, parum potest nocere: cùm autem plurimum nocere poterit, tunc is brevissimo tempore, à Deo erit coarctatus. Verùm sæviet tunc Antichristo regnante & præfatam exercente tyrannidem diabolus per se suosque ministros, multò crudeliùs & insolentiùs, quàm unquam antea adversus Christi Ecclesiam, prout suprà ostensum est: sed è contrario Michael & Angeli eius maxima nitentur opum vi, ut se tantæ ferociæ opponant, conatusque adversariorum prorsùs enervent. Nimirùm S. Michael cum suis Sacris supernorum Spirituum phalangibus Catholicos eo tempore summoperè juvabit cùm precibus ad Deum, & præpotenti intercessione, tùm internis & externis consolationibus & exhortationibus, comprimendo etiam furores diaboli, & valida eius spicula avertendo, seu hebetando. Indicat id S. Propheta Daniel cap. 12. vers. 1. cùm inquit: *In tempore autem illo, consurget Michael Princeps ma-*

Mira Dei clemētia in moderandis diaboli tentationibus.

Auxilium S. Michaelis Archangeli erga Christianos contra diabolum tempore Antichristi.

gnus, qui stat pro filiis populi tui. His namque verbis significatur illud tempus, quo vigebit præfata persecutio Antichristi, appropinquante iam Mundi huius fine. Tunc enim Michael, qui summus creditur Ordinis Archangelorum, & olim præses fuit Synagogæ, custosque ac defensor populi Hebræi; postea verò propter necem Mesiæ, reprobata reiectaque Synagoga, in tutelam & defensionem, transiit Ecclesiæ, hic inquam Michael, extremis illis Mundi temporibus, omnem suam vim atque potentiam intendet atque conferet (hanc enim vim & notionem habet verbum illud *consurget*) in auxilium bonorum, qui in illa præfatæ persecutionis acerbitate, in summis constituti angustiis, maioribus quàm credi posit malis conflictabuntur. Nec solus Michael, invisibilis erit defensor Ecclesiæ, sed etiam ipsorum hominum quidam, præter cæteros Sanctitate præstantes, sese opponent Antichristo, & cæterorum erunt fortisimi Duces, acerrimique propugnatores Ecclesiæ. Horum duo erunt Principes & antesignani, Christianæ veritatis testes ac præcones, nempe Henoch & Elias, qui venturi sunt ante extremum universalis Iudicii diem, ad prædicandam Fidem Christi contra Antichristum, ut fusiùs latiusque ostendetur in sequenti Tractatu, in quo erit sermo de inclyto certamine, quod Henoch & Elias inibunt cum Antichristo, ac de clarissimo eorum Martyrio, Resurrectione, & in Cælos Assumptione ex Apocalypsis Oraculo. Diximus eos esse venturos ante generale Judicium: quia tunc è Paradiso terrestri mittentur à Deo ad annunciandam pœnitentiam, & detegendas fraudes Antichristi: idcircò fortiter pugnabunt cum eo, à quo ipsi cùm prædicaverint tres annos cum dimidio, interficientur: sed impius post hoc spiritu oris Domini, tàm ipsorum, quàm aliorum Sanctorum sanguine ad Deum clamante, percusus, finem persecutionis est impositurus non multò ante finale Judicium, quod multi propter Prophetiam, quæ dicit, *In valle Josaphat dijudicabo eos*, ad literam eam intelligentes, non longè à Civitate Sancta, in valle Josaphat futurum putant, ut in locum quo judicatus fuit, judicaturus quoque Dominus adveniat. Nonnulli mysticè intelligentes, eò quòd Iosaphat Hebraicè, Latinè judicium sonet, ubicunque locorum celebretur, illum Josaphat .i. Iudicium dicunt. Alii in aere futurum Judicium æstimant. Nobis autem meliùs sentire videntur, qui hoc in terra futurum dicunt. Corpora quippè de terra facta, nunc ad incorruptionem utpotè malorum immutata, verisimilius est in terra ad Judicium collocari, quàm ad subtilius elementum sua cum ponderositate, qua potiùs ea ad ima vergere oportet, sursum transvehi. Consule 4. Partem nostri Divini Theatri Tract. 7. fol. 486. num. 47.

S. Michael invisibilis defensor Ecclesiæ.

Enoch & Elias, testes futuri veritatis adversus Antichristum.

Finis persecutionis Antichristi.

Iohelis 3.

Vbi Iudicium finale fiat.

TRA-

TRACTATUS OCTAVUS

De adventu & prædicatione Enoch & Eliæ tempore Antichrifti, contra quem illi non multò ante finale Iudicium prodibunt è Paradifo terreftri ad prædicandam Gentibus pœnitentiã, Judæis Meffiam verum jam veniffe; Chriftianis autem meras effe impofturas & fraudes, quicquid tunc ipfe molietur Antichriftus: unde & plurimi populi adhę. rebunt eis, ut nõ mediocrem inde dolorem concepturus fit impius ille, occifurus infuper illos, qui poft necem refurgent, & in Cælum afcendent, juxta S. Ioannis Prophetiam.



Cribit S. Ifidorus in lib. de Patribus veteris Teftamenti cap. 3. quòd Enoch filius Jareth feptimus ab Adam cum Deo ambulans, ac placens ei per omnia, malorum nefcius, mortis ignarus extitit. Qui fceleratorum non ferens infaniam, à perniciofis Mundi contractibus fubtractus, meruit in eo loco transferri, unde fuerat Protoplaftus expulfus. Tulit namque illum Dominus de medio malorum ne malitia immutaret animum illius, raptùfque eft in Paradifum. Sublatus eft autem annorum trecentorum fexagintaquinque, ut afferit Mofes Genef. cap. 5. ver. 23. cùm ait: *Et facti funt omnes dies Henoch trecenti fexagintaquin-* I.

Enoch feptimus ab Adam quonã translatus.

Enoch raptus est in Paradisum terrestrem, ubi usque modo manet in corpore, venturus iterum in fine sæculorum unà cum Elia Thesbite contra Antichristum ad restituendā mortalis vitæ conditionem.

thquinque anni. Ambulavitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus: id est, transtulit eū Deus in Paradisū. Manet autem hactenus ibi in corpore, in consummatione sæculi iterum venturus cōtra Antichristū ad restituendam mortalis vitæ conditionem, unà cū Elia Thesbite, qui igneo curru in Cælum per turbinem raptus ascendit; non tamen ubi sedes est Beatorum: constat enim Cælorum januam apertam fuisse solùm per Christi mortem; sed in superiora aeris ascendit, translatusque est (ut creditur) in Paradisum terrestrem, ex quo Adam (ut audisti) expulsus fuit: ubi nunc ille vitam agit, nec mortis debitum Dei specialissimo miraculo usque modo exsolvit. Itaque nondum mortuus est, sed adhuc in carne vivit in Paradiso terrestri cum Henoch, qui ambo eo in loco, quem in terris usque ad præsens extare affirmant S. Thomas 3. Par. summæ Theolog. quest. 49. art. 5. ad 2. Magister Sententiarum in 2. dist. 17. litera C. S. Bonaventura ibidem in explicatione literæ, Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis Paradoxa 5. cap. 165. & alii, quos infrà ostendemus, esu ligni

Enoch & Elias vitam agunt in Paradiso terrestri, & esu ligni vitæ ibidem conservātur.

vitæ incolumes quidem, at non immortales conservantur, expectantes ibidem tempus Antichristi: quamvis id negetur ab iis, qui afferunt Paradisum terrestrem aquis Diluvii obrutum & destructum fuisse: idcircò putant isti Henoch & Eliam esse translatos in locum aliquem amænum, ubi Divinæ contemplationi sine perturbatione, & absque corruptibilis vitæ miseriis vacare posse dicunt, corporali cibo non indigentes, ita Deo conservante. Sed eorum assertio adversatur nō solùm communi omnium Theologorum consensui in 2. Sententiarum dist. citata, ut ait Valencia quæst. 6. punct. 2. sed etiam auctoritati Patrum, qui disertè testantur Enoch & Eliam esse nunc in

Vtrum Paradisus terrestris tempore Diluvii destructus fuerit, an potiùs adhuc perseveret in terris.

Paradiso terrestri, quod verū esse nō posset, si Paradisus nō superesset. Nec urget, quia aquæ Diluvii inundaverunt universam terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo Cælo, ut testatur Sacra Scriptura Genes. 7. Primò, quia potuit Deus quasi præservare Paradisum ab ea inundatione; generales enim locutiones Sacræ Scripturæ suas acceptiones pati solent: unde licèt terra, & mōntes dicantur operti aquis Diluvii, potuit aliqua pars terræ, scilicet Paradisus non operiri. Secundò, & meliùs, quia licèt aquæ Diluvii inūdaverint Paradisū, nihilominus soli illius fertilitas nō est ablata, nec arbores omninò eradicatæ: itaq; postea potuerunt iterū germinare, & ad eam varietatem, & pulchritudinē, ac perfectionem saltem magna ex parte redire, præsertim accedente optima illius loci temperie, & benignis Cælorum influentiis. Patres verò, qui eruditè testimoniū perhibēt, Enoch & Eliā modò degere in Paradiso terrestri, sunt S. Athanasius in Epist. quadam continente decreta Concilij Nicæni, S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 5. dicens esse tradito-

ditionem Presbyterorum ac Seniorum Ecclesiæ, qui Apostolos audierunt, Enoch & Eliam esse corporaliter raptos in Paradisum terrestrem,& ibi eos adhuc manere & conservare usque ad consummationem Mundi, S.Hieronymus tom.2. in Epist.ad Pammac. contra Joan. Hierosolymitanum, S.Justinus Martyr quæst. 85. ad Orthodoxos, S.Isidorus ubi suprà, quos referunt & sequuntur Robertus Card.Bellarminus tom.3.libro de Gratia primi hominis cap. 14. & Franciscus Suarez lib. 3. cap.6. Quibus adde S.Augustinum tom.7. lib.2. contra Pelagium & Cælest. cap. 23. ubi sic inquit: *Esse illum Paradisum Fides Christiana nō dubitet*, quibus verbis significare videtur ad Fidē Divinā pertinere credere adhuc extare Paradisū terrestrem: & licèt id non sit tantæ certitudinis, nihilominus magni habenda est authoritas Divi Augustini. Quippe quòd Ecclesiæ traditio est, Enoch & Eliam usque huc vivos in Paradiso terrestri habitare, & usque ad tempora Antichristi ibidem reservari, cùm ad confirmandam Evāgelicam veritatem pro salute electorum (ut diximus 2.Par. nostri Divini Theatri Tract. 12. fol.241. n.26.) mittentur à Deo: quia sicut ipse huic Mundo prævidit, quòd nunquam esset sine luminari contra tenebras. Nam per noctem Lunam & Stellas, per diem Solem habemus pro nostro adjutorio: sic in Ecclesia prævidit Deus, quòd nunquam deficiet electis lumen gratiæ, quo confortentur & illuminentur contra tenebras malitiæ. Et sicut tempore Antichristi crudeliora tormenta instabunt Sanctis: sic & Sancti per Divinam gratiam fortiores erunt, & sine præsentia aliquorum Sanctorum & proborum virorum non erunt: sed eis in adjutorium Deus mittet excellentissimos viros, scilicet Enoch & Eliam de Paradiso terrestri, qui Christi fideles confortabunt & animabunt ad bellum contra Antichristum.

Est traditio Ecclesiæ, Enoch & Eliam usque huc vivos in Paradiso terrestri habitare, & usque ad tempora Antichristi ibidem reservari.

Deus in adjutorium Christi fidelium mittet de Paradiso terrestri Enoch & Eliam, qui illos confortabunt & animabunt ad bellum contra Antichristum.

II.

Utrum in loco Enoch sit Moses venturus cum Elia.

At S. Hilarius Can.20. in Matth.quem sequitur Joachimus Abbas in Cōment. suis in Apocalypsim, putat in loco Enoch esse mittēdum Mosem, quasi testem & socium Eliæ futurum. Nam sicut ambo in transfiguratione Domini apparuerunt, tanquam testes prioris Christi adventus: sic iidem in consummatione sæculi, testes & præcones venturi sunt, posterioris Domini adventus. Huic opinioni accessit Gagnæus in Scholiis super undecimū caput Apocalypsis: neque censet huic opinationi officere, quòd Moses sit mortuus. Nam sicut tempore transfigurationis, revocatus est ad vitam, ut priori adventui Christi testimonium perhiberet: ita rursus in consummatione sæculi, ad prænunciandum Christi posteriorem adventum, ex mortuis excitabitur. Adjuvare videtur hanc sententiam, S.Joannes in Apocalypsi, capite undecimo scribens, duos illos testes, potestatem habituros super aquas, convertendi eas in sanguinem, &

per-

percutiendi terram omni plaga. Cùm enim hoc Moses in Ægypto fecerit, videtur Apostolus his verbis eum ipsum significare voluisse. Sed verior est communis, & ab antiquis temporibus recepta in populo Christiano, sententia; duos illos testes, futuros Henoch & Eliam. Lege S. Joannem Chrysostomum super secundum caput posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses, & B. Gregorium lib. 14. Moralium cap. ultimo, & in Homelia 12. super Ezechielem. Neque caret communis hic populi Christiani sensus, vel testimonio Sacræ Scripturæ, vel ratione probabili, prout infrà ostendemus.

III.

An simul cum Enoch & Elia sit etiam Ioannes Evangelista venturus in fine Mundi contra Antichristum.

Atqui S. Hippolytus Martyr in Oratione de consummatione Mundi, S. Antoninus 4. Par. Theolog. tit. 13. cap. 4. §. 2. Metaphrastes in vitis Sanctorum, Ambrosius Catharinus super secundum caput Geneseos, & alii apud Suarez 3. Par. tom. 2. disput. 55. sect. 2. & apud Tannerum tom. 4. disput. 2. quæstione 4. dub. 1. numero 25. præfatis duobus testibus, tertium adiungunt, nempe S. Ioannem Evangelistam, quem existimant non esse mortuum, sed translatum esse in Paradisum terrestrem: ibique simul cum Enoch & Elia mansurum, usque ad tempus Antichristi. Videtur enim valde congruum esse, ut quemadmodum tres floruerunt in Mundo leges. Prima fuit lex naturæ, sub qua vixit Enoch: altera, lex Mosaica, cuius ardentissimus prædicator fuit Elias: tertia lex Evangelica & Christiana, quam S. Ioannes verbis pariter atque scriptis per totum Orbem publicavit; ita ex una quaque earum trium legum, unus aliquis existeret gravissimus testis, adversus Antichristum. Areta, qui ex Græcorum Patrum sententiis, Commentarios composuit in Apocalypsim, explanans ultima illa verba capitis decimi *oportet te iterum prophetare gentibus, populis, linguis, & Regibus multis*, nonnullos refert, ex hoc loco S. Ioannis argumentari voluisse, S. Ioannem adhuc vivere, & venturum extremo sæculo ad prophetandum contra Antichristum. Postquam enim rediit ex insula Pathmos, nusquam legitur S. Ioannes prophetasse multis Regibus, & Gentibus: nondum igitur illud vaticinium completum est, sed in posterum impleri debet. Verùm, infirma hæc est argumentatio. Illis namque verbis significatur, S. Ioannem, præter visiones Propheticas, quas habuerat usque ad illud tempus, alias complures, pertinentes ad varias gentes, deinceps habiturum; quæ nimirum visiones, in sequentibus capitibus descriptæ sunt. Vel significatur, & hoc similius veri multis videtur, S. Ioannem, postquam fuit ab exilio revocatus, id est, post scriptionem Apocalypsis, prophetaturum, id est, scripturum Evangelium, per quod ipse, plurimis Regibus, populis, & gentibus prophetavit, & usque in finem Mundi prophetabit. Neque verum est, quod isti sumunt quasi verum & certum, D. Ioannem nondum esse

Quidam affirmãt ex eo, quòd existimant Ioãnem nondũ esse mortuum, sed transfelatum in Paradisum terrestrẽ

mor-

mortuum, sed adhuc vivere: nam contrarium communiter hoc tempore sustinetur: quia perspicuum est Joannem Evangelistam senio confectum perijsse; sic enim sentit Ecclesia, ut patet, tùm ex Concilio Ephesino tom.2. cap.14. in Epistola Cœlestini, tùm ex publica festivitate, quæ in ipsius honorem celebratur, quia haud est mos Ecclesiæ, eorum qui necdum vita decesserunt, sed mortuorum duntaxat, festos dies anniversarios agere; eorumque memoriam in Templis publicè, Sacris Officijs atque Sacrificiis recolere; quod tamen per singulos annos facit erga Joannem: tùm ex ipsius reliquijs, quas diu Ephesi extitisse plures Patres affirmant. Vide Cæsarem Card. Baronium in Annalibus, Suarez sect. 3. & Tannerum loco citato.

Alii negant ex eo, quòd tenent Joannem fuisse mortuum, & id communiter hoc tempore sustinetur.

IV.

Duæ contra id objectiones.

Prima objectio.

Objicies primò, Lucæ 9. dicitur, ***Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortē, donec videant Regnum Dei***; sed non constat de quo hæc verba verificari possint, nisi de Joanne Evangelista, cùm alii Apostoli Martyrio coronati fuerint: ergo Joannes Evangelista nondum gustavit mortem, id est, nondum mortuus est. Respondeo, illa verba intelligenda esse de Transfiguratione, quæ non longè post prolationem illorum verborum facta fuit; sensus enim est. Sunt de hic stantibus, qui non peribunt, donec gloria Dei per Transfigurationem Christi aliqua ratione fruantur.

Responsio ad hanc objectionē.

V.

Secunda objectio.

Altera responsio.

Objicies secundò, Joan. ult. significari videtur Joannem Evangelistam nondum obijsse; dicitur enim, ***Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?*** quem locum alij legunt, ***Si eum volo manere***, alij, ***Si sic eum volo manere***. Respondeo, præfata verba non intelligi de exemptione à morte usque ad Judicij tempus, sed de exemptione à violenta morte per Martyrium; ***Sic eum volo manere, donec veniam***, videlicet, ut ipsum ad me recipiam. Ita S. Augustinus, S. Thomas, & alij apud Suarez 3. Par. tom.2. disput.55. sect. 3. col. 4. Alij putant Christum locutum quidem fuisse de secundo Adventu suo, sed conditionata locutione, ut curiositatem Petri eluderet. Ita S. Joan. Chrysostomus Homil. 1. in Joannem.

VI.

Utrum Enoch & Elias etiam nunc mereantur.

Quæret autem fortassis aliquis, an nunc Henoch & Elias sint in statu merendi, cui Respondeo negativè: quia non sunt propriè viatores, & quodammodo sunt extra viam, licèt non sint omnino in termino. Ita Suarez tom.2. in 3. Par. disp.55. sect.1. & alij, quos refert & sequitur Bonacina in Tract. de gratia, contra Tannerum tom.4. disp.2. quæst. 4. dub.1. n. 28. & alios asserentes ipsos adhuc esse in statu merendi, & mereri, quia non videntur deterioris conditionis alijs viatoribus, præsertim cùm probabile sit fore, ut ipsi diutius vixissent, nisi præmaturè à Deo in alium locum translati fuissent. Verùm hæc ratio solvitur ex ratione à me allata. Itaque

licèt pars affirmativa sit aliquo modo probabilis, tamen nos cum Suarez dicimus probabiliorem esse partem negantem; quod enim nobis est mors, Henoch & Eliæ videtur fuisse translatio; & sicut probabile est, non subjacere eos passionibus corporis, ita nec posse peccare, verisimile est. Esse autem extra peccandi periculum, probatur ex eo, quod dicitur de Henoch Sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, &c.* Dices, miserabilem esse horum Sanctorum sortem, cùm & visione Beatifica non fruantur, & nihilominus non mereantur; videntur enim in eo statu esse, in quo erant olim Patres in Limbo. Respondeo, non deesse Deo infinitos modos, quibus hos Sanctos consoletur & lætificet, compensetque carentiam merendi, & perfectæ Beatitudinis dilationem. Quare S. Bernardus lib. 6. de Ascensione Domini felices eos vocat dicens: *Felices viri illi, per quos Divina Ascensio legitur præsignata: Henoch raptus, translatus Elias, felices sanè, qui soli jam Deo vivunt, soli vacant intelligendo, diligendo, fruendo.* An verò brevi aliqua Divinæ essentiæ visione donati unquam fuerint, si verum esset, quod aliqui asserunt, fuisse hoc privilegium Moysi & S. Paulo concessum, nec ipsis ego denegarem. Maximam tamen eorum consolationem esse existimo, quòd sciant, se aliquando sanguinem pro Christo profusuros; nam, si Beati in Cælo invidiæ capaces essent, non de alia re, quàm, quòd possimus hic pro Deo pati, nobis inviderent; & S. Ioan. Chrysost. ajebat, si optio sibi daretur, an Angelus vellet esse, qui S. Petrum carcere liberavit, an Petrus vinculis pro Christo alligatus, malle se Petrum esse, quàm Angelum; *Si quis*, inquit ille Hom. 8. in Epist. ad Ephesios, *mihi diceret; quid malles, an esse Angelus, qui Petrum pupugit, an Petrus qui salvus evadit? Mallem esse Petrus, propter quem venit Angelus*: & suprà dixerat: *Si quis mihi daret totum Cælum, aut illam catenam, ego eam præferrem; si quis me apud Superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem, & vincula; si quis me faceret unum ex Potestatibus, quæ sunt circa Cælos, aut circa Thronos, aut talem vinctum, potiùs optarem talis esse vinctus: nihil est illa catena Beatius*; & rursus: *Mihi optabilius, & magis eligendum mala pati pro Christo, quàm honorari à Christo.* Mitto alia præclarissima, quæ hic Sanctus amore patiendi captus in vinculorum pro Christo amore protulit laudem. Cùm igitur hi Sancti sciant, se pro Christo tandem vincula, & cruciatus passuros, mirum in modum lætantur, libenterque se interim Divina visione carere patiuntur.

Henoch & Elias Divina visione non fruuntur.

Henoch & Elias licèt Divina visione non fruantur, tamen solatiū capiunt, quia sunt pro Christo passuri.

Pati pro Christo quàm desiderabile.

Cælo à S. Ioanne Chrysostomo præfertur.

VII. Verùm circa tempus adventus Enoch & Eliæ, sunt qui scribant eos esse venturos ante Antichristi exortum. In qua sententia sunt S. Victorinus in Apocalypsim, & Rabbanus in Opusculo de Antichri-

christo: quibus assentiuntur aliqui Recentiores, nempe Auctor Compendij Theologiæ lib.7. cap.12.& Dominicus Soto in 4. Sententiarum dist.46. quæst.1. art.1. Itaque secundum eos Henoch & Elias sunt anticipaturi tempora Antichristi, qui Regnum suum (ut sæpè suprà varijs in locis ostensum est) propagabit tùm armis, tùm dolis & fraudibus, omnique arte, ac prosperabitur, facietque quæcunque volet, inquit Daniel: ita ut è decem Regibus, inter quos tunc divisum erit Romæ Orbisque Imperium tres profliget atque interficiet, mox cæteri septem territi sponte ei se subdituri sint, Apocal. 13. ver. 7. sicque Antichristus fiet Monarcha non tantùm Romani Imperij, ut loquitur S. Joan. Chrysostomus, aut Provinciarum Asiæ, Aphricæ & Europæ, in quibus Fides & Ecclesia diutiùs viguit; sed, ut videtur, etiam Indiarum & totius Orbis, inquit S. Hieronymus in cap. 11. Danielis, & S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 11. Partim enim per se, partim per suos duces, & ministros Orbem lustrabit & subiget.

Utrum Enoch & Elias sint venturi ante Antichristum, an sub Antichristo.

Opinio nonnullorum.

Antichristus regnum suum propagabit per totum Orbem.

VIII.

Ac communis sententia tenet, Henoch & Eliam esse venturos eodem prope tempore, quo Antichristus regnum & tyrannidem, atque adversus Ecclesiam bellum auspicabitur. Hinc Otho Phrisingensis Episcopus lib.8. Historiarum cap.5. *Prædicante autem* (inquit) *ipso*, nempe Antichristo, *humanumque genus, & præcipuè Judaicum populum seducente, Enoch & Elias, qui adhuc superstites sunt, venturi creduntur, ut eorum, quorum unus ante legem, alius sub lege fuerunt, auctoritate Mundus errore deceptus, ad agnitionem veritatis redeat.* Hucusque Otho. Vide Robertum Card. Bellarminum lib.3. de Rom. Pontifice cap. 5. Riberam in 11. Apocal. Suarez Disput. 55. tom.2. Josephum Acostam lib.3. de Novissimis Temporibus, Florimundum lib. de Antichristo cap.43. & alios. S. Vincentius Ferrerius Epist. ad Benedictum XIII. contrarium existimantium opinionem manifestissimè confutat. De Enoch autem & Elia sermo est in Apocalypsi cap. 11. ubi S. Joannes prænunciata extremi illius temporis vexatione Ecclesiæ, hæc ver. 3. subjungit: *Dabo duobus testibus meis*; os nempe & sapientiam, cui non poterunt resistere adversarij. *Et prophetabunt*, vel brevi futurum prædicentes finem illius persecutionis, extincto Antichristo, & mox venturo ad judicandum Mundum Christo Domino: vel prædicantes Fidem Christi, & Divinam Scripturam interpretantes, & Antichristi mendacia detegentes ac redarguentes. *Diebus mille ducentis sexaginta*. Hoc tempus continet tres annos circiter & dimidium annum: tanto enim tempore prædicaturos Eliam & Enoch, antiqua traditione proditum, & à Patribus confirmatum est, ut infrà patebit. *Amicti saccis*, id est, amicti cilicijs: saccus enim rudis, durus

Communis sententia tenet, Enoch & Eliam esse venturos in initio persecutionis Antichristi.

De Henoch & Elia sermo est in Apocalypsi cap. 11. ver 3.

Prophetia Henoch & Eliæ ex Oraculo Apocalypsis.

Quot annis Enoch & Elias sint prædicaturi contra Antichristum.

Enoch & Elias vestiētur ciliciis, faccisque induti prodibunt instar Cappucinorum & Eremitarum.

durus & scaber carni injectus, est instar cilicij. Ciliciis ergo vestientur Elias & Henoch, faccisque induti prodibunt instar Cappucinorum & Eremitarum, tùm ut hac aspera pœnitentiæ veste ac vita iram Dei mitigent, eumque hominibus concilient; tùm ut homines ad pœnitentiam suo habitu, voce & exemplo provocent.

Quænam verbo & exemplo sint acturi Enoch & Elias tempore Antichristi.

Itaque non solùm verbo, sed etiam habitu ipso, pœnitentiam prædicabunt. Deinde Evangelista comparat eos duobus candelabris & duabus olivis. Candelabra dicuntur, quia in densissima illa persecutionis caligine, lucem veritatis hominibus ostendent. Olivæ appellantur, quasi oleo Spiritus Sancti, per gratiam, largissimè uncti: vel quia magnam exercebunt misericordiam, afflictos consolando, infirmos roborando, nutantes in Fide fulciendo, denique sustentando omnes promissione Divini auxilij, mox ipsis, Antichristo perempto, affuturi.

S. Joannes comparat Enoch & Eliā duobus candelabris & duabus olivis.

IX.

Peculiaris mentio fit de persona Henoch Ecclef. 44 verf. 16. cujus authoritate Auctor prodit esse certum & indubitatum, adhuc in terris extare Paradisum terrestrem.

Peculiaris verò de persona Henoch mentio fit Ecclef. 44. ver. 16. *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*. Cujus sensus est, Henoch asservari vivum in Paradiso terrestri, ut extremo Mundi, & Antichristi tempore veniat, & hominibus pœnitentiam prædicet. Hinc patet esse certum & indubitatum id quod suprà diximus, Paradisum terrestrem adhuc extare in terris. Si dicas in Græco non esse vocem illam *in Paradisum*. Contra est vulgati Interpretis auctoritas, qui illam adjecit, quia in Græcis codicibus, seu originali textu suo tempore legit; vel quia Divino impulsu novit hanc esse mentem Auctoris, & communem Ecclesiæ sensum esse vidit. Objiciunt aliqui, quia si extaret adhuc Paradisus integer, ab aliquo fuisset inventus: at à nemine unquam inveniri potuit: ergo non extat. Respondet ad hanc objectionem S. Thomas ubi suprà ad 3. quòd locus ille seclusus est à nostra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium, vel marium, vel alicujus æstuosæ regionis, quæ pertransiri non potest. Et ideò Scriptores locorum de hoc loco mentionem non fecerunt. Nec est, qui de illius inventione gloriari possit. Si in medio fermè Hispania, provincia cultissima, non ante plurimos annos in profundissimis vallibus, editissimarum rupium muro consceptis, novæ gentes, antea ignotæ detectæ sunt, quas Bacuecas vocant: quæ tàm longo tempore occultari potuerunt; quid mirum in secretissimis vastissimis Orientis recessibus posse singulari Dei providentia, nunc occultum & ignoratum servari Paradisum? Consule 2. Partem nostri Divini Theatri Tract. 12. fol. 245. num. 52. & fol. 246. num. 57. Itaque Enoch in Paradisum terrestrem, qui à Deo conditus fuit in Orientis partibus sub Zona temperata, translatus est, ut sub extrema Mundi tempora veniens, sua prædicatione, &

Obiicies nonnullorum, qui negāt modò perseverare in terris Paradisum terrestrem.

Responsio Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis.

bonos

bonos confirmet, & malos ab Antichristo seductos, corrigat, atque ad pœnitentiam adducat. Sanè, cùm adhuc vivere Enoch, certum sit, ut docet S. Augustinus lib. 2. de natura & gratia, contra Cælestium & Pelagium, capite vigesimo tertio; nulla profectò alia idonea ratio esse potest, cur is, tot millia annorum, tanto Divinæ potentiæ miraculo servetur in vita, nisi quia instante Mundi hujus dissolutione, testis veritatis Christianæ venturus est, adversus Antichristum. Hinc valde miror S. Victorino, qui in commentarijs suis in Apocalypsim, enarrans caput undecimum, affirmat loco Enoch venturum esse Hieremiam; idque colligi putat ex illis verbis Domini, quæ sunt in capite primo Hieremiæ, *Antequam exires de vulva sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te*. Sed Hieremias, adhuc non prophetavit gentibus: nam olim cùm vixit, solis Judæis prophetavit: ergo venturus etiam num est, ut prophetet gentibus, scilicet tempore Antichristi. Verùm, leve est hoc argumentum. Nam propterea Hieremias dicitur prophetasse gentibus, quia non tantùm prophetavit in Judæa, sed etiam in Ægypto, & in Babylonia, videlicet per scribam suum Baruch, & per Epistolam quam scripsit ad Iudæos, qui in Babylonia morabantur. Vel quia non tantùm prædixit exitium Judæorum; sed etiam aliarum gentium, ut Ægyptiorum, Moabitarum, Ammonitarum, Philistinorum, denique Chaldæorum.

Utrum in loco Enoch Hieremias sit cum Elia venturus tempore Antichristi.

X.

Itaque non Hieremias, sed Enoch in propria persona venturus est tempore Antichristi, & licèt S. Hilarius, & alij, quos suprà ostendimus, existiment loco Enoch venturum esse Moysen; tamen communis Patrum & Doctorum sententia asserit, ipsummet Henoch venturum esse, quia Scriptura loquitur de Henoch & Elia, non autem de alijs. At de persona Eliæ in primis peculiare testimonium habetur Eccles. 48. ver. 10. his verbis: *Qui scriptus es in judicijs temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, & restituere Tribus Iacob.* Loquitur Ecclesiasticus de Elia Propheta in propria persona, cujus prædicatione in fine sæculi Judæi convertendi sunt ad Christi Fidem. Sed horum conversio incipiet postquam Antichristus, repudiato vero Deo, seipsum verbis & factis verum Deum, unicum ac supremum Mundi opificem esse magna asseveratione propalam affirmabit, ac nullum alium præter se solum esse verum Deum asseret: quod non nisi ultimo forsitan anno suæ supremæ tyrannidis impius est patraturus. Tunc enim abnegato Messiæ Judæorum nomine, eaque gente vilipensa, Dei nomen nefariè rapturus est, cùm sit verisimile Deum Optimum Maximum haud passurum diutiùs vivere hominem tàm impium ac blasphemum. Atque hinc haud inepte diximus futurum ini-

Moses non est venturus cum Elia tempore Antichristi.

Primum peculiare testimonium de persona Eliæ habetur Eccles. 48. ver. 10.

Iudæi in fine sæculi prædicatione Eliæ convertendi sunt ad Fidem Christi.

Eorum conversio quando incipiet.

initium conversionis Judæorum ad Christi Fidem, cùm miseri invenerint se irrisos & delusos ab Antichristo, cùm & legem Mosis quam tunc instaurandam, & deinceps in æternum stabiliendam putabant, viderint sic repudiari atque repelli, Messiamque suum tantoperè expetitum & exoptatum, quem ipsi unicè colerent, ita Messiæ proculcato nomine de repente in procacissimum blasphemum evasisse. Sic igitur spe frustrati, opinione exclusi, ab Antichristo neglecti, omnibus contemptui habiti, malis attriti, mærore confecti, illucescente tandem Divinæ lucis radio, revertentur & quærent Dominum Deum suum, & verum Christum Regem suum.

XI. Deinde fit peculiaris mentio de Elia Malachiæ 4. vers.5. ubi Dominus Iudæis promittit: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Sermonem esse de Elia Thesbite Propheta in propria persona, & de adventu Domini ad universale Iudicium, indicant verba illa, *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*: quo, haud dubiè significatur secundus Domini adventus, qui futurus est magnus & horribilis, cujusque testis & præco futurus est Elias: ergo Malachias loquitur propriè & secundum literalem sensum de Elia Propheta, & non de Ioanne Baptista, ut putavit Iansenius, explanans eundem Malachiæ locum.

Secundum peculiare testimoniũ de persona Eliæ, qui cum Henoch venturus in fine Mundi precursor adventus Domini ad Judicium, habetur Malach. 4. vers.5.

Animadversio in Iansenium.

Nam quod ait Iansenius super illis verbis, Auctorem libri Ecclesiastici, secutum esse receptam suo tempore Iudæorum opinionem, qui existimabant, Vaticinium Malachiæ pertinere ad personam Eliæ Prophetæ, qui antecessurus esset Messiam: cùm id tamen non esset implendum in propria persona Eliæ, sed in Ioanne Baptista, qui præveniens primum Christi adventum, in spiritu & virtute Eliæ venturus erat, sicut ab Angelo Gabriele, & à Christo Domino declaratum est in Evangelio: hoc, inquam, nec mihi placet, nec opinor, doctis & pijs viris placebit. Quale enim est, Sacrum & Canonicum Scriptorem, in Scriptura Canonica secutum esse, vel falsam, vel incertam hominum opinionem: in quo ipse, vel falsus sit, vel alios sibi absque dubitatione, ut par erat, credentes, fefellerit, atque in errorem induxerit. Nec obstat, quòd Christus Dominus Matth. 11. ver. 13. metaphoricè & allegoricè loquens, nomen Eliæ adscribat Ioanni Baptistæ, dum ait Iudæis, *Etsi vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est*: nam quasi dicat, Si vultis Ioannem recipere, eique credere ut debetis (unde Syrus vertit in Imperativo: *Si vultis recipite*) ipse erit vobis Elias, quia spiritu & virtute Eliæ præditus vos ad Deum & Christum convertet, uti Elias vestros nepotes & posteros, in fine Mundi ad eundem Christum, simili zelo

Causa, quare Christus Dominus noster nomen Eliæ adscribat Ioanni Baptistæ.

ac

ac vitæ austeritate & puritate convertet. Itaque mysticè Christus Dominus dixit Iudæis, quòd Ioannes Baptista erat Elias, qui venturus est, non quòd eadem anima, ut hæretici suspicantur, & in Elia & Ioanne fuerit, sed quòd eandem habuerint Sancti Spiritus gratiam, zona cinctus, ut Elias; vivens in eremo, ut Elias; persecutionem passus ab Herodiade, ut ille sustinuit à Jezabel; ut quo modo Elias secundi præcursor adventus est, ita & Ioannes venturum in carne Dominum Salvatorem, non solùm in eremo, sed etiam in matris utero salutarit, & exultatione corporis nunciarit. Igitur Ioannes Baptista fuit Elias propter quadruplicem similitudinem. Primò per auctoritatem, quia sicut Angelus dicitur similis Angelo, quia pares in officio, sic & Elias & Ioannes pares sunt officio, quia uterque præcursor. Lucæ 1. *Ipse præibit ante faciem Domini parare vias ejus, &c.* Secundò propter similitudinem vitæ: nam sicut fuit Elias vir Eremicula, qui in monte Carmeli morabatur; ita Ioannes semper habitavit in Eremo ex annis teneris, usque ad trigesimum annum, quãdo cœpit prædicare, ut colligitur Lucæ primo & tertio. Item, in similitudine victus & vestitus: nam sicut Elias manens in deserto comedebat cibos deserti, ita & Ioannes vinum & siceram non bibit, sed nec comedebat quicquam, nisi locustas & mel silvestre Matth. cap. 3. vers. 4. Sic & in vestitu: nam Elias accinctus erat zona pellicea circa lumbos, & vestibus de pellibus, quarto Reg. 1. sic & Ioannes vestiebatur pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos accingebatur, Matth. ubi suprà. Quartò ac ultimò quantùm ad persecutionem, quia sicut Elias (ut audisti) persecutus est à Iezabel, ita Ioannes ab Herode. Unde si vultis accipere secundum quod accipi debet, ipse est Elias. Et ut ipsi intelligant, quòd istud dictum est mysticè, uti ostendimus, subdit: *Qui habet aures audiendi audiat*, id est, qui habet aures spiritualiter audiat & intelligat.

Ioannes Baptista fuit Elias propter quadruplicem similitudinem.

XII.

Tertiò peculiare testimonium de persona Eliæ habetur in Evangelica Historia, in qua ille à Christo Domino vocatus est. Cùm enim post Transfigurationem ex Monte reverterentur, rogarunt discipuli magistrum Matth. 17. dicentes: *Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oportet primùm venire?* seu, ut Marc. 9. habetur: *Quid ergo dicunt Pharisæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?* occasione videlicet arrepta, quòd cum in Thabor cum Moyse vidissent. Christus verò ait illis: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit*; seu, ut apud Marcum dicitur: *Elias cùm venerit, primò restituet omnia, & quomodo scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur, & contemnatur. Sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi, quæcun-*

Tertium peculiare testimoniũ de persona Eliæ habetur in Evangelica Historia, in qua ille à Christo Domino vocatus est.

Duos Elias distinguit Christus Dominus, unum typicum, alterû realem.

cunque voluerunt. Quibus verbis, ut ex ferè communi Patrum expositione constat, duos Elias distinguit Christus, alterum typicum, alterum realem, de illo dicit, *jam venit*, de isto, *venturus est*, ille fuit Ioannes Baptista, iste erit verus Elias venturus in fine Mundi; & tunc restituturus seu reducturus Iudæos ad Fidem Christi, conformiter ad illud, quod Malachias & Ecclesiasticus dixerunt: *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*. Et, *Lenire iracundiam Domini, & restituere Tribus Iacob.* Hoc est, collapsas à vetere, veraque patrum Fide ac Religione in pristinam & avitam pietatem restituet: per cæcitatem & perfidiam fractas & dissipatas, ostensa Fidei luce, redintegrabit. Sed locus Malachiæ multiplices fert interpretationes. Prima, *Cor patrum*, hoc est, mentem, Fidem, Religionem antiquorum patrum Abraham, Isaac, Iacob, & Prophetarum, qui in verum Christum crediderunt, convertet, adducet, immittet in filios, Judæos scilicet, qui erunt tempore Antichristi, qui ex eorum sanguine descendent. *Et cor filiorum ad patres eorum*, id est, efficiet ut Iudæi consentiant, & adhęrescant menti Fideiq; patrum suorum. Ita S. Hieronymus in 4. Malachiæ, S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 29. S. Gregorius lib. 11. in Iob, & alij. Secunda, *Cor patrum*; id est, Iudæorum ad filios, id est, Christum & Apostolos, seu Christianos, quòd Iudæi patres habeantur Christianorum, quia primitiæ Christianorum ex Iudæis fuerunt, ex quibus reliqui Christiani sunt propagati. *Et cor filiorum ad patres*; nimirum Christianorum ad Iudæos, hoc est, ut Iudæi credant Christianis, & Christianorum Fides & Religio infundatur Iudæis. Ita S. Chrysostomus in Matthæi 17. S. Victorinus in Apocalypsim, Theodoretus in 4. Malachiæ, Euthymius in 17. Matthæi, S. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 27. Tertia, ut Patriarchæ ac Prophetæ reconcilientur Iudæis, quibus modò ob incredulitatem infensi sunt: nam tunc cùm convertentur per Eliam, eos amabunt, eritque inter utrosque mutua reconciliatio. Ita S. Hieronymus ubi suprà, S. Augustinus loco citato, Venerabilis Beda in 1. Lucæ, Palatius in 4. Malachiæ, & Iansenius cap. 2. Concord. Quarta, ut coniunctim intelligatur: *Convertet cor patrum ad filios, & filiorum ad patrum*. Hoc est, ut Iudæi, qui tempore Antichristi erunt, tàm patres quàm filii simul in unum cor, mentem, sensumque Fidei conspirent. Nimirum ne tunc inter patres & filios sint dissidia Religionis, sed ut tàm patres quàm filii communi, concordique corde in Christum credentes, in una communicent Divina pietate: sitque illis cor unum, & anima una in Domino. Ita Maldonatus in 1. Lucæ ver. 17. Figuerius in 4. Malachiæ.

Obiicitur ex verbo Dei apud Malachiam & Ecclesiasticum Judæos in fine sæculi cõvertẽdos ad Christum prædicatione Eliæ Prophetæ.

Locus Malachiæ quadrupliciter explicatus.

Patriarchæ & Prophetæ reconcilientur Iudæis in fine Mundi.

XIII. Itaque Elias Thesbites in sua persona venturus in fine sæculi, Iudæos

Iudæos tunc conversurus: præterea si quæ in Ecclesia loco mota, immutata, collapsa, aut quovis modo læsa fuerint, instauraturus, suis locis repositurus, atque cuncta integrè restituturus: ut sit tunc Ecclesiæ status quod ad mores & disciplinam attinet, integerimus. Insuper facturus pacem inter Gentilem & Judaicum populum tanto jam tempore discordes, ut uno fœdere in eandem coeant Religionem ac Fidem Christianam, Apostolicoque illo suo zelo omnia ad avitum illum & primigenium nitorem & splendorem, qualis tempore Apostolorum fuit in Ecclesia, reparaturus, ut Sanctitatis Religionisque puritas mirificè floreat. Et hæc breviter insinuare voluisse Christum Dominum, indicant ejus verba suprà relata Matth. 17. ver. 11. *Elias quidem venturus est primùm, & restituet omnia.* Et meritò hæc Christi verba variè exponuntur à Patribus & Interpretibus. Primò, *Restituet omnia*, id est, perturbatos Antichristi persecutione in Fide solidabit. Ita S. Augustinus lib. 1. de Conf. Evangelis. cap. 21. Secundò, *Restituet omnia*, hoc est, docebit vos omnia. Tertiò, *Restituet omnia*, id est, Iudæos ad Christum quasi Messiam ipsis & patribus promissum, convertet. Nam est traditio Pharisæorum juxta Malachiam Prophetam, quòd Elias veniat ante adventum Salvatoris nostri, & reducat cor patrum ad filios, & filiorum ad patres, & restituat omnia in antiquum statum. Restituet ergo omnia, primò videlicet corda hominum illius ævi instituendo ad credendum Christo Domino, ac resistendum perfidiæ Antichristi.

Elias in propria persona propè Mundi occasum venturus est, Iudæos tunc est conversurus, Ecclesias instauraturus, & pacem inter Gentilem & Iudaicum populum facturus.

Traditio Pharisæorum juxta Malachiam de Elia venturo in propria persona, & restituturo omnia in pristinum statum.

Nec modo quod diximus de Elia, proditum est ex Sacra Scriptura, sed etiam à Patribus. Etenim S. Ioannes Chrysostomus Homil. 58. in Matthæum elucidans illud Malachiæ: *Mittam vobis Eliam Thesbitem*, sic ait: *Quod dixit, ut expressè significaret, ante illum adventum, quo Iudicium exercetur, Thesbitem esse venturum, causam quoque cur venturus sit, docuit. Quænam verò causa est? Ut Judæis credere in Christum persuadeat, ne omnes simul condemnentur: quam rem ipse in memoriam reducens, inquit: Et restituet omnia: incredulitatem videlicet Iudæorum, qui tunc erunt residui, ad Fidem convertet.* Et post alia: *Quomodo igitur credituri sunt inquies? Siquidem Elias cuncta restituet, non modo sane, quia notus: verùm etiam quoniam usque ad illum diem amplior magis, atque amplior gloria Christi solaribus radiis erit fulgentior, ad quæ omnia cùm prædicatio illius accedat, ad Christi Fidem impellens, facillimè suscipient.* S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 29. *Per hunc*, inquit, *Eliam magnum mirabilemque Prophetam, exposita sibi lege, ultimo tempore ante Iudicium, Iudæos in Christum Dominum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus, cordibusque fidelium. Ipse quippe ante adventum Iudicis Salvatoris, non immeritò venturus*

Non solùm tradit Sacra Scriptura, sed etiam Patres produnt, Iudæos per Eliam esse credituros in Christum Dominum nostrum.

rus creditur. Cùm venerit ergo, exponendo legem spiritaliter, quam nunc Judæi carnaliter sapiunt, ad Christum verum eos conuertet. Theodoretus sic loquitur in 12. Danielis: *Antichristo illa audente, apparebit magnus Elias, Judæis Domini prædicans aduentum: & multos conuertet; id enim significat: Conuertet cor patris ad filium.* Et post alia: *Hæc faciente Antichristo*, id est, sæviente in bonos Antichristo, *Sanctus Michael Archangelus omnia molietur, ut Elias adueniens, Domini prænuntiet aduentum; quo Iudæi, qui tunc extiterint, salutem consequentur.* Quocirca rectè Christus Dominus illi tribuit restitutionem omnium, quia videlicet Iudæos ab Antichristo deceptos prædicatione sua veræ Fidei restituet, id est, cōvertet ad Dominum, & damna ab Antichristo Ecclesiæ illata auctoritate & spiritu suo resarciet.

Elias Iudæos ab Antichristo deceptos prædicatione sua veræ Fidei restituet, hoc est, convertet ad Dominum, & damna ab Antichristo Ecclesiæ illata auctoritate & spiritu suo resarciet.

XIV. Sed Iudæorum conversio non solùm fiet per Eliam, sed etiam per præfatum Henoch. Itaque per eos credituri sunt Iudæi in fine Mundi, ut asserit S. Hieronymus in Psalmum 20. & confirmat S. Gregorius Homil. 12. in Ezechielem: nam ibi hunc fermè in modum ait: *Sed quia Henoch & Elia prædicante multi ex his qui tunc ex Judæis in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redeunt, sicut de eodem Elia dicitur: Elias veniet, & restituet omnia, tunc velut in extremo os Prophetæ aperitur, cùm in prædicatione Enoch & Eliæ Iudæis ad Fidem redeuntibus, Prophetia Sacri eloquii de Christo fuisse cognoscitur.* S. Gregorio accedit S. Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 27. nam ibi ita scribit: *At verò mittentur Henoch & Elias Thesbites, & patrum corda in filios, hoc est, Synagogam ad Dominum Iesum Christum, & Apostolorum prædicationem conuertent.* Idem tradit Ambrosius Ansbertus in 11. Apocalypsis, cùm inquit: *Iudaica plebs Antichristo adhærebit, usque quo Henoch & Elia prædicantibus, qui ex ea fuerint saluandi, reuertentur ad Christum.* Nec ab eo dissentit Alcuinus lib. 3. de Trinitate cap. 19. cò quòd ibi ita asserit: *Per quorum*, nempe Eliæ & Henoch, *doctrinam populus Israeliticus conuertetur ad Fidem.* Ambrosiaster in 11. Apocalypsis præfatorum Scriptorum vestigia sequens, hæc habet: *Constat Iudæos in fine Mundi prædicatione Eliæ & Henoch ad Fidem Christi esse conuertendos.* Ita ille. Prætermittimus ea de re plures aliorum sententias congerere, quòd hæc semper fuerit constans, certaque in Ecclesia omnium persuasio, & firma assertio ex Divinis Scripturis, & ex Patrum perenni consensione accepta, Iudæos in fine sæculi per doctrinam Henoch & Eliæ, ac eorum miracula, de quibus infrà dicemus, ad Fidem Christi esse reducendos.

Conversio Iudæorum non solùm fiet per Eliā, sed etiam per Enoch.

Traditio Patrum Iudæos convertendos ad Fidem Christi per Enoch & Eliam circa finem sæculi.

XV. Sed illud hic quæri potest, utrum in fine Mundi, omnes Judæi sint ad Christi Fidem convertendi. Affirmant id multi: nam omnes

Ju-

Judæos tunc amplexaturos Fidem Christi, non dubiè videtur nos docere S. Paulus in undecimo capite Epistolæ quam scripsit ad Romanos; sic enim ait: *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fiet.* Vult igitur S. Paulus, omnem Israel, ultimo illo tempore, futurum esse salvum credendo in Christum. Quod erit circa terminum Mundi, prædicantibus Enoch & Elia, qui patefacta Antichristi nequitia, populum Judæorum tunc superstitem existentem convertent: quemadmodum per Prophetam Dominus protestatur, *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magna & horribilis: & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres*: de qua etiam finali Iudæorum conversione & longa eorum interim desolatione scriptum est per Prophetam, *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephot, & sine Teraphin. Et post hæc reuertentur filii Israel, & quærent Dominum Deũ suum, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in nouissimo dierum.* Per Dauid autem omnes intelligunt Christum. Sicut scriptum est apud Isaiam cap. 59. ver. 20. secundum translationem Septuaginta: *Venit ex Sion*, id est, ex populo Iudæorum nascetur & egredietur Christus, *Qui eripiat* modo, quantum ad aliquos, *Et auertat* in fine Mundi communiter *Impietatem*, id est, infidelitatem & cætera vitia *Ab Jacob*, puta ab Israel; Iacob enim ab Angelo vocatus est Israel, Gen. 32. ver. 28. indeque omnes ejus posteri, puta Iudæi, vocantur familia Iacob, vel Israel. Itaque Christus Dominus circa finem sæculi iniquitatem à populo Judæorum auferet per prædicationem Henoch & Eliæ. Quare non defuerunt Patres, qui satis indicaverint, omnes qui tunc erunt, Iudæos, nullo excepto, credituros in Iesum Christum. S. Joannes Chrysostomus Homilia decimanona in præfatam S. Pauli Epistolam, explanans illa ejus verba, quæ sunt in eodem capite, *Quod si delictum illorum diuitiæ sunt Mundi, & diminutio eorum, diuitiæ gentium; quanto magis plenitudo eorum*, non dixit S. Paulus, ait D. Ioan. Chrysostomus, quanto magis conversio, vel correctio ipsorum, sed quanto magis plenitudo ipsorum, hoc est, quando universi ad Fidem accessuri sunt. Hoc verò dicens, ostendit tunc plus fore gratiæ donique Dei, ac prope totum. Ita Chrysostomus. S. Gregorius lib. 35. in Iob cap. 9. *Elia*, inquit, *prædicante quotquot inuenerit, colliget.* Et post pauca: *Ex plebe Iudaica quotquot inuenti fuerint, conuertentur.* Rabbanus in Opusculo de Antichristo: *Duo*, ait, *Prophetæ mittentur in Mundum, Henoch scilicet & Elias, qui contra impium Antichristũ, fideles Dei Diuinis armis præmunient, & instruent eos, & confortabunt,*

Utrum in fine Mundi, omnes Iudæi sint ad Christi Fidẽ convertendi.

Affirmant multi ex eo, quòd non defuerunt Patres, qui satis indicaverint, õnes, qui tunc erunt, Iudæos, nullo excepto, credituros.

bunt, & præparabunt electos ad bellum, docentes & prædicantes tribus annis & dimidio. Filios autem Israel quicunque eo tempore fuerint inuenti, hi duo maximi Prophetæ & Doctores ad Fidei gratiam conuertent, & à pressura tantæ turbinis in parte electorum inseparabiles reddent. Tunc implebitur quod Scriptura dicit, Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient. Hæc Rabbanus.

XVI. Præterea S. Thomas, Caietanus, & alii, ex præfato Apostoli loco asserunt omnes omninò Iudæos in fine Mundi convertendos & salvandos esse, prout asserit ibi D. Dionysius Carthusianus. Negant alii, & optimè: nam contrarium videtur nobis tradere S. Propheta Daniel cap. 12. refert enim dixisse sibi Angelum, eos duntaxat salvandos esse ex populo Hebræo, qui scripti in libro Vitæ inventi fuerint: id est, tantùm prædestinatos. Verba autem Danielis ita se habent: *In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit in libro.* Itaq; non omnis Israel, sed plurimi ex singulis ejus tribubus, excepta una tribu Dan, in fine Mundi convertentur & salvabuntur. Excipio tribum Dan, quia ex hac nulli signantur inter 144. millia signatorum ex 12. tribubus Israel, Apocal. 7. Vnde multi putant Danitas adhæsuros contribuli sui Antichristo. Sanè S. Hippolytus Martyr in lib. de Consumm. sæculi, & multi alii docent, quòd Antichristus præcipuos sectatores & propugnatores habebit Iudæos. Idq; satis significat Christus Dominus Ioan. 5. ver. 45. & Paulus Apostolus 2. Thess. 2. & 10. uti ostensum est suprà diversis in locis. Ad hoc, S. Ioannes in Apocalypsi ait, eos qui consentient Antichristo, eumque adorabunt, miserrimo exitu perituros. Ergo non omnes omninò Iudæi, sed multi, ac magna eorum pars, in fine Mundi convertentur per prædicationem Henoch & Eliæ ad Christum, ut apertè tradit S. Hilarius Canon. 26. in Matthæum: quoniam ibi sic ait: *Sicut pars Iudæorum per Apostolos credidit, ita & pars creditura est per Eliam.* Insuper, Theodoretus in Commentario præfati Danielis loci, & D. Gregorius Homilia duodecima in Ezechielem, produnt, non quidem omnes, sed multos tamen Iudæorum, Eliæ & Enoch prædicatione doctos atque permotos, Fidem Christi suscepturos. Sentiunt igitur præfati Patres non omnes Iudæos, qui extremo illo Mundi ævo futuri sunt, conversum iri ad Fidem Christi; aut æternæ salutis fore participes. Hoc enim expressè declaravit Angelus, cùm dixit Danieli, in illo tempore salvum esse futurum omnem populum Hebræum, qui inventus fuerit scriptus in libro. Illud enim, *qui inventus fuerit scriptus in libro*, restringit ac contrahit signum illud universale, *omnes*. Si enim omnes Iudæi tunc futuri essent salvi; Angelus simpliciter ac præcisè dixisset, *in illo tempore salvabitur omnis populus tuus:* præ-

Negant alii ex eo, quòd Daniel Propheta contrarium videtur nobis tradere cap. 12. referte enim dixisse sibi Angelum, eos duntaxat salvãdos esse ex populo Hebræo, qui scripti in libro Vitæ inventi fuerint.

Conclusio est, nõ omnes Iudæos, qui extremo illo Mundi ævo futuri sunt, conversum iri ad Fidem Christi per prædicationem Henoch & Eliæ.

præsertim cùm id audire ac nosse, lætissimum ac jucundissimum futurum esset Danieli. Et quamvis non omnes Iudæi, plerique tamen, eo tempore Fidem Christi sunt accepturi: ita ut tanta ejus populi credentium futura sit multitudo, ut propter eorum qui non sunt credituri paucitatem, omnis populus Hebræus, crediturus esse, verè dici possit. Nam quod plurimum est in aliquo genere, id humano quodam loquendi modo, simpliciter, *omne* appellamus. Quam loquendi rationem, ne ipsa quidem Divinæ Scripturæ gravitas & veritas respuit; solet enim generales quasdam sententias enunciare, quæ tamen non ex toto, sed plurimum maximaque in parte veræ sunt. Itaque maximus planè & ingens numerus Iudæorum tunc intraturus Ecclesiam, ac maior quam unquam antea futura illorum ad Ecclesiam accessio; non tamen omnes nullo dempto credituri. Neque S. Paulum, neque S. Patres secus docuisse existimamus cum Malvenda lib. XI. de Antichristo cap. XVII. Nam quod attinet ad verba Apostoli: *Omnis Israel salvus fiet*, notamus primùm dictionem, Omnis, vel totus, usu Sacræ Scripturæ significare interdum non omnes simpliciter nullo excepto, sed ingentem duntaxat aliquam multitudinem, ac plerunque particulam esse hyperbolicam. Sic illud 2. Reg. 16. ver. 12. *Ingressus est Absalon ad concubinas patris sui coram omni, vel universo Israel.* Et cap. 17. ver. 11. *Congregetur ad te universus, vel omnis Israel à Dan usque Bersabee quasi arena maris innumerabilis.* Sic illud, *Omnis Mundus post ipsum abit*. Sunt alia ejusmodi sexcenta loca, quorum non pauca exempla habes collecta à Rab. David Kimchio in lib. Radic. Galatino lib. 5. cap. 4. Fino lib. 7. cap. 5. Martino Cantapetrensi lib. 6. Hypotypos cap. 3. Emmanuel Sà in Hebraismis, aliisque.

Et licèt non omnes Iudæi, plerique tamen, eo tempore Fidem Christi sunt accepturi: ita ut tanta ejus populi credentium futura sit multitudo, ut propter eorũ qui non sunt credituri paucitatem, omnis populus Hebræus, crediturus esse, verè dici possit.

Dictio in primis Omnis, vel totus, usu Sacræ Scripturæ significat interdum non omnes simpliciter nullo excepto, sed ingentem duntaxat aliquam multitudinem, ac plerũque particula est hyperbolica.

Deinde vocula, Omnis, aliquando non de singulis generum, sed distributivè de generibus singulorum dicitur, ut illud Omne animal fuit in Arca Noe: sic illud Isaiæ 2. vers. 2. *Fluent ad eum omnes gentes*, hoc est, ex omnibus nationibus aliqui. Nec absurdè in loco Pauli Apostoli possit exponi: Omnis Israel, hoc est, ex omni Israele, ex omnibus tribubus Israel multi, ut diximus suprà. Denique cùm ait S. Paulus, *Omnis Israel*, subaudi, prædestinatus à Deo illo tempore convertendus, omnis Israel præordinatus à Deo ad Fidem. Et eodem tenore verborum ait S. Paulus; *Donec plenitudo Gentium intret, & sic omnis Israel salvus fiet*: at nullus est tàm emotæ mentis, qui non videat plenitudinem Gentium, id est, universitatem, seu multitudinem Gentium non intelligi ab Apostolo omnes nullo dempto Gentiles, sed numerum tantùm plenum definitum à Deo credentium ex Gentibus: sic Omnis Israel, hoc est, qui scriptus est in libro Vitæ. Hinc Oecumenius interpretans præfata verba Apostoli, hæc scri-

XVII.

Secundò vox, Omnis aliquando non de singulis generum, sed distributivè de generibus singulorum dicitur.

scribit: *Sicut non omnes ex omnibus Gentibus intraverunt, sed major pars, ita non omnes Judæi, sed ferè omnes salvabuntur.* Atque eodem modo interpretandos esse Patres, qui dixisse visi sunt omnes Iudæos, qui reperientur vivi in fine Mundi, amplexuros Christi Fidem, satis quisque eruditus intelligere poterit.

XVIII. At verò Henoch & Elias ante præfatam Iudæorum conversionem Ecclesias (ut suprà audisti) sunt stabilituri, & cum Antichristo præliaturi; cùm non ob aliam præcipuè causam venturi dicantur, nisi ut se Antichristo opponant, & Ecclesiam in illo summo discrimine conservent: nam venient ambo iis qui tunc erunt protestaturi, ne fallacibus Antichristi signis seducantur, ac liberè in faciem dicturi Antichristo: *Tu non es Christus, sed Antichristus*; atque asseclis ejus: *Vos non estis Christiani, sed Antichristiani*. Unde S. Ephrem Syrus in Sermone de Antichristo: *Mittet* (inquit) *misericors Deus Eliam Thesbitem & Enoch, qui palam populo prædicent, ne illi*, nempe Antichristo *credant, audacter clamantes atque dicentes: Antichristus hic est, atque seductor, & filius perditionis, ò homines, nullus illi prorsus credat impio: nullus vestrum terreatur; citissimè enim destruetur, dissoluetur que potestas illius.* S. Ambrosius in illud 1. Corinth. 4. *Puto quòd Deus nos Apostolos, &c.* sic ait: *Necessitates & pressuras passuri sunt Henoch & Elias, qui ultimo tempore futuri sunt Apostoli. Mitti enim habent ante Christum, ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias, ad resistendum Antichristo, quos & persecutiones pati & occidi lectio Apocalypsis testatur.* Verùm inito bello inter eos, & Antichristum, qui totam Christianam Religionem de medio auferre summa impietate conabitur, Ecclesia quæ tunc erit Hierosolymis, & in vicinis locis, truculentia persecutionis Antichristi conterrita, in loca deserta, semota, in antra, speluncasque ac invios saltus, loca cincta densissimis arboribus ac fruticibus, est fugitura, prout indicat S. Joannes in Apocalypsi cap. 12. ver. 6. cùm inquit: *Et mulier fugit in solitudinem*: quasi dicat: Cùm puer masculus, id est, heroes illi fortes per Martyrium rapientur ad thronum Dei, tunc mulier, hoc est, populus fidelis, putà cæteri Christiani & Sancti infirmiores tempore Antichristi fugient ad deserta & latibula; eo scilicet tempore, quo Elias & Henoch, eorumque asseclæ generosi palam & intrepidè cum Antichristo cominus decertabunt. Subdit autem S. Ioannes, *ut ibi pascant eam*, Episcopi scilicet, Pastores, Religiosi, aliique verbi Dei ministri submissi ab Elia & Henoch, pascent & confortabunt fideles in desertis profugos, *diebus mille ducentis sexaginta*. Tot enim diebus prædicabunt contra Antichristum Henoch & Elias. Porrò S. Victorinus Martyr, Aretas in 11. Apocal. Rabbanus in Opusculo de Antichristo, & alii ferè

Causa, quare Enoch & Elias sint venturi prope Mundi occasum.

Henoch & Elias Antichristo exprobrabunt.

Bello inter eos, & Antichristum inito, Ecclesia, quæ tunc erit Hierosolymis, & in vicinis locis, in solitudine se abscondet.

Utrum omnes Christi fideles tempore persecutionis Antichristi sint ad deserta & latibula fugituri.

Henoch & Elias prædicabunt cōtra Antichristum mille ducentis sexagintadiebus.

ferè obſervant tempus iſtud includi ſpatio trium annorum & ſex menſium:& voluiſſe Evangeliſtam hoc dierum numero tres annos & ſex menſes ſolares quidem Græcorum ac Latinorum, ad quos ſcribebat, more intelligi, aperta ſuadet ratio. Sed annotat Strabus in 11. Apocal. hos mille ducentos ſexaginta dies non explere tres annos & ſex menſes integros Solares, quibus graſſaturus eſt Antichriſtus: nam deſunt fermè viginti dies. Vnde quidam, ut Suarez tom.2. in 3.Par.diſput.5. ſect.2.cum Sancto Anſelmo in Elucidario dicunt, Henoch & Eliam 20. dies poſt exortam Antichriſti perſecutionem, ſuam prædicationem auſpicaturos. Alii verò, ut Malvenda,mactandos eſſe ipſos ab Antichriſto 20. dies ante ipſius mortem, uti ſuprà in præcedenti Tractatu propè finem demonſtratum eſt.

XIX.

Non omnes quidem Christiani ſunt fugituri à facie Antichriſti, quia fortiores ei reſiſtent, & per Martyrium rapientur ad thronum Dei; imbecilliores verò ad antra remota, ſpeluncaſq; aufugient.

Haud igitur omnes Chriſtiani tunc fugituri ſunt in deſerta, ſed fortiores ac in Fidei conſtantia validiores manſuri ſunt in Vrbibus ac præſertim Hieroſolymis Dei providentia ſelecti ad decertandum cum Antichriſto, & pro Religione fortiter occumbendum.Qui verò ſe non tantarum virium reputabunt, ut cum Antichriſto manus cōferant, aufugient; nam id ſemper licuiſſe & ſæpè ſæpiùs expediviſſe in Eccleſia, Patres Orthodoxi conſtantiſſimè ex verbo Dei, & certa traditione docuère contra deliria Montani, & hujus veneno tincti Tertulliani. Eritque ſingularis hæc Dei œconomia pro ſua Eccleſia invigilantis,ut multi Sanctorum ſe in ſolitudines ſubducant,ne Antichriſtus totam Eccleſiam occidione deleat, aut Martyriis extinguat; alioqui enim nullus furori ejus ſuperſtes videri potuiſſet. Nec dubitamus cum Malvenda lib.8. cap. 12. Henoch & Eliam clam in deſerta loca ad ibi deliteſcentes Chriſtianos ſæpiùs venturos, illoſque conſolaturos, ac omni exhortationum genere confirmaturos. Idcircò enim videri poſſit S. Ioannes dixiſſe Eccleſiam in deſertis manſuram dies 1260. quod erit (ut diximus ſuprà) tempus prædicationis Eliæ & Enoch, ut ab iſtis quoque incomparabilibus viris in ſolitudine eandem paſcendam ſignificaret. Sed cujuſnam Regionis erunt iſta loca,ad quæ Sancti tempore præfatæ tyrannidis Antichriſti confugient.Dico Arabiæ,quia in ea ſunt Regiones Idumæa,Moab, & Ammon, quæ juxta Vaticinium Danielis cap.11.verſ.41.ſolæ ſalvabuntur de manu Antichriſti, ſecundum interpretationem S. Hieronymi,qui illud ſic intelligit & interpretatur ex conſenſu omnium ante ſe Patrum. Verùm TheodoretusOrat.10.in Danielem,ut refert Malvenda lib.8. de Antichriſto cap. 13. exiſtimavit Antichriſtum parſurum iſtis Regionibus, quòd erunt earum incolæ tunc impii, & ſi qui pii inter eos reperientur, parum ferventes in opere Domini ſint futuri, quos nihil curabit Antichriſtus: verba Theodoreti ſunt hæc: *Secundum Hiſtoriam hos enim contemnet Antichriſtus,quaſi maxima*

Cujusnam Regionis extiterint iſta loca, ad quæ Chriſti fideles tempore tyrannidis Antichriſti confugient.

Idumæa, Moab, & Ammon, Arabiæ Regiones, ſolæ ſalvabuntur de manu Antichriſti, juxta Danielis Vaticiniū.

Opinio Theodoreti, & aliorum exiſtimantium Antichriſtum par-

parsurum istis regionibus, quòd erunt earum incolæ tunc impii, Antichristi sectatores.

xima eorum parte, impietate obstricta, & paucis illis, qui in ipsis pii fuerint, haud flagranti studio erga res Diuinas affectis. Ita Theodoretus. Sed & S.Ephrem Serm. de Antichristo ait: *Edom rursus & Moab unà cum filiis Ammon, illum ut verum Regem cum gaudio magno adorabunt, ipsiusque comprimis se propugnatores multa cum potentia ostendent.* Addunt aliqui hos populos futuros studiosissimos sectatores Antichristi, quos ut amicos in paucis charissimos sit habiturus.

XX.

Refellitur præfata Theodoreti & aliorū opinio ex præfato Danielis Oraculo, secundum interpretationem S. Hieronymi, qui illud, uti suprà ostensum est, intelligit & interpretatur ex consensu omnium ante se Patrum.

At pace præstantium Interpretum sit dictum, verbum illud, *Salvabuntur*, hunc sensum pati neutiquam posse videtur. Nam ex Hebræo ad verbum dicendum esset, *Evadent*, hoc est, liberabuntur, servabuntur, quod ingens beneficium significat, ut è manu prædonis & communis vastatoris tanquam è suprema peste liberentur, cùm ipse omnia invadere & opprimere conetur; id quod de impiis nequaquam aptè dicatur. Quanto congruentius S. Hieronymus suā & antiquorum hujus loci promens interpretationem, in hunc modum fatur: *Antichristus quoque Idumæum, & Moabitas, ac filios Ammon, id est, Arabiam relinquet intactam, quia illuc Sancti ad deserta confugient.* Hæc S.Hieronymus. Sic igitur intrepidè asserimus cum Malvenda ubi suprà in istis Regionibus, nempe Idumæa, Moab, & Ammon esse multa loca deserta, vastas solitudines, montes præruptos, profundissimos specus, cavernas, & recessus abditissimos (nam sunt partes Arabiæ desertæ) in quæ Sancti & fideles fugientes ex Hierosolymis, ac Judæa rabiem præfatæ persecutionis Antichristi se recipient & abscondent. Equidem vehementi adducimur conjectura hæc ipsa loca quæ nunc ex Daniele commemoramus, intellecta esse à S.Joanne cùm dixit (ut suprà audisti) Ecclesiam metu Antichristi fugituram in solitudinem: ad hunc enim Danielis locum respexisse Apostolum illo suo Vaticinio Isidorus Clarius & Hector Pinctus in 11. Daniel. annotarunt. Sunt autem Arabiæ deserta non longissimè dissita à Palæstina & Judęa, cùm sint Regiones confines. Id porrò indicare voluit Isaias 16. ver. 4. cùm inquit: *Absconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris: finitus est enim pulvis: consummatus est miser; defecit qui conculcabat terram.* Ait ergo Isaias: O Moab amaro illo tempore, quo Antichristi ubique inundante furore fideles mei ex Hierosolymis, ac Judæa ad te profugi current, latebras quærentes, in desertisque tuis habitabunt, sęu verius peregrinabuntur, & delitescent; tu eos ne prodas, sed benignè in tuis solitudinibus excipe, recepta, absconde: plura enim in tua Regione latibula reperient, ubi securè condantur: occulta eos à facie illius truculentissimi vastatoris, & prædonis humani generis.

In Idumæa, Moab, & Ammon sunt multa loca deserta, vastæ solitudines, montes prærupti, profundissimi specus, cavernæ, & recessus abditissimi, in quæ Sancti, & fideles fugientes ex Hierosolymis, ac Judæa rabiem tyrannidis Antichristi se recipiēt & abscondent.

ris. Quia brevi pulvisculus ille, terræ filius homuncio Antichristus miserrimus mortalium, Orbis conculcator de medio tolletur atque delebitur. Sed eo regnante multi infrà ostendendi asserunt, quòd Arca veteris Testamenti, quam iussu Dei fecerat Moses de lignis Sethim, quæ sunt imputribilia, revelabitur, & prodibit in publicum, è petraque in quam Hieremias Propheta eam curavit absorberi, quasi resurgens emerget in lucem, nimirum Angelorum ministerio educetur è rupe, reponeturque in monte Sina, qui est in Arabia, & circum illam in eo monte congregabuntur extemplo multæ copiæ Sanctorum, hoc est, Christianorum, ut eam servent ac custodiant, qui in illis Arabiæ desertis metu Antichristi persecutionis antea delitescentes, tunc è latebris ad Arcam, in qua posita fuerant virga Aaron, vas aureum plenum manna, & duæ tabulæ Decalogi, prodibunt. Jam enim fusè hic & superius in fine præcedentis Tractatus egimus de Christianis in solitudines Arabiæ timore sævitiæ Antichristi profugis. Probant autem illi suam assertionem. Primò, quia antiqua Hebræorum traditio est, Arcam fœderis non fuisse in secundo Templo, neque in Herodiano: futuram verò in Templo à Messia restaurando, id est, in Templo Hierosolymitano, quod unà cum Vrbe denuò sunt reædificanda à Iudæis Antichristoque, nullum dubitatio permoveat, qui fieri possit, ut tàm brevi tempore, nempe nedum triennio exacto tàm immania & immensa opera absolvantur: nam cogitet auctorem futurum Antichristum innumerabilium cacodæmonum agmine in opus incumbente: ex alteraque parte alacritatem pervicaciamque Iudæorum mente reputet, & admirationem statim deponet.

Vtrum Arca veteris Testamenti tempore Antichristi sit comparitura.

Affirmant multi, & probant primò ex eo, quòd antiqua Hebræorum traditio est, Arcam fœderis non fuisse in secundo Templo, neq; in Herodiano: futuram verò in Templo à Messia restaurãdo.

Templum Hierosolymitanũ & Vrbem à Iudæis Antichristoque denuò reædificãda.

XXI.

Quòd autem Arca nõ fuerit in secundo Templo patet: nam anno Regni Sedechiæ undecimo, ad finem jam appropinquare incipiente, credendum est, quosdam de Principibus Sacerdotum & Levitarum valde pios, & Divini cultus, Sacrarumque rerum zelatores; cùm prævidissent brevi Hierosolymam à Chaldæis esse capiendam; timentes, ne si cum ipsa Vrbe Templum quoque ipsum (ut iam non semel prophetatum fuerat) incendio daretur; Sacra etiam in eo existentia, simul interirent; ipso forsitan Hieremia suadente atque instante, clam sustulisse de Templo Arcam fœderis Domini, & altare incensi super quo erat ignis sacer, & alia ibidem existentia translatu facilia, occultasseque omnia tunc in aliquo Vrbis loco subterraneo, & ab hostium rapinis, incendiisque bene tuto, ne Sancta illa in manus incircumcisorum devenirent. Detinebatur autem eo tempore Hieremias clausus in vestibulo car-

Sacra de Templo Hierosolymæ alibi occultandæ transferuntur.

Hieremias Propheta usq; ad captam

ptam & expugnatam Hierosolymam clausus in vestibulo carceris mansit.

ceris; is enim egrediens Hierosolyma ut veniret ad vicum suum Anathot, qui erat tribus milibus procul ab ea Vrbe, tanquam fugeret ad hostes captus est & incarceratus. Sed paulò pòst à Chaldæis capta & expugnata Hierusalem, liber ab eis dimissus fuit. Qui statim, antequam iret ad Godoliam in Maspha, de Sacro deposito sollicitus, Divino monitu locum adiit, in quo abscondere fecerat tabernaculum & Arcam Dei aliaque eiusmodi priusquam caperetur Hierosolyma, eaque inde trans Iordanem usque transtulit, in montem, in quo Moyses terram Chanaan sub mortem contemplatus fuerat. Sic enim legitur 2. Machab. 2. ex quibusdam Hieremiæ descriptionibus, quæ non extant: *Erat autem*, inquit, *in ipsa Scriptura, quomodo tabernaculum, & Arcam iussit Propheta Divino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit hæreditatem Dei*, hoc est, Promissam Terram. Intelligit sine dubio montem Nebo, cuius vertex vocabatur Phasga, Deuteronom. 34. versic. 1. estque in Arabia, ut S. Hieronymus de Locis Hebraicis & omnes affirmant. Itaque mons ille ubi Hieremias Propheta asportavit Tabernaculum & in eo contenta, est mons Nebo, de quo olim Moses paulò antequam moreretur, iubente Domino contemplatus est universam terram promissionis, uti ostensum est: atque ibidem in secretissima quadam spelunca abdidit illa, ipso speluncæ ostio quam diligentissime obstructo. Quid est autem quod Auctor ille ait; *iussit Arcam comitari secum?* Interpretantur Lyranus & Torniellus tom. 2. Sacrorum Annalium ad annum 1. sextæ ætatis num. 8. Hieremiam plures assumpsisse socios, qui Sacram hanc supellectilem deferrent. Et certè paulò pòst legitur, aliquos qui sequebantur locum notare voluisse, in quo Hieremias prædicta reconderat: sed Propheta, cùm advertisset id reprehendit eos: & protinus, hac occasione arrepta prophetavit ignotum fore locum illum, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, ac denuò Templum reædificari concedat; tunc enim, inquit, & non prius, manifestabuntur quæ nunc occultavimus; & cùm primùm in Templum reportata ac reposita fuerint, apparebit cunctis videntibus gloria Domini super sacrificia in nube & igne, sicuti Moysi ac Salomonis temporibus. Hanc Hieremiæ Prophetiam adimplendam esse in fine Mundi tempore Antichristi, indicant multi infrà ostendendi Patres.

Hieremias Propheta abscondit tabernaculum & Arcam fœderis in monte Nebo.

Hieremias, cùm advertisset quosdam affectasse notare locum, in quo prædicta reconderat, reprehendit eos.

XXII.

Qui Arcam detulerint.

Serrarius verò quæst. 18. in secundum Machab. dici posse putat Angelorum opera Arcam delatam fuisse, præsertim cùm Hieremias nullos videatur, ejus loci, in quo hæc reconderentur, conscios habere voluisse (quo modo multis post sæculis ædes Lauretana,

tana, ab ipsa Palæstina ad Italiam usque translata creditur) id tamen miraculum ab aliquibus visum, qui propterea fuerint ad sequendum incitati. Pergit autem Scriptura: *Et ueniens ibi Hieremias invenit locum speluncæ, & tabernaculum, & Arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum: & non potuerunt invenire. Vt autem cognovit Hieremias, culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit sicut & Moysi manifestabatur, & sicut cùm Salomon petiit, ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc.* Hactenus Scriptura. Iosephus verò Gorionis filius lib. 1. de bello Iudaico cap. 17. ait hoc tabernaculum fuisse, nõ quod David extruxerat in Sion, sed quod Moyses in deserto; eos autem qui Hieremiam sequebantur, fuisse Sacerdotes. Hæc autem quæ describuntur ex illis Hieremiæ descriptionibus, quam habeant authoritatem non facile dixerim. Certè Eman. Sà non putat habere authoritatem Scripturæ: ille enim descriptionum liber non fuit Canonicus, immò nec totam illam Iudæorum Epistolam, sicut nec reliquas, quæ in libris Machabæorum recitantur, Antiochi, Spartiatarum, Romanorum, quoniam Scriptura duntaxat refert illos ita scripsisse, quod de Fide est. At Malvenda lib. 11. de Antichristo cap. 12. asserit illam Scripturam habere authoritatem: nam ait, quòd eius Auctorem Divino & infallibilis veritatis afflatu conscripsisse nullus Orthodoxus dubitat. Quocirca, subdit ille, quæ in Editione Notarum Emmanuelis Sà Lugduni anno Salutis 1602. in 2. Machab. 1. ver. 13. & in cap 2. ver. 1. & 32. adiecta sunt præter mentem Catholici Auctoris proculdubio opera Genevensium, ut prorsus hæretica reiiciantur, & indigna confutatione: atque his quibus ea cura incumbit acrius invigilandũ, ne eiusmodi venena melle illita irrepant.

An Angeli, ut ædem Lauretanam.

Quod tabernaculum absconditum.

Et qui Hiremiæ socii.

Quæ authoritas descriptionũ Hieremiæ, &c.

Nullam authoritatem putat habere Emanuel Sà

Authoritatem habere asserit Malvenda.

XXIII.

Certum igitur est (concludunt illi) Arcam nec exustam, aut destructam, nec abductam à Chaldæis in eversione Hierosolymæ & Templi per Nabuchodonosor, sed absconditam à Hieremia in antro, illicque quasi sepultam mansisse. Cujus etiam rei gestæ haud obscurè meminit Alexander Polyhistor apud Eusebium de Præparatione Evangelica lib. 9. cap. 4. cùm ait: *Omnia quæ in Templo fuerant Arca excepta, & Tabulis, in Babylonem Nabuchodonosor asportavit. Arcam enim Hieremias detinuit.* Hæc ille, à quo vix discednnt qui produnt Arcam non fuisse in templo Hierosolymitano à Romanis everso. Quòd autem Arca non fuerit in Herodiano Templo ostendit ubi supra Malvenda ex Iosepho hunc

Verum Arca fuerit abducta à Chaldæis in eversione Hierosolymæ & Templi per Nabuchodonosor.

Maluenda ostendit ex Iosepho, Arcam non fuisse in Herodiano templo.

in modũ scribens: *Arcam in Templo Herodiano non fuiße, Iosephus, qui id optimè noße potuit, quippe Sacerdos Templi Herodiani, nimis aperte affirmat, cùm de Templo ab Herode instaurato hæc ait lib.6. Belli Judaici cap.6. Intima verò Templi pars viginti cubitorum erat, discernebatur autem similiter velo ab exteriore, nihilque prorsus in ea erat positum. Inacceßa verò, & inviolata, & invisibilis omnibus habebatur, Sancti que Sanctam vocabatur. At si in Adyto Arca erat posita, qui potuit Iosephus dicere nihil prorsus in eo positum fuiße? Deinde Arcam in Triumpho non eße ductam à Tito, ex eodem Iosepho oculato Triumphi Titi inspectore facile possumus intelligere, qui eum quem præsens vidit Triumphi clarissimum apparatum describens, hæc inquit lib.7. Belli cap.24. Spolia verò alia quidem passim ferebantur, eminebant autem ea, quæ apud Hierosolymam in Templo reperta sunt, mensa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum similiter quidem auro factum, &c. Post hæc autem portabatur Lex Judæorum novissima spoliorum. Sed quis tàm hebes fuerit, qui putet Arcam omnium Templi spoliorum Sacrosanctissimam & pretiosissimam silentio prætermissurum Iosephum, si ea in Triumpho ducta fuißet. Nos quidem hic Romæ ipsum Arcum Titi attentè cominus unà cum viris eruditis sæpiùs inspeximus: sed deformatis jam lapidibus nihil quivimus satis accuratè deprehendere, nisi quod in eorum libentius concedimus sententiam non Arcam quidem eße quam laureati gestant viri, sed mensam illam auream ponderis talenti magni, quam in Triumphum Titi illatam nuper ex Iosepho relegimus*. Ita Malvenda.

XXIV.

Secundò probāt illi ex Patribus, & in primis ex S. Epiphanio.

Secundò probant illi ex Patribus, & in primis ex S.Epiphanio Constantiæ Cypri Episcopo: nam is in lib. de vitis Prophetarum res gestas Hieremiæ stylo exarans, hæc inter alia ait: *Hic est ille Propheta, qui ante mutationem Templi Arculam apprehendit, quæque fuère in ea singula, & curavit ea absorberi in saxum. Et locutus est Sacerdotibus plebis, & quicunque aderant, majoribus. Profectus Dominus è Sina in Cælos: sed revertetur in majestate & virtute Divina. Et hoc adventus ipsius indicium erit: quando Gentes universæ ligno supplicabunt. Addidit præterea: Arcam hanc nec quisquam reserabit unquam, neque Sacerdotum, neque Prophetarum, Mose electo excepto Dei. Tabulas quas continet ipsa, nullus explicabit, præter Aaron. Cæterum in resurrectione primùm Arca resurget, & prodibit è saxo, inque Sina monte collocabitur: & omnes Sancti ad eam confluent, ut illic suscipiant Dominum, & vitent inimicum seu adversarium, qui perdere illos affectabat. Tunc saxum sigillavit digito, inscribens nomen Domini: &*

factus

factus est typus instar sculpturæ ferri: & nubes petram cooperuit: & eum sanè locum vix quisquam noverit. Quin ne nomen quidem usque in hunc diem, nec usque in consummationem sæculi datur legere. Lapis deinceps ille habetur in solitudine, ubi primitus fabricata est Arca, in medio montium, in quibus jacent *Moyses & Aaron sepulti. In noctibus porrò nubecula nitet modo ignis eodem loci, pro typo qui erat ab initio, quoniam nunquam cessabit majestas Dei à lege ejus.* Hactenus S. Epiphanius. Eadem omninò totidem verbis descripsit S. Dorothæus in Synopsi de vita & morte Prophetarum: nam ibi de Hieremia sic ait: *Hic Propheta antequam caperetur Templũ, Arcam legalem, & quæ in illa erant, arripuit, & in petram quandam abdi fecit, dixitque astantibus: profectus est Dominus Sinai in Cælum, & iterum veniet Legislator ex Sion cũ potestate, & signum adventus ipsius erit vobis, quando universæ Gentes lignum adorabunt. Dixit etiam: Arcam illam nemo arripiet, præter Aaronem, & tabulas in illa reconditas nemo introspiciet, sive Sacerdotum, sive Prophetarum, præter Moysen electum Dei. Et in die resurrectionis Arca primùm resurget, & ex petra prodibit, poneturque in monte Sina; & congregabuntur ad eam omnes Sancti expectantes Dominum, & fugantes inimicum, occident eum venientem ad hanc petram. Obsignavit autem eam digito per nomen Dei, et facta est scalptura instar scalpturæ ferri: et nubes lucida obtexit nomen Dei, nec quisquam locũ hunc cognovit, neque obsignationem legere potest in hodiernum usq; diem, & ad consummationem usque. Est autẽ petra in solitudine, ubi & primùm fabricata est Arca, inter duos montes, in quibus sepulti iacent Moyses & Aaron, & nocte nubes velut ignis hunc locum obtigit, iuxta quod olim factum est: nunquam enim deesse potest gloria Dei à nomine Dei. Propterea gratiam Hieremiæ dedit Deus, ut finem mysterio suo ipse faceret, fieretque consors Moysi & Aaronis, qui & unà conjuncti sunt ad hunc usque diem: nam & Hieremias Sacerdotali semine propagatus est.* Hæc S. Dorothæus. Cui similia tradiderunt S. Thomas in 2. Machab. 2. & Iosephus F. Gorionis, qui ubi suprà de secundo Tẽplo agens, dicit: *Arca non aderat, quia detulerat eam Hieremias Propheta unà cum omnibus cortinis quas fecerat Moyses servus Domini in deserto, & posuit eas in monte Nebo, ubi invenit speluncam, in cujus concavitatem posuit eas. Cumque sequerentur Sacerdotes, qui fuerant in diebus istis, Prophetam, ut adverterent locum, respiciens Hieremias post se, & videns, iratus dixit: Juravit Dominus, non sciet homo, neque cognoscetur locus, donec venero ego, & Isaias Propheta famulus Domini; tunc restituemus Arcam in locum suum in Sancta Sanctorum subter alas Cherubim. Factum est itaque à die illa, & deinceps, & obtulerunt patres oblationes suas, ho-*

Secundò ex S. Dorothæo.

Tertiò ex S. Thoma, & Iosepho F. Gorionis, cujus Historia in Bibliotheca Patrum inserta est.

lo-

locausta sua, sacrificia sua, pacifica sua, & juge sacrificium suum, &c. Hactenus ille. Qui illud perperam ait Hieremiam venturum socium Eliæ in fine Mundi, quod suprà refutavimus.

XXV.

Quorum omnium, Malvenda quantum mente assequi potuit, existimat hanc esse sententiam, Arcam intra speluncam seu à saxo hiante absortam, inclusamque à Hieremia, ibidem semper mansuram ad finem usque Mundi; & tunc tempore Antichristi in publicum manifestandam in monte Sinai.

Atque hæc quidem à tantis asserta Patribus, inquit Malvenda ubi suprà esse accuratissima lance perlibranda; neque enim eos putat tradidisse nisi quæ firma majorum asseveratione acceperant, & in re futura atque ob hoc nimium obscura quædam retulisse, quæ non ita facile intelligi valeant. Existimat ergo quantum mente assequi potuit, hanc esse sententiam Patrum: Arcam intra speluncam seu à saxo hiante absortam, inclusamq; à Hieremia, ibidem semper mansuram ad finem usque Mundi. Cùm verò sæculi occasus aderit propè, & ipsa generalis hominum Resurrectio in proximo erit, nempe ipso Antichristo regnante, Arca in publicum manifestabitur: quia tunc Angelorum ministerio educetur è rupe, ac collocabitur in monte Sina, & omnes Sancti ad eam confluent, ut illic suscipiant Dominum, & vitent inimicum, qui perdere illos affectabat. Etenim Antichristus postquam fama acceperit Arcam veteris Testamenti in Arabiæ montibus apparuisse conspicuam, ingentemque Christianorum manum nutu Dei ad eam confluxisse; mittet illuc Ducem quendam ex suis strenuum cum valido exercitu, ut fusis, fugatisque, atque etiam interfectis Christianis, Arcam deinde reducat, aut certè comburat, vel concidat; cùm ipse jam antea diabolica fraude Arcam aliam quasi illam antiquam Sacrosanctam, apparere mirabiliter fecerit, & in Templo à se condito in gratiam Judæorum reposuerit. Verùm Christiani Ducem illum ab Antichristo adversus ipsos missum profligabunt, & occident, conatusque Antichristi irritos reddent, magnaque lætitia circum Arcam conglobabuntur. Interim verò antequam veniat Antichristus jam inde à tempore Hieremiæ manere Arcam in antro illo reconditam, illustratam tamen miraculis illis quæ Patres narrant. Ita Malvenda, qui & subdit, id probans hac ratione: nam Arcam (inquit) postquam ab Hieremia fuit in speluncam rupis inclusa, nunquam deinceps comparuisse neque in Zorobabelico aut Herodiano Tēplo fuisse, manifestandam verò tempore Antichristi, cùm Judæi ad Fidem Christi convertentur, præter Patres nuper citatos, astruūt quoque eruditi ex Recentioribus Melchior Cano de locis Theol. lib. 2. cap. 11. Robertus Card. Bellarminus de Verbo Dei lib. 1. cap. 15. ad 4. object. Ribera in 1. Aggæi num. 19. & alii apud Nicolaum de Lyra in 2. Machabæorum 2. Quorum sententiæ libenter adstipulatur P. Serarius in Elucidationibus in libris Machabæorum. Sed dicet quisquam secundum Malvendam: Cur Deus

Antichristus quid secundum præadductos Patres à Malvenda elucidatos sit facturus, postquam fama acceperit Arcā apparuisse in Arabiæ montibus.

Auctores, qui secundum Malvendam asserunt Arcam postquā ab Hieremia fuit in speluncā rupis inclusam, nunquam deinceps comparuisse, neq; in Zorobabelico aut Hero-

Deus tàm longo tempore Arcam servat absconditam ? Cur insiper tempore Antichristi eam in publicum educet ? num ut inde Judæi ansam arripiant contumacioris perfidiæ ? Esto, Malvendæ causa sit abstrusa, non propterea concidunt, quæ ipse hactenus de manifestatióne Arcæ tempore Antichristi tanta probabilitate firmavit. Recentiores multas perquirunt rationes, sed ea Malvendæ magis probatur, revelandam Arcam propter conversionem Judæorum, nimirum cùm viderint Arcam apparuisse, nec ab Antichristo in potestatem potuisse redigi, sed potius à Christianis servari, quodque Deus in eorum gratiam rem olim ipsis Sacrosanctissimam patefecerit, sed maximo miraculo apud Christianos, ut videant à quorum partibus stet Dominus, ac relicto Judaismo Fidei adhæreant Christianæ. Sic igitur præadducta illa verba præfatæ Scripturę accipit Malvenda, non esse revelandam Arcam, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiet: nimirum cùm tempore Antichristi Judæis ex toto Orbe congregatis in Judæa, Deus irasci desinet, reddeturque propitius, ac eos per Henoch & Eliam ad Fidem convertet; tunc apparebit Arca super montem Sina cum eadem gloria & majestate, sicut in eodem loco Deus Moysi loquebatur: nam splendorem nubis & coruscationes fulgidas tunc non defuturas putat præcitatus Auctor. Sed quorsum, obsecro, Arcæ fœderis revelatio in fine Mundi, aut novæ legis temporibus, quando constat cunctas veteris Testamenti figuras esse impletas, penitusque antiquatas ? Nam quod ajunt præadducti & explicati à Malvenda Patres & Doctores: Arcam Dei quæ 1. Reg. cap. 4. ver. 21. gloria Israel nuncupata fuerat, tempore secundi Templi non fuisse manifestatam, ne Judęi hac gloria, vel potius gloriæ umbra contenti, à vera & sempiterna gloria Christi speranda desisterent: manifestandam verò esse in fine sæculorum, ut certius cognoscant Judæi tunc ad Fidem conversi, se credentes in Christum, veteres Patriarchas, & Prophetas imitari, ac veros esse Abrahæ filios, & Moysi discipulos, cùm viderint suo tempore expletã Hieremię Prophetiam, & se Arcã habere qua patres sui caruerant. Hæc, inquã, & hujusmodi alia, nihil me movent. Non enim tanta erat Arcæ gloria quæ posset eos à speranda gloria Christi impedire. Etenim si neque Moysen neque Prophetas impedivit; certe neque ipsis credentes poterat impedire. Neque Arcæ revelatio videtur necessaria in fine Mundi ad confirmandos in Fide Iudæos, qui tum ad Christum convertentur. Nam si hactenus non fuit necessaria; scimus enim multos ex Iudæis in primitiva Ecclesia, & inde usque nunc ad Fidem Christi esse conversos, atque ita virtute Spiritus Sancti fuisse roboratos, ut pro ea liben-

rodiano Templo fuisse, manifestandam verò tempore Antichristi, cùm Iudæi ad Fidem Christi convertentur.

Sed quorsum, obsecro, Arcæ fœderis revelatio in fine Mundi, aut novæ legis temporibus, quando constat cunctas veteris Testamenti figuras esse impletas, penitusque antiquatas.

Arcæ revelatio non videtur necessaria in fine Mundi ad confirmandos in Fide Iudæos, qui tunc ad Christũ convertentur.

benter mortem ac tormenta sustinere non recusaverint, & sine aspectu Arcæ, crediderint se, post acceptam Fidem, multò perfectius quàm antea, esse filios Abrahæ, & Moysi discipulos, & Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum imitatores. Quis audeat affirmare ejusdem Arcæ revelationem, temporibus Antichristi, Iudæis necessariam fore, ut eis liquido constet, quàm benè concordent cum rebus figuræ, & cum corporibus umbræ? Quasi verò tunc Sacræ paginæ non valeāt indubitatam Fidem facere, quod re vera, & Arca & aliæ hujusmodi umbratiles figuræ, Christi mysteria præcesserint, ac bellè admodum cum ipsis conveniant? Quasi Spiritus Sanctus quem accipere solent credentes, non sufficere possit ita docere omnem veritatem eos qui in fine sæculi convertentur, quemadmodum docuit illos qui in primitiva Ecclesia crediderunt? Ita Augustinus Torniellus tom. 1. Annalium Ecclesiasticorum ad annum Mundi 3610. num. 14.

XXVI.

Opinio nonnullorum existimātium Arcam ab Hieremia abscōditam rursus in reditu ab exilio Babylonico cōparuisse, & in secundo Templo per Zorobabelē excitato repositam, diuque in illo conservatā.

At verò alii existimant Arcam ab Hieremia absconditam rursus in reditu ab exilio Babylonico comparuisse, & in secundo Templo per Zorobabelem excitato repositam, diuque in illo conservatam: siquidem Divina illa verba: *Ignotus erit lacus, donec congreget Deus congregationem populi: & tunc Dominus ostendet hæc*: De reversione populi Iudaici ab exilio tempore Zorobabel intelligenda videntur: postea verò vel ab Epiphane Antiocho, vel à Pompejo, aut Crasso, aut quovis alio casu fuisse ablatam. Verùm ista neutiquam probari possunt, & facilè etiam per se nulla aut ratione, vel auctoritate fulta concidunt. Arca namque ab Hieremia abscondita cum altari, mensa, & candelabro, Neemia procurante, fuit inventa, & in secundo Templo pariter collocata. Ita tradit Torniellus ubi suprà cùm ait: *Dicamus igitur, his omissis, quod quando sub Neemia Judæorum Duce, ostendit Dominus locum in quo olim absconditus fuerat ignis Sacer; ostendit pariter ubi abdita manebant Arca, tabernaculum, altare incensi, & cætera ejusmodi; idque, ut omnia inde transferri, & in Templo jam reædificato honestius reponi, ac singula suis locis, ut prius, decenter collocari possent; & mysteriorum illorum veteris Testamenti Religio jam penè collapsa, ad præteritorum malorum levationem, animosque ad meliora speranda erigendos, denuo instaurari, & in eodem secundo Templo conservari posset, donec novo adveniente Testamento, cuncta demum consummarentur.* Quamobrem Iosephus Stephanus Oriolensis Episcopus in lib. 1. Machabæorum ad caput 4. vers. 49. annotat, Arcam in secundo Templo servatam fuisse ex 3. Esdræ 1. ver. 3. affirmare aliquem posse. At quamvis liber ille sit Apocryphus, manifestè tamen eo loco de tempore Iosiæ Regis loquitur, cùm

Num postea fuerit Arca ab Antiocho Epiphane, vel à Pompeio, aut Crasso ablata.

Arca ab Hieremia abscondita Neemiæ temporibus fuit inventa, & in secundo Templo collocata.

Arca in secundo Templo servata.

cùm adhuc Salomonis Templum ftaret. Vult igitur præfatus Auctor innuere, Arcam fœderis feu Teftamenti in templo Hierofolymitano remanfiffe donec illud à Romanis everfum fuit:& tunc Romæ in triumpho Titi fuiffe afportatam. Hinc addit: *Memini me Romæ in Templo S. Ioannis Lateranenfis ligna quædam vetuftiſſima confpexiſſe*. Vidimus & nos, nam publicè vifenda aliquando exponuntur, *quæ ut fama refert, ex Arca Domini, quam Titus Imperator inter triumphandum Romam deduxerat, remanferunt. Quod certè mihi fit verifimile, cùm Glaber Radulphus Hiftoricus Gallus lib. 3. cap. 6. referat apud Gallias in urbe Senonenfi partem virgæ Moyſi repertam tàm multa miracula edidiſſe, quæ Rainardi Regis animum in Moyſi legem amplectendam impulerunt, ut iam non Chriſtianorũ, ſed Iudæorum potius Rex appellari voluerit*. Hæc ille. Subdit Iofephum in Triumpho Titi Arcam filentio involuiffe ob pudorem fuæ religionis. At alii indicant Iofephum Arcam expreffiffe fub nomine legis: nam eum aiunt per legem Iudæorum noviffima fpoliorum Hierofolymitani Templi, quæ ipfe à Tito Romam in Triumpho delata fuiffe fcribit lib. 7. de Bello Iudaico cap. 24. non librum legis, fed fœderis Arcam legis tabulas continentem, fignificare voluiffe: fic enim videtur locum illum intellexiffe Auctor Hiftoriæ Scholafticæ in Hiftoria libri Judith cap. 3. ubi ait, quòd inter manubias, quas tulerunt Romani de Judæa, leguntur translata Arca Domini, candelabrum, & menfa. Sed afferit Petrus Comeftor hanc Arcam vel fuiffe illam, quam Hieremias abfcondit in latibulo petræ, prout fuprà oftenfum eft: vel alteram, ab Hebræis inftar prioris ædificatam: fed ifte Auctor reiicitur à Malvenda ubi fuprà his verbis: *Rurſum neque illorum admittenda ſententia eſt, ut Petri Comeſtoris in Hiſtoria Scholaſt. Judith cap. 3. qui Arcam in Herodiano Templo fuiſſe dixerunt, vel illam antiquam, vel aliam novam ad inſtar antiquæ fabricatam, atque inde à Tito, everſo Templo & Vrbe, in triumpho Romam perductam, cujus effigiem videri nunc Romæ in lapide excavatam in Arcu Titi putarunt: ubi totus Triumphi apparatus, & pompa ſaxo inciſa cernuntur: inter quæ viri laureati viſuntur Arcam veſtibus impoſitam humeris geſtantes. Iſta, inquam, haud veritate ſubſiſtunt: nam Arcam in Templo Herodiano non fuiſſe, Joſephus, qui id optimè noſſe potuit, quippe Sacerdos Templi Herodiani, nimis apertè aſſirmat*. Hucufque Malvenda: nam ejus reliqua fuprà retulimus, in quibus oftendit, uti indicavimus, Arcam non fuiffe neque in Zorobabelico neque in Herodiano templo. Auguftinus verò Torniellus tom. 1. Annalium Ecclefiafticorum contrarium afferit: nam ad annum Mundi 3540. num. 5. & ad annum ejufdem 3885. num. 5. ufque ad numerum 10. tenet & probat Arcam fuiffe in Zoroba-

Vtrum ifta deinceps in templo Hierofolymitano remanferit donec illud à Romanis everfum fuit: & an tunc Romæ in triumpho Titi fuerit afportata.

Apud Gallias in urbe Senonẽfi pars virgæ Mofis reperta.

Iofephus in Triumpho Titi Arcam fecundũ aliquos filentio involuit ob pudorem fuæ Religionis: five fecundum alios illã expreffit fub nomine legis.

Quid legis nomine Iofephus acceperit.

Auguftinus Torniellus tenet & probat Arcam fœderis fuiffe in Zorobabelico & Herodiano templo.

Auctor iste reiicit præadductam Hebræorum traditionem, quam multis rationibus probat non esse antiquam ipsorum traditionem, sed commentũ Rabbinorum, & mendacem quandam fabulosamq; eorum adinventionem.

robabelico & Herodiano templo, ut suprà ostensum est. Et sic reiicit Hebræos, & qui cum ipsis crediderunt, Arcam fœderis in secundo Templo nunquam extitisse. Itaque secundum Torniellum non est recipienda præfata eorundem traditio, quam ille multis rationibus probat non esse antiquam ipsorum traditionem, sed commentum Rabbinorum, & mendacem quandam fabulosamque eorum adinventionem: idcirco idem Auctor ubi suprà ad annum Mundi 3610. num. 15. postquam retulit præfata verba S. Epiphanii, S. Dorothæi, & Josephi F. Gorionis, sic ait: *Porro hæc omnia si prudens lector attentius consideret, inveniet, ni fallor, in eis quædam, quæ nescio quo modo, sine speciali revelatione Divina (de qua tamen nihil constat) sciri potuerint. Item nonnulla, ut mihi videtur, Sacræ Scripturæ, & veritati parum consona. Et insuper aliqua, quæ nescio si Ecclesia Catholica unquam receperit. Quo fit ut videantur potius simpliciter, & sine ulla rerum discussione à Rabbinis accepta, quam inter veras antiquorum traditiones computanda. Nam quis unquam scire potuit, quòd Hieremias obsignando lapidem digito, ea miracula patraverit, quæ isti narrant; si tum ibi cum Propheta nullus creditur affuisse, qui sciret locum illũ, & qui hæc aliis nunciare potuerit? qui enim postea supervenerunt, ut notarent locum, redarguti à Propheta, illum invenire non potuerunt, ut expressè traditur 2. Machab. cap. 2. ver. 6. Nusquam autem legimus, quod ipse Hieremias cuiquam dixerit se in eo loco ullum patrasse miraculum. Quomodo item potuit Hieremias Arcam in deserto ferre, & abscondere priusquam Urbs Templumque caperetur, si ipsemet suæ Prophetiæ cap. 38. in fine testatur se mansisse in vestibulo carceris usque quo capta est Hierusalem? & scimus, quòd neque si tum liber fuisset, tale quid præstare potuisset, existente nimirum tunc Urbe clausa, & à Chaldæis circumvallata, & obsessa; & nos sub An. Mundi 3447. ostendimus hæc acta fuisse postea quam ipse Hieremias à Chaldæis liber dimissus est. Sed & illud mirabile est, quo pacto locus Arcæ absconditæ hactenus potuerit esse ignotus, si ipsum, ut isti aiunt, jugiter diu noctuque columna nubis, & ignis obtegeret, eo fere modo quo olim pendere super Arcam consueverat: quandoquidem vel ipsamet locum illum particularem ostenderet; & multi usque hodie ad tale spectaculum visendum accurrerent. Quomodo etiam verum esse potest, quòd Arca in eodem loco abdita sit, in quo olim facta fuerat? si ex Scriptura Sacra constat eam fuisse factam in Sinai, & absconditam in monte Nebo terræ Moab, prope Iordanem, & consequenter procul admodum à Sinai posito? Sed & qui fieri potest, quòd eadem Arca inter duos illos montes fuerit occultata, in quibus sepulti iacent Moyses & Aaron; cùm ex eadem Sacra Scriptura certum sit Aaronem in monte Hor, qui erat in finibus Idumææ, periisse, ibidemque funus suum cum luctu populi celebratum fuisse, ut traditur Nu-*

Numer. cap.20. ver. 29.& 30. Moysen verò in vertice Phasga montis Nebo non procul à Iordane è vita excessisse,& ibidem in valle proxima, ut legimus Deuter. capit.34.ver.5.& 6.fuisse tumulatum ; & ex Geographiæ tabulis pateat, inter hos,non extare montem Sinai , sed esse ab utroque valde remotum ? Illud præterea , quòd Arca non nisi sub finem Mundi de illo saxo sit proditura , & quòd eam tunc nemo arripiet præter Moysen & Aaron , & quòd locus Arcæ non cognoscetur donec venerint Hieremias & Isaias: non ne supponunt qui hæc asserunt , quatuor hos viros ante universalem hominum resurrectionem surrecturos, & ab Hebræis tunc viventibus,denuo in hac vita esse videndos? Profectò hæc in Sancta Ecclesia recepta esse nunquam audivi.Nam quòd Henoch & Elias , qui adhuc vivere creduntur , venturi sint temporibus Antichristi , & Christianam Fidem doctrinamque adversus ipsum prædicaturi, atque ab ipso tandem occidendi;colligunt multi ex his quæ de duobus illis testibus innominatis traduntur Apocalyp.cap.11.ver.3. usque ad 14. Et videtur hæc doctrina communiter recepta , & comprobari posse ex his quæ à nobis sub anno Mundi 623.num.2.& 3139. num.1. & 2.dicta sunt . At verò de Moyse & Aarone , & item de Hieremia & Isaia, qui mortui sunt; quòd ante communem omnium resurrectionem resurgere debeant , & cum hominibus tum viventibus aliquandiu conversari ; sive iterum postea morituri,sive ab extremo , & universali omnium interitu soli Divino favore præservandi ; (alterum enim ex his ponere necesse est) videtur positio nova,& valde incerta, & nullo Sacræ Scripturæ testimonio posse fulciri,ac propterea non de facili admittenda. Denique,ut omittam quod ex memoratis Auctoribus alter dicit:Arcam nemo arripiet, præter Aaronem; & nemo introspiciet, præter Moysen.Alter verò è converso:quòd Arcam nemo poterit producere, nisi Moyses ; & aperire, nisi electus Dei Aaron.Item alter, quòd ipsa Arca resurget,& de petra prodibit. Alter verò,quòd eam nemo poterit producere,nisi Moyses; quæ profectò inter se omnino cohærere non videntur . Illud etiam: quòd Arca ponetur in montem Sina, & omnes Sancti congregabuntur ad ipsam , regressum Domini expectantes,& ut vitent inimicum qui eos perdere affectabat : & his similia; quis non videt gratis dici ? Etenim quis hæc divinare potuit aut potest , sine ulla Prophetica auctoritate in Sacris Scripturis expressa,aut in Ecclesia Catholica communiter recepta? Quod si quis contendat,memorata omnia ex veterum traditionibus fuisse desumpta. Utique crediderim prædictos Scriptores sic existimasse.Sed si in hisce traditionibus referendis contigit aliquando etiam ipsum S. Hieronymum in quæst.Hebraicis in Paralipomenon (si tamen ille liber ipsius est) falli , aut non propriam sed aliorum opiniones referre , ut nos sub anno Mundi 2464.num.3.& 2545. num 54.& 2583. num. 20. & 3149.num. 3.ostendimus: quid mirum est id aliis quoque contingere po-

tuisse? Nemo enim est quem non aliquid interdum effugiat. Et scimus non illos tantùm inter bonos Auctores computari, qui nunquam, sed qui minus falli solent. Porrò regula discernendi probatas veterum traditiones à Rabbinorum figmentis, est, ut nihil Scripturæ Sacræ quovismodo contrarium, & his quæ Catholica recipit Ecclesia adversum, diversumue contineant. Veritas enim veritati nullatenus potest esse contraria. Et hæc volui dixisse, non quia libenter à talium Patrum sententia discedere audeam, velimque, mordicus propriam tueri (paratus enim sum in his, & in aliis meliori semper iudicio subscribere) sed, ut ingenii mei fert tenuitas, hæc ingenuè, & simpliciter pro veritate protuli; quam si forte non assecutus fuero; dabo saltem aliis ansam, eam accuratius indagandi, vel firmius stabiliendi. Ita Torniellus

XXVII.

Quænam miraculis, seu portentis Henoch & Elias sint acturi têpore Antichristi.

Ostensis igitur, quæ Henoch & Elias sunt acturi verbo & exemplo; modò superest ostendenda quæ miraculis, seu portentis: nàm duos istos præclaros Apostolos instar Moysen & Aaron tot tantaque mirabilia esse patraturos, ut olim illi in Ægypto fecerunt, nemo prudens quibit in dubium revocare, si attentè consideraverit, quæ de his Enoch & Eliæ signis Sanctus Joannes in Apocal. cap. 11. vers. 5. & 6. prodat. Ait enim: *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum. Hi habent potestatem claudendi Cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint.* Quæ verba nos hic breviter exponamus, prolixiora ad Enarratores ablegantes. *Et si quis voluerit eos nocere*: id est, iniuriam inferre, *Ignis exiet de ore eorum*. Hoc erit primum miraculum, vel potiùs miraculi genus (illud enim facient crebro) quod patrabunt Henoch & Elias: quia inferent se in cœtus hominum per pagos & Urbes, immò in ipsam Hierusalem & Regiam Antichristi, ibique liberè & audacter prædicabunt Christum crucifixum esse Redemptorem Orbis: hunc verò fictum esse Christum, immò esse Antichristum. Quocirca magistratus & duces Antichristo subditi, volent manus iniicere in Henoch & Eliam, eosque capere & occidere: sed illi mox imperabunt, edicentque, *Veniat ignis de Cælo, & perdat hosce Antichristianos*; ac dicto ocyùs ignis descendet & perdet eos. Mysticè, ignis hic significat libertatem, fervorem, audaciam & efficaciam prædicandi Henoch & Eliæ; ita ut liberè (ut suprà ostensum est) in faciem dicant Antichristo: *Tu non es Christus, sed Antichristus*; atque asseclis ejus: *Vos non estis Christiani, sed Antichristiani*. Atque hac de causa ab eis tandem occidentur & Martyrium obibunt, ut infrà dicemus. Sic olim Elias dixit Achab: *Non ego turbaui Israel, sed tu*, 3. Reg. 18. ver. 18. Sic S. Hilarius & Athanas. & Lucifer Calarit. Constantio Aria-

Primum Enoch & Eliæ miraculum.

Quid Enoch & Elias in faciem Antichristo liberè dicent.

Ariano Imp. Antichristi prodromo in faciem exprobrarunt: *Tu es Arianus, tu es Antichristus*. Audi eorum verba æternitate digna. Hilarius lib. contra Constantium Imp. *Proclamo*, inquit, *tibi Constanti, quòd Neroni locuturus fuissem, quòd ex me Decius & Maximianus audirent: contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, Sanctos persequeris, Religionem tollis, tyrannus non jam humanorum, sed Diuinorum. Christianum te mentiris, Christi nouus hostis es, Antichristum praeuenis*. Et rursum: *Tu Constanti omnium crudelitatum crudelissime, & mortalium scelestissime magis in nos, quàm Pagani, desævis*. S. Athanasius in Epist. ad solitariam vitam agentes: *Quis*, inquit, *ausit Constantium Christianum appellare, ac non potiùs Antichristi imaginem? Quid enim ex notis Antichristi huic deest? aut quid est cur non omnibus modis Constantius Antichristus, & vicissim Antichristus Constantius habeatur?* ac mox nuncupat eum apostatam, Fidei desertorem, canem, carnificem, filium perditionis, pestem, bellum, malorum omnium voraginem. Hosce zelo & acrimonia superavit Lucifer Episcopus Calarit. quem S. Athanasius sui ævi Eliam vocat, qui in libro de Moriendo pro Filio Dei, ita Constantium Imp. alloquitur: *Mactasti plurimos, laniasti, dispersisti; sed hi omnes Martyres sunt. Crede mihi quòd à te statuerimus interfici: quia & melius esse videmus, in omnia æua Deum habere amatorem, quàm tecum Iuda Scarioth, Iudæorum imitatore, puniri: subire parati sumus omnes exitium*. Et inferius: *Indignè fers Arij vermis, quòd defendamus Filium Dei. Si tandem oculos serpentis morsibus confossos aperias, inuenies stolidissime Imperator, ubique Christianos, sicut nos, credere, ac pro Dei Filio, ut nos, mori cupere: at tua nouella prædicatio & recens religio blasphemia est*. Titulis verò & nominibus acrioribus quàm Athanasius & Hilarius deinceps eundem compellat. *Hi habent potestatem claudendi Cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum*. Hoc erit secundum miraculum, quod facient Henoch & Elias tempore Antichristi, nimirum ut Prophetia & Imperio suo pluviam prohibeant, & Cælo quasi justitiam indicant, aut quasi claustrum inducant: itaque sterilitatem, famem & pestem Antichristianis accersant. Idem fecit Elias 3. Reg. 17. ver. 1. ut scilicet per tres annos cum dimidio non plueret. *Et potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem*. Tertium hoc erit Henoch & Eliæ miraculum. Idem fecit Moses Exod. 7. ver. 20. Dicit ergo eandem potestatem dandam Henoch & Eliæ certantibus contra Antichristum, quæ olim data est Mosi certanti contra Pharaonem Antichristi præcursorem. *Et percutere terram omni plaga quotiescunq; voluerint*. Quartum erit hoc Henoch & Eliæ miraculum, non simplex,

Exempla de libertate arguendi tyrannos.

Eliæ exemplum.

S. Hilarii.

S. Athanasii.

Secundũ Henoch & Eliæ miraculum.

Tertium miraculum.

Quartum miraculum.

plex, sed multiplex: multa enim, immò omnia, in se complectitur. Erunt ergo planè Thaumaturgi, ut ad libitum Cælo, terræ, aeri, ventis, fulminibus, &c. imperent, indeque plagas quaslibet in impios evocent & emittant. Alludit ad Mosen, qui sua virga minans & feriens Ægyptum, decem plagas partim è terra, partim è Cælo, partim ex aquis, partim ex igne, in Ægyptios immisit. Unde audivit à Deo Exodi 7. 1. *Constitui te Deum Pharaonis*. Nam, ut ait Philo lib.3. de Vita Mosis: *Cùm amicorum omnia sint communia, idcircò Deus potestatem & opes suas cum Sanctis communicat*. Nota. Decem plagæ Ægypti fuerunt hæ. Prima, aquæ conversio in sanguinem. Secunda, ranæ. Tertia, ciniphes. Quarta, muscæ caninæ, immò omne genus muscarum. Quinta, pestis animalium. Sexta, ulcera vesicarum. Septima, grando. Octava, locustæ. Nona, tenebræ. Decima, cædes primogenitorum. Has ergo & plures plagas immittendi potestatem habebunt quoque Henoch & Elias, quasi novi & Christiani Moses, in Antichristianos; de quorum plagis locutus certè videtur S.Hippolytus Martyr in Orat. de Consummat. Mundi, cùm ait: *Tunc homines ubi sigillum Antichristi acceperint, nec escas, nec aquam invenerint, adibunt eum cum voce acerba dicentes: Da nobis quòd edamus & bibamus: nam omnes præ fame cunctisque necessitatibus deficimus. Iube Cælum præbere nobis aquam, abige à nobis bestias homines devorantes.* Hæc & alia S.Hippolytus. Sed & S.Ephrem eadem uberius prosecutus in Serm. de Antichristo, post alia de calamitatibus illius temporis enarrata, subdit: *Cuncti verò qui callidissimæ crediderint Bestiæ, impiumque illius scelesti characterem pro signaculo acceperint, simul ad ipsum accedent, cum angustia & dolore dicentes: Da nobis quòd edamus atque bibamus, quoniam ecce cuncti deficimus fame tabefacti, cuncti simul perimus, & amara morte morimur; fera animantia, venenatasque à nobis depelle bestias, ne nos perimant, devorentque. Cùmque non sit impuro illi quod eis dare possit, ad eos pariter omnes, magna cum severitate ac ira responsurus est: Unde à me dari vobis vultis quod edatis atque bibatis, o homines, cùm Cælum terræ pluviam deneget, terraque ideò prorsus germinare ac fructificare nequeat. Quibus auditis populi ingemiscent, flebuntque inter tot angustias omni penitùs solatio destituti: addeturque ipsorum afflictioni afflictio verbis non exprimenda, quòd ita se promptos ad Bestiæ credendum exhibuerint. Contabescent satellites Draconis, præ timore ac terræmotu, sonituque maris, fame atque siti, morsuque serpentum.* Hactenus S.Ephrem, qui hæc excerpsisse mihi videtur ex Vaticinio S. Joannis Evangelistæ, qui (ut ait Malvenda lib.9. de Antichristo cap. 15.) prædixit Antichristianos illo tempore quo rerum geret habenas Antichristus, maximis pla-

Decem plagæ Ægypti quæ?

Plagæ quas Sancti Enoch & Elias in impios Antichristi sectatores immittent.

S.Ioannes prædixit Antichristianos

plagis & cladibus esse affligendos à Deo: & quidem (ut subdit Malvenda) ita eas describit, ut videantur illis Ægyptiacis similes, ac etiam graviores futuræ; sic autem orditur Apocal. 16. *Et audivi vocem magnam de Templo, dicentem septem Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram. Et abiit primus Angelus, & effudit phialam suam in terram: & factum est vulnus sævum & pessimum in homines, qui habebant characterem Bestiæ; & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.* Loqui hic S. Joannem de plagis, quibus impii, & sectatores Antichristi afficiendi sunt in fine sæculi, S. Irenæus his verbis affirmat lib. 4. adversus hæreses cap. 50. *Si quis autem diligentiùs intendat his quæ à Prophetis dicuntur de fine, & quæcunque Joannes discipulus Domini vidit in Apocalypsi, inueniet easdem plagas uniuersaliter accipere Gentes, quas tunc particulatim accepit Ægyptus.* Hæc ipse. Consentiunt quoque S. Victorinus, Aretas, Gagnæius, Ribera, & alii S. Joannem sermonem fecisse de novissimis credentium Antichristo plagis. Et in tantis Apocalypsis tenebris adeò sunt verba Evangelistæ perspicua, ut esse magis non possint. Character enim Bestiæ, & imago ejusdem satis indicant, de quibus S. Joannes agat.

nos eo tẽpore quo rerum geret habenas Antichristus, maximis plagis & cladibus esse affligendos à Deo.

XXVIII.

Vtrum omnes plagæ, quas Apostolus describit asseclis Antichristi infligendas, allegorice aut metaphoricè, an verè, realiter, & corporeè immittendæ debeant intelligi.

Et verò ante omnia illud opportunè præmonendum videtur, omnes plagas, quas Apostolus describit asseclis Antichristi infligendas, non allegoricè aut metaphoricè, sed verè, realiter, & corporeè immittendas debere intelligi: licèt nonnulli hæc mysticè exponant, uti facit Alcazar; itaque planè ut sonant ad literam videntur accipienda; cur enim ad tropos & figuras est confugiendum, cùm propriè ac realiter res quæ dicuntur, subsistere possunt? Prima plaga erit *Vulnus sævum ac pessimum*: sive, ut Græca habent, ulcus malum ac noxium. Ita Vatablus & alii. Dicitur tamen *vulnus*, quia ulcus dum aperitur, fit vulnus; *sævum*, id est, dirum, horridum: rursum *sævum*, hoc est, sæviens, dolore affligens & crucians Antichristianos: *& pessimum*, id est, maximè putidum, pudendum & fœtidum. Alludit ad sextam plagam Ægypti, de qua dicitur Exod. cap. 9. ver. 10. *Factaque sunt ulcera vesicarum turgentium*: & ad ulcera, quibus Deus percussit Philisthæos ob captam & circumductam Arcam Testamenti, de quibus dicitur 1. Regum cap. 5. vers. 6. *Aggrauata est manus Domini super Azotios, & percussit in secretiori parte narium Azotum.* Et mox ver. 9. *Computrescebant prominentes extales eorum.* De quibus dicitur & Psal. 77. vers. 66. *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* Simili ergo plaga pudenda, æquè ac dolorosa percutiet Deus in fine Mundi eos qui habent characterem Bestiæ, id est, Antichristi, de quo dixi suprà in Tract. VI. nimirum ut puniat tùm alia eorum scelera,

Prima plaga Antichristianis infligenda.

lera, tùm pudendas libidines, quibus Antichristus & Antichristiani fræna laxabunt. Sic etiamnum hodie Deus punit obscœnos, & libidinosos obscœnis & molestis ulceribus ac lue Venerea, sive morbo Gallico, maximè in membris verecundis, quibus peccaverunt. Deus enim *ipsa peccata sic ordinat, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti*, ait S. Augustinus in Psal. 7.

XXIX. Secunda Plaga.

Secunda Plaga erit: *Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui:* hoc est, sanguis tam recens & ruber, ut ille qui effunditur ex homine cùm jugulatur: vel niger & crassus, ut hominis mortui, jam conversus in saniem & tabum: vel tanquam si in ipso mari occisa essent multa hominum millia, ex quorum effuso cruore mare tingeretur. *Et omnis anima vivens mortua est in mari:* hoc est, mortui sunt omnes pisces: forsitan intelligit de navigantibus, qui tunc reperti sunt in mari. Mare porrò intelligimus Palæstinum, quod Terræ Sanctæ alluit littora, forsan & Phœnicium, & Syricum, & Ægyptium propriora locis ubi major vigebit vis Imperii Antichristi, & major numerus Antichristianorum invenietur: significatos quoque putamus lacus omnes Palæstinæ, qui Hebraico idiomate maria vocantur: ut Samochonitem, Gadaræum, Genezareth, Asphaltitem.

XXX. Tertia Plaga.

Tertia Plaga: *Et tertius Angelus effudit phialam suam in flumina, & fontes aquarum, & factus est sanguis.* Hæc plaga illi Ægyptiacæ similis proculdubio futura est, de qua Dominus ait Exod. 7. ver. 19. *Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super filios eorum, & rivos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem: & sit cruor in omni terra Ægypti, tàm in ligneis vasis, quàm in saxeis. Feceruntque Moyses & Aaron sicut præceperat Dominus: & elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in sanguinem. Et pisces qui erãt in flumine, mortui sunt, computruitque fluvius, & non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis: & fuit sanguis in tota terra Ægypti.* Hæc omnia eventura in Judæa Antichristi sequacibus S. Ioannes affirmat: unde Angelus aquarum Præfectus exclamabit: *Justus es Domine, quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt: & sanguinem eis dedisti bibere; digni enim sunt.*

XXXI. Quarta Plaga.

Quarta Plaga: *Et quartus Angelus effudit phialam suam in Solem, & datũ est illi æstu affligere homines, & igni: & æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatum super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.* Revocant hæc nobis in memoriam, quæ de Athlantis montis incolis, Herodotus lib. 4. ad finem refert his verbis: *Hi Solem transcenden-*

dentem execramur, eique præterea omnia convicia ingerunt, quòd torridus & ipsos & Regionem perdat. Hæc ipse. De eisdem quoque hæc Plinius lib. 5. cap.8. *Solem Orientem, Occidentemque dira imprecatione contuentur, ut exitialem ipsis, agrisque.* Eadem omninò Solinus in Polyhistore cap.44. & Mela 1. cap.8. Quo putant respexisse Iob 3. ver.8. cum dixit: *Maledicant ei, qui maledicunt diei, &c.* Sed de his aliàs. Ista enim tantùm attulimus; ut ostenderemus quam importabilis sit vis Solis ardentis, quæ sic homines ad blasphemias in Deum adigat.

XXXII. Quinta Plaga.

Quinta Plaga: *Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem Bestiæ. Et factum est regnum ejus tenebrosum, & commanducaverunt linguas suas præ dolore: & blasphemaverunt Deum Cæli pre doloribus; & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.* Putamus hic sub una plaga duas comprehendi crudeles clades, quæ simul infligentur. Prior instar illius Ægyptiacæ de crassis & palpabilibus tenebris. Nimirum super Hierusalem, & totam Iudæam, quæ sedes & Thronus erit Regni Bestiæ, hoc est, Antichristi, effundentur densissimæ, & nigerrimæ tenebræ super Antichristianos, tam horribiles, & spissæ, ut palpari attrectarique possint, & nemo vel alterum videre, aut è loco in quo erit moveri valeat: quamdiu tenebræ durabunt: cùm tamen pii & Orthodoxi in clara luce sint futuri. Vides hic apertissimè significasse S. Ioannem se loqui in his plagis de Antichristo, quem Bestiam, ut sæpè vidimus, solet appellare, ac de ejus sectatoribus, & totius impietatis caterva.

XXXIII. Altera Plaga.

Altera Plaga erit: quòd eis tunc infligentur vulnera, vel Divinitus, vel mutuo inter se more Andabatarum in tenebris præ desperationis furore digladiantes: atque ex vulneribus acerbissimi dolores & cruciatus exorientur, quos etiam tenebræ vehementer augebunt. Quod verò ait: *Et manducaverunt linguas suas præ dolore, &c.* Vel certè verè ita fiet: nam & de Georgeo Castrioto dicto Scanderbego Duce incomparabili prodit Marinus Barlerius in ejus vita lib. 13. interdum præ angore animi cogitabundum sibi labia dentibus præcidere solitum, ut sanguis etiam per barbam & pectus deflueret: vel est summi doloris & indignationis scita pictura, & gravis hyperboles.

XXXIV.

Si quis verò nolit agnoscere hic novam vulnerum plagam, dicat, quòd in Quinta ista tenebrarum plaga cùm viderint Antichristiani tot jam præcessisse plagas, nec adhuc esse finem tantorum malorum, ad summum dolorem & desperationem adactos ex tot jam inflictis hactenus plagis, quæ hic vulnera vocat per summam indignationem & odium Dei commanducaturos sibi linguas, & omnipo-

Sexta, & septima Plaga.

tentem maledictis proscissuros. Sexta & septima Plaga referendæ sunt ad extremum illud, & memorabile prælium Gog & Magog, de quo in sequenti Tractatu sumus ubertim acturi. Cæterum Henoch & Elias juxta Vaticinium S. Joannis in Apocal. cap. 11. ver. 7. & consensum omnium ejus Interpretum, cùm finierint testimonium suum, id est, expleto tempore prædicationis ipsorum, Bestia quæ ascendit de abysso, hoc est, Antichristus, qui sævus erit & ferus ut bestia, non terrena, sed infernalis, quasi ascenderet de abysso, quia dæmones eum agent & possidebunt, ac per eum omnem suam truculentiam in Henoch & Eliam, aliosque Sanctos eorum asseclas exercebunt; bellum adversus eos faciet, & vincet illos: non quidem eorum animum, constantiam, patientiam, fortitudinem, doctrinam, Fidem, pietatem, Religionem, libertatem prædicandi Christum frangendo: eò quòd ipsi veri testes erunt irrefragabiles; sed corpore tantùm vincet, & occidet eos non simplici & cita morte, sed per omnia pœnarum & suppliciorum genera traductos & excarnificatos: ergo Henoch & Elias usque ad suum testimonium, quod finient post dies 1260. ut ostendimus suprà, erunt invincibiles, immò omnes & omnia vincent suo igne & plagis; sed peracto suo officio & temporis spatio à Deo sibi decreto, sinent se vinci & occidi, ut morte & Martyrio obsignent suum de veritate & Christi testimonium; siquidem ante ne pilum à quoquam lædi poterunt, multo minus interfici. Itaque duo ista omnis, doctrinæ & probitatis clarissima lumina cùm cernent sibi proximè à Deo parato Martyrio occumbendum fore, præmonitis & confirmatis fidelibus, prænuntiataque palam & apertè morte sua, atque Christianorum animis erectis, ne in sævissimo mortis genere, quod ipsis infligetur, scandalizentur, aut corruant: nam statim quidpiam magnum ad eorum gloriam fieri cernent: tanquam mansuetissimi agni ad victimam procedent, & Martyrium pro Christo obibunt ab Antichristo. Et sic interficientur ab eo. Et corpora eorum per tres dies & dimidium insepulta jacebunt in plateis Hierosolymæ, quæ tunc ab Antichristo Judæisque instaurata erit amplissima: & propter Antichristum & suos pejor quàm Sodoma & Ægyptus existet. Dico cum S. Joanne in plateis, quòd seorsim unum corpus in una, & aliud in alia platea ponetur per summam crudelitatem & ignominiam: nec quispiam ausus erit ea deponere in monumentis, propter timorem Antichristi. Quia dicit S. Thomas, quòd hoc non permittet Antichristus propter odium populi Christiani, ut quicunque illa viderit, formidare debeat. Itaque Antichristus non sinet corpora Henoch & Eliæ sepeliri, ut iis insultet & quasi victor de iis triumphet. Eo tempore plerique homines impii, utpotè subditi

Finis prædicationis Enoch & Eliæ.

Antichristus bellum adversus Enoch & Eliam faciet, & vincet eos: sed quomodo.

Enoch & Elias ab Antichristo victi occidentur ab eo.

Corpora Enoch & Eliæ per tres dies & dimidium insepulta iacebunt in plateis Hierosolymæ

Anti-

Antichristo, eiq; quasi domino suo se confirmantes, gaudebunt: quoniam occisi sunt hi duo Prophetæ, qui cruciaverunt eos verbis minacibus, igne & plagis, quas ostendimus supra. Itaque Antichristiani vehementissimè lætabuntur, hoc est, ingens gaudium capient, & munera mittent invicem; cùm viderint extinctos Henoch & Eliam, atque putabunt nullam amplius se passuros cladem, sed deinceps jucundissimam vitam in omni delitiarum genere acturos. Verùm breve erit hoc Antichristianorum de eorum cæde gaudium, quod mox acribus æternisque suppliciis à Deo vindicabitur. Breve ex adverso erit Henoch, & Eliæ opprobrium, quod mox in æternam gloriam convertetur. Verè S. Athanasius, grassantibus, & furentibus Arianis Alexandriæ, consulatus est & animavit Orthodoxos, dicens: *State, nubecula est, quæ citò transit*. Quàm brevis erit gloria Antichristi, & impiorum præ æternitate pœnarum? quàm brevis erit afflictio & opprobrium Henoch & Eliæ præ æternitate præmiorum! Nam post tres dies & dimidium, quibus eorum mors satis superque cunctis erit explorata, publicè, omnibus Antichristi asseclis ex toto Orbe Hierosolymam confluentibus inspectantibus, resurgent: eò quòd spiritus vitæ à Deo, id est, animæ eorum intrabunt in eos: & stabunt super pedes suos viventes immortales jam & impassibiles. Imitabuntur ergo Henoch & Elias resurgentem Christum Dominum suum: hic enim tertio die à morte resurrexit. Et in illa hora timor magnus cadet super eos qui videbunt eos ita glorificatus. Et audient vocem de Cęlo, dicentem eis: *Ascendite huc*, id est, venite ad consortium Angelorum & Sanctorum. Ac mox ipsi coram omnibus palam cum summa gloria in Cęlum subvehente nube lucida ascendent, stupentibus adversariis. Nullus erit hostibus veritatis tergiversandi relictus locus, cùm in quodam quasi Theatro Orbis terrarum tantum miraculum perpetrabitur. Glorificati igitur ascendent Henoch & Elias in Cęlum: uti ibidem fecit Christus. Act. 2. Et justum, ut qui Christum imitati sunt in tribulatione, prædicatione & passione, conformentur illi in ascensione, juxta illud Matth. 23. & Lucæ 14. & 18. *Qui se humiliat, exaltabitur*: tuncque fiet magnus terræmotus, quo decima pars Hierosolymæ corruet, & septem hominum millia occidentur: reliqui hac strage non occisi, sed superstites, timore perculsi laudem & gloriam Deo dabunt. Erunt forsan isti Christiani Sancti & electi, qui eo tempore Hierosolymis existent: aut Antichristiani, qui visis tot miraculis ad Deum & Christum per pœnitentiam convertentur. Et hoc est quod dicit Hieremias 23. *In diebus illis salvabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter*: Tunc enim omnis Israel salvus fiet, ut præ-

Antichristiani vehementissime lætabuntur, & munera mittent invicem, cùm viderint extinctos Henoch & Eliam.

Breve erit hoc Antichristianorum de Enoch & Eliæ cede gaudium, quod mox acribus, æternisque suppliciis à Deo vindicabitur.

Breve ex adverso erit Enoch & Eliæ opprobrium, quod mox in æternam Gloriam convertetur.

Enoch & Elias post tres dies & dimidium, quibus eorum mors superque cunctis erit explorata, publice, omnibus Antichristi asseclis ex toto Orbe Hierosolymam confluentibus inspectantibus, resurgent, & glorificati ascendent in Cœlum.

Eo tempore fiet magnus terræmotus, quo decima pars Hierosolymæ corruet, & septem hominum millia occidentur: reliqui hac strage non occisi, sed superstites timore

prædixit S. Paulus Rom. 11. ver. 26.

Sed ex his, quæ de præfatis duobus Prophetis dicta sunt suprà ex S. Joanne cum consensu omnium Patrum ac Interpretum, mirati sumus Lanctantium Firmianum, qui omnia quæ S. Joannes de duobus his testibus contra Antichristum venturis prædixit, ipse de uno tantùm ac suppresso nomine fuerit interpretatus, sic lib. 7. Divinarum inst. cap. 17. scribens: *Imminiente jam temporum conclusione, Propheta magnus mittetur à Deo, qui convertat homines ad Dei agnitionem, & accipiat potestatem mirabilia faciendi. Ubicunque non audierint eum homines, claudet Cælum, & abstinebit imbres, & aquam convertet in sanguinem, & cruciabit illos siti ac fame. Et quicunque conabitur eum lædere, procedet ignis de ore ejus, atque comburet illum. His prodigiis atque virtutibus convertet multos ad Dei cultum, peractisque, operibus ejus, alter Rex orietur ex Syria malo spiritu genitus, euersor ac proditor generis humani, qui reliquias illius prioris mali cum ipso simul deleat. Hic pugnabit adversus Prophetam Dei, & vincet, & interficiet eum, & insepultum jacere patietur. Sed post diem tertium revivifcet, atque inspectantibus & mirantibus cunctis rapietur in Cœlum.* Ita Lactantius, quem palam est, non rectè memorare unum duntaxat Prophetam venturum contra Antichristum. Hinc fateor ego, eum perperam intellixisse verba Apocalypsis. Postquam autem Antichristus Henoch & Eliam trucidaverit, tunc Christiani majori mentis ardore viso tanto miraculo resurrectionis & glorificationis illorum, Fidem Christianam palam, publicèque profitebuntur, & qui in latebras (ut diximus suprà prope finem præcedentis Tractatus) ante se condiderant, illis relictis ac omni discusso metu in lucem prodibunt, Divinam Religionem acerrimè propugnaturi. Nec à vero abludit Ribera in 20. Apocal. num. 69. tunc reperiendos in Hierusalem plurimos Christianos ex omnibus Orbis partibus, qui non sine Dei nutu sub initia prædicationis Henoch, & Eliæ in Hierosolymam certatim confluent, ut tantos Prophetas videre & audire possint. Diximus insuper suprà in hoc Tractatu, plurimos de Antichristianis viso terræmotu, qui post mortem clarissimorum Apostolorum, & eorum assumptionem in Cælum eveniet, Fidem Christi amplexuros. Quæ omnia cùm viderit Antichristus dolore rumpetur, ac furibunda infernalique rabie cernens se hactenus nihil effecisse, sed potiùs cuncta sua in deterius prolabi, Fideles augeri, eorumque res magis illustrari, & clariores reddi; decernet ultimo ac sævissimo prælio simul omnes Christianos aggredi, eosque funditùs perdere, ut ne pilus quidem ex eis remaneat: sicque extrema phrænesi furens, omnes suos exercitus cum Du-

---

re perculsi laudem, & gloriam Deo dabunt.

XXXV.

Post clarissimum Enoch & Eliæ Martyrium, Resurrectionem, & in Cœlos Assumptionem, tunc Christiani Fidem Orthodoxâ palam, publicèque profitebuntur: & qui in latebras ante se condiderant, illis relictis ac omni discusso metu in lucem prodibunt, Divinâ Religionē acerrimè propugnaturi.

Postquam Antichristus Enoch & Eliam trucidaverit tūc plurimi de Antichristianis, viso terræmotu, & tanto miraculo Resurrectionis & Glorificationis illorum, Fidem Christi sunt amplexuri.

Quæ omnia cum viderit Antichristus dolore rumpetur, ac extrema phrænesi furens, omnes suos exercitus cum ducibus eorum in unum coget, ut jam non singulos, aut per partes, sed omnes simul Christianos collatis in

Ducibus eorum, quos jam evocaverat ex Oriente, ac præsertim Gog & Magog copias, quas etiam evocaverat ex quatuor terræ plagis, qui omnes ad eum convenerant in Judæa, in unum coget, ut jam non singulos, aut per partes, sed omnes simul Christianos collatis in unum cunctis suis, suorumque viribus ferro, & igni trucidet, nec ullus evadat.

in unum cunctis suis, suorumque viribus ferro, & igni trucidet, nec ullus evadas.

XXXVI.

Quòd autem ad istum acerrimum conflictum sint immensi exercitus Gog & Magog præparandi, indicat vaticinando S. Joannes in Apocal. cap. 16. vers. 12. ubi hæc de apparatu eorum belli accuratè pronunciat: *Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten: & siccavit aquam ejus, ut præpararetur via Regibus ab ortu solis*: Erunt isti Reges septem illi Antichristo subditi: & quia aliqui ex his erunt in Oriente, hinc siccabitur ab Angelo Euphrates, ut facilè possint ad Antichristum transire, utque cum illo contra Christum & Ecclesiam pugnantes, à Deo proterantur: ideòque hæc siccatio Euphratis quæ fiet à bono Angelo, non fiet, nec cedet in bonum & victoriam Antichristi & Antichristianorum, quales erunt hi Reges, sed Christi & Christianorum. Viegas verò super adducta verba S. Joannis censet sect. 3. (licèt sect. 2. contrarium dixerit) & Genebrardus in Psal. 67. ver. 37. hos Reges venturos non pro, sed contra Antichristum, atque pro Christo, & Ecclesia pugnaturos: tùm quia emittuntur ab Angelo bono, qui eis siccat Euphraten: tùm quia Antichristus contra eos ingentem parabit exercitum. Hæc sententia in speciem videtur probabilis. Probabilius tamen videtur contrarium, scilicet eos pro Antichristo contra Ecclesiam venturos. Ita Ribera & alii. Nam hæc spectant ad ultimum Antichristi annum, quo ipse jam subjectos habebit omnes Orbis Reges, eritque Monarcha: unde acerrimam instituet ubique persecutionem in Christianos, ac contra eos hunc exercitum convocabit, ut per eum fideles ubique perscrutetur, oppugnet & exterminet. Erit enim hoc ultimum bellũ, ultima Antichristi persecutio, quam præcedet præfatus belli Gog & Magog apparatus, ut enarrat S. Joannes ubi supra ver. 13. *Et vidi* (inquit) *de ore draconis, de ore bestiæ & de ore pseudo prophete spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedent ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei*. Atque hæc magis explicans idem S. Joannes cap. 20. ver. 7. habet: *Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur Sathanas de carcere suo, & exibit, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris*.

Immensi exercitus Gog & Magog ab Antichristo præparandi ex Apocalypsis Oraculo

Antichristus instituet ubique persecutionem in Christianos, ac contra eos hunc exercitum convocabit, ut per eum fideles ubique perscrutetur, oppugnet, & exterminet.

Hoc erit ultimum bellum, ultima persecutio, quam præcedet præfatus belli Gog & Magog apparatus.

Pe-

XXXVII.

Locus ubi congregandi sunt exercitus Gog & Magog, & aliarum Gẽtium ad prælium in die magno omnipotis Dei.

Peculiariter quoque (ut ait Malvenda lib. 10. de Antichristo cap. 10.) designare voluit Spiritus Sanctus locum, ubi innumerabiles copiæ Gog & Magog, & aliarum ferarum Gentium sub Antichristi ductu congregandæ sunt ad ultimum prælium contra Christianos faciendum. Inquit enim S. Joannes in Apocal. cap. 16. ver. 16. *Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon.* Ita (ut refert ibi Cornelius à Lapide) Romana, & Græca legunt, non *Armageddon*, sed *Armagedon* penultima brevi. Arabicus quoque legit *Armacbadon.* Ergo Reges & Principes & populi totius terræ, qui jam ad Antichristum (ut supra audisti) in Judæa convenerant à dæmone in postremum certamen contra Ecclesiam per se, & Antichristum perpetrandum, congregabuntur in Armagedon, qui locus (ut inquit S. Hieronymus in Nominibus Hebraicis) interpretatur consurrectio tecti, sive consurrectio in priora, quia Antichristo everso rursum Ecclesiæ tectum in pristinam gloriam consurget: Sed melius mons est latrunculis, vel mons globosus: quia scilicet eò convenient Antichristiani, qui fures erunt & latrones volent enim furari Deo suum honorem, & Sanctos vita spoliare: Addit Viegas super adductum locum Evangelistæ, Armagedon significare montem pomorum, sive fructuum: meged enim significat pomum.

Armagedon quid?

S. Hieronymus ait esse montem ubi fures habent refugium.

XXXVIII.

Tichonius & Ribera existimant Armagedon esse Mageddo, qui est cãpus & Civitas in tribu Manasse, juxta Iezrabel.

Tichonius verò Homil. 13. in Apocal. loco supra indicato, & Ribera ibidem putant Armagedon esse Mageddo, qui est campus, & Civitas in tribu Manasse, juxta Jezrabel, ubi à Nechao Ægypti Rege, Josias Rex pientissimus Juda cum eo in Campo illo magno pugnans, sagitta percussus occisus est, 2. Paral. cap. 35. ver. 22. Neque id vero est absimile. Favent enim Septuaginta, qui Zachar. cap. 12. ver. 11. ubi nos legimus, *Sicut planctus Adadremmon in campo Maggeddon*, vertunt, *Sicut campus malogranati, quod in campo succiditur*, quasi in Mageddo littera M. sit servilis, & heemantica, ac radix ejus sit gada, id est, succidit; quæ etiam est radix, & etymon Armagedon, ut mox dicam.

XXXIX.

Cornelius à Lapide dicit quòd ad Mageddo additur Ar, quod, non campum, sed montem significat.

Non Maggeddo, sed Armagedon vocatur.

Verùm, quia (ut inquit ubi suprà Cornelius à Lapide) ad Mageddo hic additur Ar, quod non campum, sed montem significat; neque Mageddo, sed Armagedon vocatur: & quia nusquam alibi Scriptura, nec Cosmographi meminerunt loci qui vocetur Armagedon; hinc verius videtur, Armagedan novum esse nomen loci, quod illi imponetur ab eventu tempore Antichristi. Armagedon enim significat Hebraicè dolum congregationis exercitus, sive insidias, vel dolum excidii. Derivatur enim à radice aram, id est, dolosè egit, astutus fuit, (unde orma est dolus, vel astutia) & gadad, unde per crasin fit gad, id est, exercitũ congregavit; vel à gada,

id

id eſt, ſuccidit:unde gidon,eſt ſuccisio; itaque vocatus eſt Gedeon, quia ſuccidit altare Baal, indeque ſuccisurus erat Madianitas. Pro Hebræo gidon, Græci dicunt gedon: quia non poſſunt exprimere mediam literam ain,quæ eſt in gidon. Dicitur ergo hic locus Armagedon, quia in eum Deus callidè, & quaſi per dolum præfatos Reges cum Atichriſto adunabit, ut omnes uno die perdat. Aut certè Armagedon ſignificat anathema,vel excidium excidii: quia ſcilicet Deus ibi Antichriſtum cum ſuis pleno excidio ad internecionem uſque delebit:cherem enim, ſive chorma,vel,ut nos dicimus,horma, (de quo Numer.cap.21.ver.3.)Hebraicè ſignificat anathema,vel rem excidio addictam & devotam: gidon ſignificat ſuccisionem & excidium: litera enim chet, quæ prima eſt in cherem & chorma, quia gutturalis eſt, eaque durior pronunciatu, eo quòd ſit profundæ aſpirationis; hinc apud Græcos & Latinos liqueſcit & perit, ut pro chorma dicamus horma. Idem fit in nominibus Oreb, Enoch, Ezechias, &c.in quibus prima litera chet perit & evaneſcit. Porrò familiare eſt Hebræis nomina imponere ab eventu, maximè bellico. Sic enim locus in quo cæſi ſunt Chananæi ab Hebræis, vocatus eſt horma Numer. loco relato (quò fortè illic alludit S. Joannes). Sic alius locus in quo Philiſtæi à Iudæis cæſi ſunt, vocatus eſt Lapis adjutorii, 1. Reg. cap. 7. ver.12. Alius vocatus eſt Baal pharaſim, 2. Regum cap. 5.ver.20. Alius ubi Samſon maxilla cecidit mille Philiſtinos,inde nuncupatus eſt Ramath, id eſt elevatio maxillæ, Iudic. 15.ver.17. Veriſimile eſſe ſuſpicatur Cornelius à Lapide ubi ſupra Armagedon fore iuxta Hieruſalem & vallem Ioſaphat, tùm quia ibi erit regia Antichriſti: tùm quia in valle Ioſaphat futurum eſt Iudicium, uti patet Ioelis cap.3.ver.2. tùm quia Armagedon Hebræum eſt nomen. Erit ergo in Palæſtina & Iudæa.

XL.

Malvenda ſequitur præfatam ſententiam Tichonis & Riberæ.

At Malvenda lib.X.de Antichriſto cap.10.ſequens præfatam Tichonii & Riberæ ſententiam putat in ampliſſimo campo Mageddo nobili in Scriptura Sacra S.Ioſiæ Regis interitu,quem olim vocaverunt Eſdrelon,Iudith.1.quem ab urbe Iezrael, quæ in eo campo ſita quondam, Regia fuerat decem Tribuum,luxato & corrupto vocabulo ita appellatum fuiſse, exiſtimarunt aliqui, congregaturum Antichriſtum omnes ſuos exercitus, & omne robur belli ad interficiendos omnes Chriſtianos; quas immenſas copias, & cunctum prælii apparatum, ordines acieſque inſtructas & armatas ad certamen ſpiritu Prophetico tanquam præſentes intuens S. Ioannes in Apocal.cap.19. ver.19. ita inquit: *Et uidi Beſtiam*, ſcilicet Antichriſtum, *& Reges terræ, & exercitus eorum*, nempè Gog & Magog *congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui ſedebat in equo*, hoc eſt, Chriſto, *& cum exercitu eius*, nimirum Sanctorum Angelorum, & Chri-

Antichriſtus cōgregabit omnes ſuos exercitus, & omne robur belli ad interficiendos omnes Chriſtianos.

Christianorum &c. Et rursus addit cap.20.ver. 8. *Et ascenderunt* nempe exercitus Gog & Magog *super latitudinem terræ & circuierunt castra Sanctorum, & Ciuitatem dilectam.* Castra Sanctorum, & Civitatem dilectam vocat Evangelista cœtum Christianorum,& Sanctam Ecclesiam,quæ Hierosolymis & in Iudæa erit,quam impii exercitus Gog & Magog circuibunt: quia ad eam funditùs delendam in armis erunt,& viis omnibus validis præsidiis præclusis dabunt operam, ne ullus Christianus fugere, aut evadere possit. Et maxime fit verisimile,ut notat Ribera in 20.Apoc.Antichristanos, qui tunc Christianis permisti erunt in Terra Sancta,lōgè recessuros ab eis, ac solos pios extremo discrimini relicturos,ut soli ipsi tanto belli turbine obruantur. Tu nunc animo perpende quanto in metu ac trepidatione Christiani sint futuri,ubique pavor, & plurima mortis imago: quanto lachrymarum imbre opem Sanctorum Angelorum ac Divorum, & ante omnes Sacræ Deiparæ implorabunt.Sed quid tunc sit eventurum ostendemus in sequenti Tractatu.



TRA-

TRACTATUS
NONUS AC ULTIMUS,
De exitiali strage exercituum Gog & Magog, & morte Antichristi.



Taque post mortem, & ascensionem in Cęlum Henoch & Eliæ, sævissima existet persecutio Antichristi, quam significavit Angelus Danieli his verbis, quæ ipse refert cap. 12. *Et veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cæperunt, usque ad tempus illud.* Etenim Antichristus post Henoch & Eliæ ascensum in Cælum regnabit quindecim diebus, & in istis diebus magnā diabolus per Antichristum tribulationem, & certè maximam exercebit in Ecclesia. Nam ut dicit S. Isidorus lib. 1. de summo Bono cap. 28. Quantò brevius tempus restare sibi videtur Sathanas ut damnetur, tantò majorem terræ persecutionem movebit contra homines, Divina justitia permittente: ut glorificentur justi, & sordidentur impii & iniqui. Et ut diabolo durior accrescat damnationis sententia. Erit tunc, ut habetur Matth. 24. tribulatio magna ex vehemētia tyrannicæ persecutionis, quam Antichristus exercebit. Quæ talis erit, qualis ab initio Mundi usque modò, nec postea in perpetuum fiet. In illis diebus, ut habetur in Apocal. 9. ver. 6. aliqui lædentur per hæresim, aliqui per hypocrisim, aliqui per violentiam, per Antichristi persecutionem. Et quærent homines mortem, id est, desiderabunt mori, præ nimia tribulatione & terrore: & non invenient eam, quia fugiet mors ab eis, sicut Elias 3. Reg. 19. tempore persecutionis Iezabel. Tunc enim exercitus Gog & Magog & aliarum ferarum gentium jussu Antichristi sævissimè cruciabunt Christianos obsessos in Terra Sancta: qui idcircò exclamabunt ad Deum voce magnā, & auxilium Cæleste implorabunt; & exaudiet eos Deus, & mittet de Cælo Michaelem

Post mortem & ascensionem in Cœlum Enoch & Eliæ, sævissima existet persecutio Antichristi.

Erit tunc tribulatio magna ex vehementia tyrannicæ persecutionis, quam Antichristus exercebit. Et erit talis, qualis ab initio Mundi usque modo, nec postea in perpetuum fiet. Et exclamabunt ad Deum voce magna auxilium cæleste implorabunt, & exaudiet eos Dominus.

 Archan-

Archangelum, qui eos eripiat & liberet, omnesque impios illos igne seu ingenti fulgure disperdet. Sunt qui putent id Christum patraturum, & realiter ac visibiliter futurum: nimirum ut tunc magnificentissimo & gloriosissimo apparatu cum Angelorum exercitu discisso Cælo in Æthere eum ingenti splendore conspiciatur Christus, & verbo suo prosternat omnes Antichristi copias, congregatas in Armagedon ad pugnandum contra ipsum & Christianos. Quam perniciosam stragem ita prædicendo enarrat Ezechiel Propheta cap. 38. vers. 18. *Hæc dicit Dominus Deus. Et erit in die illa, in die adventus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo. Et in zelo meo in igne iræ meæ locutus sum. Quia in die illa erit commotio magna super terram Israel, & commovebuntur à facie mea pisces maris, & volucres Cæli, & bestiæ agri, & omne reptile quod movetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terræ: & subvertentur montes & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram. Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis*, rectè quia (ut ait Malvenda lib. 10. de Antichristo cap. 11.) Terra Sancta montosa est, & in campo illo magno Esdrelon sunt montes Thabor, Hermon, Gelboe: *Gladium ait Dominus Deus: gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur. Et judicabo eum peste, & sanguine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis: ignem, et sulphure pluam super eum, et super exercitum ejus, et super populos multos, qui sunt cum eo:* Hæc Ezechiel qui rursus addit cap. 39. ver. 4. *Hæc dicit Dominus Deus: super montes Israel cades tu, Gog, et omnia agmina tua, & populi tui, qui sunt secum: feris, avibus, omnique volatili, & bestiis terræ dedi te ad devorandum*. Et ver. 11. *Dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israel, Vallem viatorum ad Orientem Maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes: & sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius, & vocabitur Vallis multitudinis Gog. Nomen autem Civitatis Amonadab.* Vallis viatorum ad Orientem Maris illam proculdubio intelligimus cum Malvenda ubi suprà, quam Scriptura vocat Genes. 12. ver. 6. Convallem Illustrem, quam Brocardus in Descriptione Terræ Sanctæ ita describit: *Cæterum in planitie, quæ est inter montes Hermon & Gelboe incipit convallis, quæ ob sui amænitatem dicitur Illustris, extenditurque in longum per totum descensum Jordanis usque ad Mare mortuum, seu lacum Asphaltitem.* Hæc ille. Porrò Orientem Maris accipi nolumus cum quibusdam Mare mortuum vel Asphaltitem, sed mare Tiberiadis, seu stagnum Genesareth, ut interpretatur Chaldæus quasi dicat versus mare Genesar; quod illi Valli est ad Orientem: nam mare Salsum potiùs à Meridie terminat illam Vallem.

Exitialis strages exercituum Gog & Magog ex Ezechielis Vaticiniis.

Quod

Quod vero ait: *Quæ obstupescere faciet prætereuntes*; Hebraicè ad II.
verbum: *Et obturans* constringens, vel obstruens *transeuntes*, ferè exponunt: Præ fætore cadaverum obturans nares prætereuntibus, vel arcet transeuntes. Mihi melius videtur, Claudens transeuntes: tot erunt cadavera ut illac præcludatur iter prætereuntibus, cùm tamen illic via publica esset ad mare Tiberiadis: immensa. cadaverum congeries viam obstruet, sed doctè Noster, *obstupescere faciet prætereuntes*, cùm viderint tantos occisorum acervos. *Et vocabitur*, inquit *Vallis multitudinis Gog* Hebraicè, *Æve Hamon Gog. Nomen autem Civitatis Amonah*, hoc est, Multitudo ejus. Septuaginta elyandrion, id est, cæmeterium, seu multitudo cadaverum: Et ver. 17. *Tu ergo fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucri, & universis avibus, cunctisque bestiis agri: Conuenite, properate, concurrite undique ad uictimam meam, quam ego immolo uobis, uictimam grandem super montes Israel: ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem. Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis: arietum, & agnorum & hircorum taurorumque & altilium, et pinguium omnium*: Erunt forsitan hæc omnia ad delicias, & ganeam in exercitibus Antichristi. *Et comedetis adipem in saturitatem et bibetis sanguinem in ebrietatem, de uictima quam ego immolabo vobis: et saturabimini super mensam meam, de equo, et equite forti, et de uniuersis uiris bellatoribus, ait Dominus Deus. Et ponam gloriam meam in Gentibus, et uidebunt omnes Gentes Iudicium meum quod fecerim, et manum meam quam posuerim super eos*: Huc usque Divinus Vates. Quæ omnia adamussim consonant, seu consentiunt cum his quæ S. Joannes de prælio Antichristi, & Gog, & Magog vaticinatur in Apocal. 19. ver. 11. *Et uidi (inquit) Cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, uocabatur fidelis et Verax, et cum justitia iudicat et pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis, et in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et uestitus; erat ueste aspersa sanguine: et uocabatur nomen eius, Verbum eius: Et exercitus qui sunt in Cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. Et de ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus: ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat torcular uini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in uestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum, et Dominus dominantiū. Et uidi unū Angelum stantem in sole, et clamauit uoce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium Cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnā Dei: ut manducetis carnes Regū, et carnes tribunorum, et carnes fortium, & carnes equorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum, et*

 ser-

seruorum, et pusillorum, et magnorum. Et uidi Bestiam, nempè Antichristum, *et Reges terrę, et exercitus eorum* scilicet Gog & Magog, *congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, et cum exercitu eius. Et apprehensa est Bestia*, hoc est, Antichristus, *et cum ea pseudopropheta*, scilicet Armiger ejus, *qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius: et omnes aues saturatæ carnibus eorum*. Hucusque S. Ioannes. Non opus (ut inquit Malvenda ubi suprà) est pluribus edocere locum totum intelligi de Antichristo, & de extremo prælio Gog & Magog, quando crudeli & funesta clade exercitus Antichristi concidentur à Christo Domino per ministerium Archangeli Michaelis, qui eos fulmine interficiet. Nam & Bestia & Pseudopropheta, et consensus cum vaticinio Ezechielis, quod suprà ostendimus, non aliam commodè patiuntur interpretationem.

III. Pergit S. Ioannes describere exitiū belli Gog & Magog; cùm enim ubi supra cap. 20. ver. 8. denarrasset exercitus Gog & Magog circūsedisse castra Sanctorum, id est, receptacula & latibula Sanctorum Christianorum, & Civitatem dilectam, hoc est, Hierusalem, quam Ezechiel cap. 38. ver. 12. vocat umbilicum terræ, quia sita erat in medio terræ olim habitatæ, & licèt ea futura sit, regia Antichristi, tamen in ea multi habitabunt Christiani, utpotè Terra Sancta, in qua habitavit Christus, statim ver. 9. subdit. *Et descendit ignis à Deo de Cælo, et deuorauit eos: et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Itaque S. Ioannes describens stragem exercituum Gog et Magog, de qua suprà egimus, simul quoque narrat interitum Antichristi cum suo Præcursore: hinc arbitrati sunt aliqui, ut Ribera in 19. Apocal. manifestè redargui eorum opinionem, qui dixerunt Antichristum in monte Oliveti in suo papilione trucidandum à Michaele Archangelo; cùm ex verbis Evangelistæ perspicuè habeatur ipsum nefarium nebulonem potiùs. in Campo, vel Monte Armagedon, aut Mageddon vivum deglutiendum à terra, eadem hora, qua exercitus ejus extremo exitio peribunt. Verùm res est impendio dura tot Patres, tantumque Auctorum magnorum consensum asserentium Antichristum in monte Oliveti à Michaele interficiendum, prout nos infrà ostendemus, parvifacere, & pro nihilo ducere. Quo circa, ut Patrum Theologorumque veneranda auctoritas subsistat, nec verbis S. Joannis noscatur esse contraria, rationi maximè con-

consentaneum ducimus cum Malvenda ubi suprà cap. 15. non idcircò quòd Apostolus mortem Antichristi simul cum strage suorum exercituum retulerit, nos putare oportere, simul etiam atque in eadem hora eventuram, quasi verò non soleant interdum Prophetæ res diversorum temporum in una narratione conjungere. Quia enim propositum Evangelistæ erat cladem Gog & Magog, & mortem Antichristi describere, simul utrumque narravit, tametsi non eadem hora, sed parvo post tempore Antichristus sit interficiendus.

Ut igitur omnia cohæreant probabilissimè suspicamur cum Malvenda ubi supra, quòd Antichristus visa tanta suorum ruina in Campo illo Armagedon seu Mageddon, fuga se è castris cum suo Armigero ejecturus, & recepturus Hierosolymam, atque in Palatium suum seu Regiam se occlusurus. IV.

Tunc ad extremam provectus impietatem ac superbiam, dicturus se ultra non posse cum hominibus conversari propter peccata eorum, & in finem simulaturus se mori, & rursum ad vitam redire, ut habetur in Apocal. cap. 13. ver. 3. *Vidi unum de capitibus bestiæ*, id est, unum de principibus ministris diaboli, ipsum videlicet Antichristum, qui bestia septiceps erit, simulque eiusdem caput primum & præcipuum: *quasi occisum in mortem*, hoc est, fingentem se quasi mortuum. Finget enim Antichristus plagam lethalem & incurabilem, ex eaque se mortuum simulabit. Et sic latens per triduum, postea apparebit, dicens se resuscitatum: *& plaga mortis eius curata est*, id est, finget se rursus quasi extincta morte reviviscere. Cujus rei spectaculo, ceu ingenti miraculo obstupebunt omnes: unde ibi ver. 12. dicuntur homines adorasse bestiam, cujus curata est plaga: adorabunt autem Antichristum, non autem aliquem alium è Regibus, dicentes, *Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum eo?* Itaque Antichristus triduo transacto inopinatè omnibus se redivivum sistet & ostendet, ut scilicet hac ratione imitetur Christum tertio die à morte resurgentem. Ita tradunt Haymo, Beda, Primas. Richar. Ansbertus. Habeo ejusdem sententiæ gravissimum testem & Auctorem, Beatum Gregorium, qui lib. 11. Epistolarum, ex Registro, indictionis sextæ, cap. 3. ad hunc modum scribit: *Veniens in Mundum Antichristus, diem sabbati, & diem Dominicum ab omni iubebit opere custodiri. Nam, quia simulaturus est mori se, ac resurgere, ideò diem Dominicum veneratione haberi præcipiet. Quia verò judaizare populum compellet, ut ritus Mosaicæ legis revocet, & Iudæorum sibi subdat perfidiam, diem sabbati observari coget.* Hæc Gregorius. V.

Antichristus, ad extremam provectus impietatem ac superbiâ, in finem simulaturus se mori, & rursum ad vitam redire.

D. Gregorii sententia, cur Antichristus observaturus sit diem Dominicum & diem sabbati

Post hanc fictam & hypocriticam resurrectionem, Antichristus, VI.
cùm

cùm ad summum scelerum & blasphemiarum pervenerit, figet (ut ait Daniel 12.ver.45.) tabernaculum suum in Apadno, inter duo maria, super montem inclytum & Sanctum: & veniet usque ad summitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei. Vocabulum autem, Apadno, Auctore S.Hieronymo in eundem Danielis locum, compositum est ex voce *Apad*, quæ significat solium, seu thronum, seu palatium; & particula *no*, quæ sonat idem quod sui: & est sensus, figet tabernaculum suum, & thronum suum, inter duo maria, hoc est, mare mortuum ab Oriente, & mare magnum, seu Mediterraneum ab Occidente: in quorum medio, sita est Hierosolyma. Montem autem Sanctum & inclytum, appellat, vel montem Sion, ubi erit templum, in quo sessurus est Antichristus: vel montem Oliveti; ex quo Dominus ascendit in Cælum; quo in loco fertur, periturum esse Antichristum. Quocirca Theodoretus existimat, Apadnum, vel, ut ipse Græcam translationem secutus, vocat, Apadanum, fore quendam locum, non procul Hierosolymis; in quo ad extremum residebit Antichristus; atque inibi supremo perdetur exitio. Etenim Antichristus post fixum in eo loco tabernaculum suum, illicò, coram toto populo, id est, spectante infinita hominum turba, ascendet usque ad summitatem montis Sancti & inclyti, hoc est, veniet in verticem montis Oliveti, qui inclytus & Sanctus vocatur: voletque instar Christi in Cælum ascendere, ex quo se primitùs descendisse mentietur: attollent eum in aera dæmones sumentes speciem angelorum, cunctis admirantibus & divinitati ejus acclamantibus. Sed eo ipso temporis puncto à Christo per Michaelem Archangelum fulgore (ut infrà ostendemus) deturbabitur, ac mox Antichristum terra dehiscet, vivumque eum rapient dæmones in tartara, sive vivus eò perveniat, (perire enim de terra, & tradi igni gehennæ, erit ei mors & interfectio, ait Andreas Cæsar.) sive potiùs in via priùs moriatur & suffocetur. Vtrumque namque probabile est, uti & de Core, Dathan & Abiron docet Cornelius à Lapide super Numer.16.ver.33. Posterius tamen probabilius est & conformius Sacræ Scripturæ, quæ alibi dicit omnes omninò homines morituros, ut 2.Thess.2.ver.8.Hebr.9.ver.27. Hanc sententiam sequitur Malvenda lib. 10. de Antichristo cap. 15. nam ibi sic inquit: *Scimus quidem aliquos existimasse, ut Bedam, Anselmum, & alios in 19. Apocal. Antichristum non esse revera moriturum per separationem animæ à corpore, sed vivum detrudendum in infernum sempiternis cruciatibus simul cum corpore & anima excarnificandum, ut ne corpus tàm impii impostoris, vel morte tantisper vacet à tormentis, atque hoc æternum Antichristi singulari, extraordinarioque modo illatum supplicium rectè potuisse à S.Paulo interfectionem, & mortem appel-*

Quid sit, Apadno, ubi Antichristus fixurus dicitur tabernaculum suum.

Antichristi interitus.

Antichristus vivus mittendus est dehiscéte terra in infernum, ut antequam illuc perveniat, vel quàm primù pervenerit, moriatur.

appellari, facile quivis intelligit. At nos potius in Riberæ, Sà, & aliorum abimus libentes sententiam, Antichristum cum suo Hyperaspiste vivos mittendos dirumpente se terra in infernum, sed antequam illuc perveniant morituros, & in visceribus terræ relinquenda eorum cadauera, ne à communi lege morientium, ac resurgentium existimantur. Quod etiam de Dathan & Abiron, sociisque coniurationis prudenter plerique docuerunt, ut Lyranus, Tostatus, Hugo, Dionysius Carthusianus, Sà in 16. Numerorum. Ita Malvenda.

VII.

Antichristus occidetur in monte Oliveti, in papilione ac solio suo illo videlicet in loco quo Dominus in Cælum ascendit.

Occidetur autem Antichristus, *sicut Doctores tradunt, in monte Oliveti, in papilione ac solio suo, illo in Loco circa quem Dominus Cælos ascendit*, ait Haymo in cap. 11. Isaiæ. Quòd autem Antichristus, inquit S. Hieronymus ubi supra, venturus sit usque ad summitatem montis Sancti & inclyti, & ibi periturus, Isaias plenius loquitur, dicens: *Præcipitabit Dominus in monte Sancto, faciem dominatoris tenebrarum super omnes gentes, & eum qui dominatur cunctis populis, & unctionem quæ uncta est, contra universas nationes.* Tunc ergo nullus, ut ait (ut suprà audisti) Daniel, auxiliabitur Antichristo: quia tunc, quemadmodum idem capite octavo inquit, impius ille, sine manu conteretur: id est, non bello, non ferro, non humanis viribus, sed invisibili Christi potentia exanimatus peribit.

VIII.

Antichristus de mandato Christi fulminabitur per ministerium Archangeli Michaelis.

Itaque Antichristus omni ope & auxilio suorum, ac dæmonum præsidio destitutus, Divina Christi potentia concidet: eò quòd Dominus Jesus tunc miserens Ecclesiæ, descendet & interficiet Antichristum spiritu oris sui: id est, verbo suo, vel iussu seu Imperio suo, sua sententia, quasi afflatu mortifero afflabit & interimet illum: & destruet eum illustratione adventus sui ad Judicium, ut ait S. Paulus in 2. ad Thess. 2. Nam Antichristus (ut inquit S. Bernardinus Senensis de Judicio gener. serm. 11.) ab Archangelo Michaele percutietur fulmine, jubente Domino: quod ita futurum putamus cum Malvenda ubi supra; Nimirum descensurum Christum in aera specie visibili, & conspicua, fulgentissima, & clarissima luce circumdatum, Angelorum agminibus cinctum, & ibi simplici verbo imperaturum Michaeli Ecclesiæ Christianæ tutelari Præfecto, ut Antichristum extinguat: tum Michaelem ingenti tonitru, atque immenso fragore, & fulmine acerrimo totum illud Palatiū Apadno, seu Tentorium Antichristi in cineres & favillas redacturum, & Antichristum cum suo Pseudopropheta clarè & patenter appariturum, & cunctis Christianis, Judæis, & aliis qui tunc Hierosolymis erunt, palam cernentibus, Montem Oliveti dehiscente terra aperiendum, & Antichristum cum suo Achate fulmine raptatum & obvolutum vivum deglutiendum & devorandum à terra, ac demergendum

gendum & protrudendum in profundissimum Infernum ardentem igne & sulphure.

IX. Quoniam autem S. Paulus (ut suprà audisti) dixit, Antichristum Christi verbo, occisum iri; quæri posset, quali Christi verbo sit occidendus. Solus, omnium, quos adhuc legerim, Petrus Comestor Auctor Historiæ Scholasticæ in Historia Danielis cap. 12. id expressit: *Ascendente*, inquit, *per aera Antichristo, audietur vox Christi de Cælo missa, Morere: & confestim, fulmine percussus interibit.* Hæc, non ut mihi explorata certaque, sed ut ab aliis prodita, nec injucunda Lectori futura, hic referre volui. Quoniam S. Ambrosius, quem refert Ioannes Eckius Homilia quarta in Dominicam XXVI. post Pentecosten, in ea sententia est, ut putet Christum Antichristo appariturum, ipsumque vocis suæ virtute dejecturum in terram, quando in potestate & Imperio verbi sui diaboli sinent eum per præceps cadere in terram in conspectu omnium hominum, ut impleatur illud Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros libani, & transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & non inventus est locus ejus.* Sunt qui arbitrentur Michaelem, qui cum dracone pugnavit, ipsum Antichristum dejecturum, & diabolos à quibus ferebatur ab eo profligaturum, ut sic turpiter decidat. Lactantius verò Firmianus lib. 7. Divinarum institutionum cap. 19. Antichristi exitum, & interitum secus enarrat: nam putat Antichristum deletis omnibus suis copiis, & exercitibus supremo illo prælio, quod affatim descripsimus supra, victum, è tanta clade fugiturum, & bellum sæpè renovaturum, & sæpè quoque vincendum donec quarto prælio confectis omnibus impiis debellatis, & captus tandem scelerum suorum luat pœnas, traditus meritis cruciatibus, & exustioni. At hæc nescimus undenàm acceperit, & nullo modo cum præfato vaticinio S. Ioannis subsistere possunt. Non pigebit ex hoc loco verba ejus hunc in locum transcribere, incipiendo ea à cap. 17. nam ibi Lactantius agens de supremo Antichristi adversus Ecclesiam conflictu, nec satis probè tenens Sacrorum Prophetarum mentem, interdum quædam à vero abhorrentia prodidisse depræhenditur: post à se siquidem descriptam truculentiam persecutionis Antichristi, hæc subdit. *Cùm hæc ita erunt, tunc justi & sectatores veritatis segregabunt se à malis, & fugient in solitudines. Quo audito impius Rex,* nempè Antichristus *inflammatus ira, veniet cum exercitu magno et admotis omnibus copiis circumdabit montem, in quo justi morabuntur, ut eos comprehendat. Illi verò ubi se clausos undique atque obsessos viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, et auxilium Cæleste implorabunt: et exaudiet*

Quo verbo Christi, occidendus sit Antichristus.

Sententia Lactantii Firmiani de Antichristi exitu & interitu.

eos

eos Deus, & emittet Regem magnum de Cælo, qui eos eripiat & liberet, omnesque impios, ferro, igníque disperdet. Hactenus Lactantius, satis commodè præfata verba S.Ioannis interpretans: sed sequitur alia subjungere, ostendens cap. 18. quomodo hæc prænunciata sint & vaticiniis Prophetarum,& oraculis gentilium Vatum, & versibus Sibyllinis, in hunc modum: *Hæc ita futura esse, tùm Prophetæ omnes ex Dei spiritu, tùm etiam Vates ex instinctu dæmonum cecinerunt. Hydaspes enim, quem superius nominavi, descripta iniquitate sæculi hujus extremi, pios ac fideles à nocentibus segregatos ait cum fletu & gemitu extensuros esse ad Cælum manus, & imploraturos Fidem Iouis. Iouem respecturum ad terram, & auditurum voces hominum, atque impios extincturum. Quæ omnia vera sunt, præter unum quòd Iouem dixit illa facturum, quę Deus faciet. Sed & illud non sine dæmonum fraude subtractum est: Missum iri tunc à Patre Filium* Dei,*qui deletis omnibus malis pios liberet;quod & Hermes tamen non dissimulauit. In eo enim Libro qui Sermo finalis inscribitur, post enumerationem malorum, de quibus diximus, subjecit hæc:* Cùm *hæc ita facta fuerint, ò Asclepi, tunc Dominus &* Pater *& Deus, & primi & unius Dei creator respiciens quæ facta sunt, & suam voluntatem in hujusmodi bonum præponens temeritati, & errorem revocans, malitiam purgabit: partim quidem aqua nimia dissolvens, partim igne rapido cremans, interdum bellis,ac pestilentiis percutiens ad statum pristinum perduxit, suumque restituit Mundum. Sibillæ quoque non aliter fore ostendunt, quàm ut Dei Filius à summo Patre mittatur, qui & justos liberet de manibus impiorum, & injustos cum tyrannis sæuientibus deleat, è quibus una sic tradidit: Veniet & Beatorum volens Vrbem expugnare, & quidam à Deo missus Rex ad suos omnes, perdet Reges magnos & viros optimos: sic judicabitur ab immortalibus hominibus. Item alia: Tunc ex Sole Deus mittet Regem, qui omnem terram placabit à bello malo. Et rursus alia: Jugum nostræ seruitutis intolerabile in collo positum tollet, & leges impias soluet uincula uiolenta.* Hæc Lactantius: qui rursus susceptum sermonem perducens, indicans cap. 19. quomodo Christus & quibus signis præcedentibus descendet de Cælo, ut interficiat Antichristum, & tyrannos & impios deleat de terra, sic ait: *Oppresso igitur Orbe terræ, cùm ad destruendam immensarum uirium tyrannidem humanæ opes defecerint, (siquidem capto Mundo cum magnis latronum exercitibus incubabit) Diuino auxilio tanta illa calamitas indigebit. Commotus igitur Deus, & ancipiti periculo, & miseranda comploratione justorum, mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur Cælum medium intempesta nocte, & tenebrosa, ut in Orbe toto lumen descendentis Dei tanquam fulgor*

 appa-

appareat: quod Sibylla his uerbis locuta est : Cùm venerit ignis, erunt tenebrę in media noctę obscura. Hęc est nox, quę à nobis propter aduentum Regis, ac Dei nostri peruigilio celebratur. Cujus noctis duplex est ratio, quòd in ea, & vitam tunc recepit cùm passus est, & postea Orbis terræ Regnum recepturus est. Hic est enim liberator, & judex, & ultor, & Rex, & Deus, quem nos Christum vocamus, qui priusquam descendat, hoc signum dabit: Cadet repentè gladius è Cælo, ut sciant justi Ducem Sanctæ militiæ descensurum, & descendet concomitantibus Angelis in medium terræ, et præcedet eum flamma inextinguibilis, et virtus Angelorum tradet in manus justorum multitudinem illam, quæ montem circumsederit, et concidetur ab hora tertia usque ad uesperam, et fluet sanguis more torrentis, deletisque omnibus copiis impius solus effugiet; & peribit ab eo virtus sua. Hic est autem, qui appellatur Antichristus, sed se ipse Christum mentietur, & contra verum dimicabit, & victus effugiet, & bellum sæpè renouabit, & sæpè vincetur, donec quarto prælio confectis omnibus impiis debellatus & captus, tandem scelerum suorum luet pœnas. Sed & cæteri principes & tyranni, qui contriuerunt Orbem: simul cum eo vincti adducentur ad Regem, & increpabit eos, et coarguet, et exprobrabit iis facinora ipsorum, et damnabit eos, ac meritis cruciatibus tradet: sic extincta malitia, et impietate compressa requiescet Orbis, qui per tot sæcula subjectus errori ac sceleri, nefandam pertulit seruitutem. Hucusque Lactantius, perperam in quibusdam sententiis Ezechielis & Joannis de prælio Antichristi, & Gog & Magog reddens; quas nos jam suprà integrè ac verè retulimus.

Vigiliæ Christianorum cur institutæ, secundum Lactantium Firmianum.

X. Præterea Christi descensum, gladium, pugnam, &c. quæ tradit (ut suprà audisti) S. Ioannes, Lactantius planè ad literam ut sonant, eventura asserere videtur; nos verò dicimus, quòd veriùs videtur, hæc & symbolicè ostensa Ioanni, tantùm significare Imperiū, dominium, ac mandatum Christi, quo ipse manens in Cælo per Michaelem, quasi Ducem suum, comitatum aliis Angelis, ingenti luce quasi fulmine siderabit & afflabit Antichristum: itaque eum omni vi, robore & vita privabit, ac deturbabit in tartara. Id ita esse patet. Primò, quia certum est, quòd ea quæ in Apocal. 19. dicuntur de Cælo aperto, de equis albis, de Christi diadematibus & veste aspersa sanguine, de titulo in femore scripto. *Rex Regum, & Dominus dominantium*, non realiter evenient, sed tantùm symbolicè per visionem ostensa sunt Ioanni, ad repræsentanda mysteria Christi, quæ explicat ibi Cornelius à Lapide. Ergo & cætera cùm sint his similia, symbolicè accipienda sunt, non ut realiter eventura. Simili schemate Psaltes Psal. 17. symbolicè & Poeticè describit Deum nubi-

Utrum ea, quæ tradit S. Ioannes in Apocal. 19. de Christi descensu, gladio, pugna, &c. ad literam accipienda sint?

Affirmat Lactantius Firmianus:

Resp. negativè.

nubibus vectum, armatum grandine, tonitru, fulmine, &c. descendere ad proterendum impios hostes suos. Ita quoque S. Ioannes ubi suprà ver. 21. symbolicè enarrat præfatam mortiferam stragem exercituum septem Regum, ac Gog & Magog, cùm inquit: *Et cæteri occisi sunt in gladio:* quasi dicat, Cæteri milites Antichristi, putà exercitus septem Regum, ac Gog & Magog, *gladio*, id est, iussu & virtute Christi, occidentur: quam exequetur non per gladium, sed per ignem de Cælo missum, uti docet cap. 20. ver. 9. Gladius ergo hic erit ignis & grando, quæ ex ore Christi procedent: quia Imperio Christi de Cælo descendent, & exercitum illum impiorum delebunt. Verùm quod Lactantius superius annotavit, stragem exercituum Antichristi futuram esse in nocte ipsa, quæ Christianis Sacra est in honorem Resurrectionis Christi Domini altiori (ut inquit Malvēda lib. 10. de Antichristo cap. XI.) est indagine meditandum: neque enim undenam id acceperit scimus, nisi inde forsitan, quòd nox illa perpetuo Christianis maximo cum honore celebrata est, quam olim totam in precibus, & Sacrificiis traducere consueverunt, eamque Apostoli celebrandam statuerunt non anniversario revoluto tantùm mensium spatio, sed cujuslibet Hebdomadæ eadem prima recurrente die, quam proinde Dominicam dixère, ut apparet ex Joanne Apostolo & aliis Apostolorum temporis vicinis. Forsitan Lactantius non intellexit de Anniversaria Resurrectionis Christi die, sed de octonaria singulis Hebdomadis recurrente, nimirum de Dominica die. Hanc enim pervigilio quoque à Christianis olim celebrari solitam constat ex Concilio Matisconensi Can. 1. & in Appendice ad 6. Synod. Can. 8. aliisque. Quam S. Ignatius Reginam & Principem omnium dierum appellat Epist. 6. ad Magnesianos.

Secundò, quia Apostolus (ut suprà ostendimus) ait 2. Thess. 2. ver. 8. quòd Christus occidet Antichristum, non gladio, sed *spiritu*, id est, Imperio, *oris sui*; *& illustratione*, idest, fulgore prævio & prænuncio, *adventus sui*. Hoc enim fulgore quasi fulmine è Cælo emisso, sive per se, sive potiùs per Michaelem siderabit & consumet Antichristum. XI.

Tertiò, quia Daniel cap. 12. ver. 1. ait, quòd tunc consurget Michael in prælium pro Christo & Christianis. Sicut ergo Rex per Ducem bella gerit & conficit hostem: ita Christus per Michaelem conficiet Antichristum. Hic enim est Præses Ecclesiæ, ideòque Dux Christi: unde & Apocal. 12. ponitur Dux belli Christiani, quo scilicet in fine Mundi cum Lucifero & Antichristo confliget pro Christo & Christianis, ac Antichristum profligabit. XII.

Quartò, quia S. Petrus Act. 3. ver. 21. docet Christum post ascen- XIII.

ſum in Cælum,ibi manſurum,nec viſibiliter ex eo deſcenſurum,niſi in die Iudicii, quo reſtituet omnia. Ergo non deſcendet ut occidat Antichriſtum. Hic enim occidetur ſive ſeptem annis ante diem Iudicii, ut colligitur à multis ex Ezech. 39. ubi Profeta ver. 12. narrans de clade, ac ſepultura exercituum Gog & Magog, ſic deſcripta funeſta ſtrage, loquitur: *Et ſepelient eos domus Iſrael, ut mundent terram ſeptem menſibus. Et viros iugiter conſtituent luſtrantes terram,qui ſepeliant,& requirant eos, qui remanſerant ſuper faciem terræ, ut emundent eam. Poſt menſes autem ſeptem quærere incipient,&c.* Et ſuperius ver.9. agens de armis trucidatorum exercituum Gog & Magog,quæ poſt ſtragem relinquentur in campis,ait: *Et egredientur habitatores de Ciuitatibus Iſrael,& ſuccendent, & comburent arma,clypeum, & haſtas,arcum, & ſagittas, & baculos manuum, & contos: & ſuccendent ea igni ſeptem annis. Et non portabunt ligna de regionibus,neque ſuccident de ſaltibus, quoniam arma ſuccendent igni.* Ex his Ezechielis verbis duo in primis accipiuntur: Alterum poſt mortem Antichriſti, & ſtragem Gog & Magog, quæ fermè ſimul erunt, fluxuros ante diem Iudicii ſeptem menſes,quibus pii ſepelient occiſorum cadavera; Alterum effluxuros nedum ſeptem menſes, ſed ſeptem etiam annos, quibus fideles non alia materia ad ignem utentur, quàm armis cæſsorum. Itaque ſecundum Ezechielem ſeptem conſumendi ſunt anni in comburendis armis deleti exercitus Gog & Magog,id eſt, Antichriſti quare ſeptem annos ad huc perſeveraturum Mundum poſt Antichriſti mortem cenſent plurimi,ut Nicolaus de Lyra in 39. Ezechielis, & Hector Pintus ibidem, Ribera in cap. 20. Apocal. num.73.& alii: ſive occidetur Antichriſtus multis diebus, & fortè ſeptimanis ac menſibus,ante diem Iudicii:nam quidam ex Danielis 12.colligunt, quadraginta quinque dies inter Antichriſti interitum,& adventum ſupremi Iudicis fluxuros; eò quòd Daniel ibi num.7.cùm enarraſſet perſecutionem Antichriſti duraturam per tempus, tempora, & dimidium temporis, id eſt, tres annos, & dimidium,ſive dies mille ducentos nonaginta,eodem cap.num. 11.& immediatè poſt ſubiicit ver.12.*Beatus qui expectat, & peruenit uſque ad dies mille trecentos triginta quinque*:id eſt,ut notant S.Hieronymus, Theodoretus, & alii,ut refert Suarez tom.2. in 3.P.diſp. 54. ſect.2.uſque ad adventum Domini.Illi igitur 45.dies,qui additi diebus mille 290.efficiunt numerum 1335.inter Antichriſti mortem & Iudicii diem intercedent, uti oſtendit Cornelius à Lapide in Apocalypſin cap. 19. ver.21.his verbis.*Quæres,quando occidendus ſit Antichriſtus? Reſp. poſtquam regnaverit tres annos cum dimidio,uti docet Daniel cap.12. ver.*

Sententia multorum æſtimantium, Antichriſtum eſſe occidédum ſeptem annis ante diem Iudicii.

Opinio nonnullorum aſſerentium, Antichriſtum eſſe interficiendum 45.diebus ante diem Iudicii.

Quo die occidetur Antichriſtus?

ver.7.& S.Ioannes Apocal.cap.11.ver.2.& 3.& cap.12.ver.14. Addit S.Hieron. in Daniel.12.ver.11.eum occidendum die 1290.ab initiò Regni sui, idque significare Danielem cùm ait: Et à tempore cùm ablatum fuerit (ab Antichristo initio suæ monarchiæ),iuge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem,dies mille ducenti nonaginta.Subdit Daniel:Beatus qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos trigintaquinque. Ex quibus verbis Sancti Hieron.& alii passim colligunt, post Antichristi mortem superfuturos dies 45.usque ad diem Iudicii, quos Deus dabit hominibus lapsis in persecutione Antichristi, ut pœniteant.Aliqui cum S. Hieronymo hos dies præcisè accipiunt, ita ut postero die præcisè, putà 46. à nece & persecutione Antichristi, futura sit omnium resurrectio,& Iudicium universale.Porrò probabile est,diem resurrectionis generalis fore eundem quo resurrexit Christus, puta diem Paschæ. Vnde Lactantius lib.7. cap. 19. docet nos resurrecturos in die Dominica, immò eadem hora qua Christus resurrexit: Christus enim fuit exemplar nostræ resurrectionis. Idem docet S. Anselmus in Elucidario, & Macharius Homil. 5.& 12. dicens, nostram resurrectionem fore tempore Aprilis,quando omnia florent,& speciem exhibent Cælestis gloriæ.Idem sentit noster Ioannes Salas in 1. 2. quæst. 5. art.5. Tract.2.disp.14.sect. 10. Suppositis hisce duobus principiis, scilicet Primò, à nece Antichristi usque ad diem Iudicii & resurrectionis, præcisè fore 45.dies:Secundò,resurrectionem fore ipso die Paschatis; sequitur Antichristum occidendũ finitis Bacchanalibus(quod notent & timeant bacchantes)primo die Quadragesimæ; ac deinde Quadragesimam totam dandam lapsis ad pœnitentiam,ut se præparent ad ultimum Pascha, quo resurgent subituri Iudicium generale. Quadragesima enim usque ad Pascha continet dies 46.deme ex iis diem primum, utpote quo occidetur Antichristus, supererunt 45. dies, quos numerat Daniel usque ad diem Iudicii; ita ut finito die 45.& incohante 46.qui erit Pascha,omnes resurgant & iudicentur. Ita opinatur vir quidam eruditus Romæ,qui mecum hac de re egit. Si dicas:Ergo præcisè poterit sciri dies Iudicii,quod negat Christus Marci cap.13. ver.32. Resp. negando consequentiam. Nunc enim is non potest sciri, & deinceps non poterit sciri usque ad mortem Antichristi:ea verò peracta poterit probabiliter ex dictis cognosci; at non certò sciri:quia utrumque principium quo nititur hæc sententia,incertum est, & probabile duntaxat, scilicet quòd resurrectio fiet die Paschatis, & quòd præcisè erunt 45. dies à nece Antichristi usque ad diem Iudicii. Multi enim longè plures fore opinantur, ut dixit Daniel 12. ver. 11. in hisce ergo conjecturis nihil certò definiri potest, præsertim cùm à variis variæ aliæ afferantur, quarum quæ sit vera,

euen-

eventus declarabit. Hæc Cornelius à Lapide.

XIV. At verò alii infrà ostendendi asserunt, incertum esse quantum temporis effluxursi à morte Antichristi ad finem usque sæculi, & universale Iudicium: nā quamvis S. Hieronymus in 12. Danielis, Venerabilis Beda in 8. Apocalypsis, S. Anselmus in 2. Thessal. Strabus, Anselmus Laudunensis in Glossis Daniel. 12. & alii Recentiores, ut Lyranus, Varallus, Pererius, Sà in 12. Daniel. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 9. & 17. & alii notent quadraginta quinque dies interlapsuros à nece Antichristi ad finem usque sæculi; tamen aliqui subtilius, annotarunt, ut S. Antoninus, Compendium Theolog. Viguerius, & alii, Danielem dixisse post mortem Antichristi concedi dies 45; ad refrigerium, & tranquillitatem bonorum, ut interim requiescant à laboribus, quos sub Antichristo pertulerunt: & ad locum pœnitentiæ perfidis obduratis à Dei misericordia tribuendum: non tamen clare affirmasse dicunt, non futuros plures dies ab interitu Antichrististi præfinitè ad Iudicium generale, siquidem Daniel nihil de Iudicio meminit: sed tantùm asseruit Beatum futurum illum, qui Antichristo occiso, supervixerit dies 45. nam si pius, quiescet interim, si impius, habebit spatium pœnitendi. Sic autem qui ita sentiunt, loquuntur: *Iterfecto autem Antichristo non statim Dominus veniet ad Iudicium, sed concedentur secundum Danielem quadraginta quinque dies ad refrigerium Sanctorum, & ad conversionem, & pœnitentiam subuersorum. Quantum autem spatium sit inter illos quadraginta quinque dies, & finem Mundi, nemo scit*. Hæc illi. Itaque secundum eos incertum est, nec potest ex illo Danielis loco colligi quantum temporis interfluxurum sit ab exitu Antichristi ad Iudicium: nam non constat, inquiūt, qualiter illi Quadraginta quinque dies intelligendi sint; an nimirum sint futuri naturales, ac proprii, an verò annuales: hoc est, dies pro anno, ut Ezechiel. 4. *Diem pro anno dedi tibi*. Forsitan etiam accipitur dies pro mense, aut pro hebdomada. Ita Lyranus in 39. Ezechiel. & in 12. Daniel. & Pintus in 12. Dan. Nec eis omninò adversari videtur, quid Ezechiel narrat (ut suprà audisti) nedum septem menses, sed septem etiam annos post mortem Antichristi, & stragē Gog & Magog, quæ ferme simul erunt, ante diē Iudicii effluxuros. Multi namque, licèt Lyranus in 39. Ezechielis, Ribera in 20. Apocalypsis num. 72. verisimile putent post cladem Gog & Magog, & mortem Antichristi, saltim septem annos (uti supra ostendimus) esse lapsuros ad diem usque Iudicii, propter verba Ezechielis nuper citata confitentur, ut Pintus in 39. Ezechielis, Mundum post Antichristi mortem esse nonnullos annos duraturum: sed incertum nobis esse tempus illud. Malvenda verò lib. 11. cap. 19. cui etis diligen-

ligentius consideratis, quamvis tutum existimet sententiæ Patrum inhærescere, quæ docet à morte Antichristi ad Iudicium non interiici nisi 45.dierum tempus, tutius tamen arbitratur ingenuè ignorantiam profiteri, ac rem totam adhuc in incerto relinquere. Quod verò Ezechiel ait, septem mensibus esse sepelienda occisorum Antichristianorum cadavera, & septem annis arma eorundem concremanda, certum est Hebraica phrasi septem, quandoque sumi pro multis, & fortasse interdum pro minori numero, quàm septenario: sic Anna de se canit 2.Reg.cap.1.ver.5. *Donec sterilis peperit plurimos*. Hebr. peperit septem, cùm tamen constet Annam quinque, vel sex tantum filios peperisse: sed sic locuta est per hyperbolem.

XV.

Quo anno ætatis suæ Antichristus interficietur.

Quod verò ad ætatem Antichristi attinet, (ut de hac quoque vel unum adiiciamus verbum cum Malvenda ubi supra cap.16.) probabile cum eo arbitramur Antichristum anno vitæ suæ trigesimo tertio exacto, & per sex alios menses inchoato trigesimo quarto, interficiendum à Christo per ministerium Michaelis Archãgeli: sicque tres menses amplius quàm Christum esse victurum: nam Christum Dominũ 34.ætatis suæ anno per tres menses inchoato vitam dedisse pro Mundo, melior sententia docet: verisimile enim putamus Antichristum, quamprimũ expleto trigesimo, trigesimum primum exordietur, simul quoque Monarchiam, & persecutionẽ Ecclesiæ auspicaturum. At hæc nõ pro certis, sed pro verosimilibus haberi volumus.

XVI.

Quintò, subordinatio recta Divinæ providentiæ exigit, ut per ministerium Michaelis Archangeli Antichristus tollatur è medio. Solet enim Deus sua iudicia exercere per Angelos: hi enim sunt administratorii eius spiritus, Hebr. 1. ver.14. Contrarium enim nec deceret Christum, nec Antichristũ. Vt quid enim Christus, Deus & Dominus omnium, cùm tot legionibus Angelorum & Sanctorum è Cælo descenderet ad conficiendum Antichristum, qui miser & vilis erit homuncio, quem solo flatu, immò nutu potest occidere, quin & annihilare? ut quid tot legiones Angelorum quasi militum ei astant, paratæ ad omnem eius nutum, ex quibus unus sufficit ad delenda plurima hominum millia?

XVII.

Sextò, quia Sybilla lib.3.Orac. igne Cælesti, putà fulmine, afflandum Antichristum prædicit, cùm ait: *Cum potestas ardens* (putà ignis & fulmen validum) *inundans in terram venict, & Beliar incendet, & superbos homines; omnes quicunque ei fidem præstiterint*. Beliar enim (id est, Belial. Subinde enim litera l.in r.convertitur) hoc est, homo impiissimus, sine iugo, sine Deo & lege, est Antichristus, quem Archangelus Michael fulgure, ut suprà videtur, deturbabit: ac ita priùs, uti superius ostensum est, fulminabit Gog & Magog, omnesque Antichristi & ministros & milites; cessabitque persecutio,

tio, & dabuntur lapsis, ut pœniteant, ad minimum 45. dies. Vnde Apocal. 8. dicitur: *Cùm aperuisset septimum sigillum, factum est silentium in Cœlo quasi media hora.* Gloss. Quia post mortem Antichristi pax erit in Ecclesia hora modica. Itaque tunc serenissima pace atque quiete reddita Ecclesiæ per universas Mundi Regiones, ac potissimum in Iudæa, cuncti Christiani in publicum prodibunt lætissimi; & inenarrabili gaudio, festivissimisque acclamationibus ingentes Christo victori gratias agent, decretis, celebratisque publicis supplicationibus, Sacrisque pompis, accensis ubique luminibus, prorituque Christiano festis institutis, ut solet fieri in communi lætitia, sed maior illa, quæ tunc erit, nunquam antea extitit, cùm se viderit Ecclesia è mediis draconis faucibus ereptam. Purgabunt pii magna alacritate Sacra Templa, eaque sanctificabunt, diruta instaurabunt: sed ante omnia comparatis & conquisitis undique vasis, ornamentis, libris, & omni Sacro apparatu, quanta poterunt frequentia comportato, celeberrimè & devotissimè Sacrosanctum ac vivificum, quod iam per tres annos & sex menses, & forsan decem amplius dies publicè saltem offerri desierat, peragent Missæ Sacrificium, in quo gloriosissimam prædicabunt & canent memoriam omnium fortissimorum & invictissimorum Christi Martyrum ab Antichristo eiusque ministris occisorum, quorumcunque poterunt nominibus in Missa recitatis, eorumque laudibus ac dignis encomiis pro concione ad populum decantatis; nimirum iuxta priscum illum Ecclesiæ ritum, quo nomina Martyrum ac Sanctorum è Sacris Dypticbis in Ecclesia inter Divina & incruenta Sacra commemorabantur. Atque hæc omnia tùm Hierosolymis, tùm in reliquis Provinciis ubi Christiani reperientur, non dubitamus futura modico tempore. Nullam enim certitudinem habemus, quantum illud tempus durabit, nisi pro 45. diebus prout in Gloss. super Danielem reperitur. Qui dies concedentur ad refrigerium Sanctorum, & ad pœnitentiam subversorum: eò quòd Antichristo mortuo, qui seducti fuerant, revertentur ad Fidem: & in Hierusalem adorabunt Dominum nostrum Iesum Christum. Tuncque salvi erunt, qui relicti fuerint de populo Israel, invocantes nomen Domini, sicut fuit prophetatum Malach. ultimo, & Ioel 2. & ut ait, uti suprà ostendimus, S. Paulus ad Rom. 11. *Tunc intrabit ad Fidem plenitudo gentium: et omnis Israel saluus fiet:* & adimplebitur, quod dicebat Dominus Ioan. 10. *Fiet unum Ouile et unus Pastor.* Lactantius verò Firmianus ubi suprà cap. 19. statum illius temporis in hunc modum describit: *Sic extincta malitia, et impietate compressa, requiescet Orbis, qui per tot sæcula subiectus errori ac sceleri nefandam pertulit seruitutem. Non colentur ulterius dii manufacti sed à templis &* pul-

Quæ futura sint mox á morte Antichristi.

pulvinaribus suis deturbata simulacra igni dabuntur, & cum donis suis mirabilibus ardebunt : quod etiam Sibylla cum Prophetis congruens, futurum esse prædixit: Conterent autem simulacra homines, & divitias omnes. Erythræa quoque idem spopondit: Opera autem deorum humanis manibus facta exurentur. Hæc sanè Lactantius, quem ista sumpsisse miramur, cùm superius abundè sit à nobis demonstratum, Antichristum idola omnia, eorumque cultum toto Imperii sui tempore penitus ablaturum. Nisi forsitan de statuis & imaginibus Antichristo tanquam Deo positis intelligat. Sed magis adhuc mirati sumus, quod Sibylla cecinerit post mortem Antichristi Orbis Imperium penes mulierem quandam viduam futurum: sic enim lib. 3. Orac. ait:

Tunc autem Mundus manibus muliebribus omni
In rerum summa parebit, eisque regetur:
Cùm verò vidua in totum regnaverit Orbem,
Aurumque argentumque hominum, queis vita caduca est,
Ferrumque æsque maris salsas jactaverit in undas,
Omnia tunc Mundo viduata elementa jacebunt.

Hæc quidem Sibylla (si libri tamen impostura non carent) de regnante vidua post mortem Antichristi vaticinata est, quæ fatemur nos cum Malvenda ubi suprà cap. 17. non intelligere: forsitan asseruit Mundum tunc non Monarchia, hoc est, unius viri principatu, sed Aristocratia, seu Democratia regendum, ac futuram unã Rempublicam sine Principe, ut quondam Romana fuit: forsan arcanum aliquod mysterium innuit, quod tunc aperietur, nunc interim manet occultum, fortassis ita revera erit, ut Regina vidua toti imperitet Orbi, vel intelligit penes Ecclesiam futuram, tunc Monarchiam etiam civilem & temporalem. Deinde Christus Dominus noster veniet ad Judicium, omnesque resurgent, Daniel. 12. ver. 12. Sed quando Dominus ad Judicium post necem Antichristi venturus sit, nemo scit nisi solus Deus. XVIII.

At verò ex eo, quod superius ostensum est, Michaelem Archangelum esse fulminaturum Gog & Magog, omnesque Antichristi & ministros & milites, quæri potest. Qui erunt ministri, milites, exercitus Antichristi? Respondet Cornelius à Lapide in 2. ad Thess. 2. Erunt Gog & Magog; ut patet Apocal. 20. ver. 7. Sed quæres, (subdit ille) qui sunt Gog & Magog? Judæi fabulantur esse gentes Scythicas innumerabiles, quæ latent intra montes Caspios, & venient cum Antichristo contra Messiam, sed ab eo cædentur in Palæstina. Secundò, Lactantius lib. 7. cap. 24. putat prælium Gog & Magog futurum mille annis post resurrectionem & mortem Antichristi. Idem censuit Tertull. Papias, Justinus, & alii Chiliastæ, sive Millenarii, XIX.

Quæstio de ministris & satellitibus Antichristi.

Qui intelligantur per Gog & Magog; referuntur decem sententiæ.

narii, qui cœperunt tempore S. Joannis per præfatum Papiam ejus discipulum. Vide Eusebium Cæsariensem lib. 3. Hist. cap. 39. Tertiò, idem Eusebius 7. Demonstr. 3. docet Gog esse Rom. Imperatorem, Magog Romanum Imperium. Quartò, alii volunt Gog & Magog esse prælia Angelorum & diaboli. Quintò, Theodoretus asserit Gog & Magog esse Alexandrum Magnum & Reges Syriæ ac Ægypti, Alexandri successores, qui Judæos afflixerunt, & tandem à Judæis superati sunt. Sed hoc falsum est: licèt enim contra eos illustres victorias habuerint Judæi, tamen nunquam eos planè superarunt, quin semper ab eis vexati sint. Sextò, Theodorus Bibliander, quem sequitur Chytreus cap. 20. Apocal. Gog & Magog volunt esse Gregorium VII. Godefridum Bullonium, & Christianos Principes, qui Terram Sanctam recuperarunt. Sed hoc est impium: Gog enim pugnabit contra castra Sanctorum, & Sanctam Civitatem, id est, veram Dei Ecclesiam. Cùm ergo Bullonius ejusque socii in bello Sacro pugnaverint contra Turcas & Saracenos sequitur ex sententia Bibliandri Turcas & Saracenos esse castra Sanctorum & Sanctam Civitatem. Septimò, Magdeburgenses opinantur Gog & Magog esse Turcas & Saracenos: sed errant. Gog enim & Magog tantùm erunt in fine Mundi cum Antichristo, ut patet Apocal. 20. ver. 7. & 11. Octavò, S. Ambrosius lib. 2. de Fide cap. ult. putat Gog esse Gothos, qui Romanorum Provincias vastarunt. Alii putant Gog esse Getas, Magog Massagetas. Nonò, Sanctus Hieronymus sentit Gog esse Hæresiarchas, Magog esse illos, qui eis credunt. Decimò, S. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 11. Gog, inquit, Hebraicè idem est, quod tectum, sive domus; Magog idem est, quod de tecto, sive ille, qui de domo procedit. Gog ergo sunt gentes, in quibus velut in domo vel abysso diabolus est inclusus. Magog est diabolus, qui de illis gentibus quodammodo se effert & procedit. Vel Gog sunt gentes, in quibus nunc includitur & tegitur diabolus; & eædē gentes erunt Magog, id est, de tecto, quando in apertum odiū de operto erupturæ sunt. Ità Augustinus. Verùm Gog non fore diabolum patet ex Apocal. 20. ubi S. Joannes dicit, quòd diabolus suscitabit Gog; non ergo Gog est diabolus.

XX.

Gog & Magog futuri tempore Antichristi.

Pugnabunt contra Ecclesiam.

Gog est Antichristus, Magog ejus exercitus.

Pro responsione, Nota ex Augustino, Areta, Primasio, Ruperto, Anselmo, & aliis passim, Gog & Magog futuros tempore Antichristi; unde Ezechiel ait eos fore tempore novissimo. Et patet Apocal. 20. ver. 7. & 11. Dico ergo prælium Gog esse prælium Antichristi contra Ecclesiam, esseque novissimam persecutionem. Ita S. Augustinus, & alii. Secundò, Gog videtur esse ipse Antichristus, vel certè primarius ejus Rex & belli Dux: Magog erit exercitus ejus, quia Ezechiel semper Gog vocat Principem, Magog verò vocat

cat

cat terram vel gentem. Tertiò, Gog dicitur à Magog, quia Princeps erit gentis Magog. Quartò, exercitus Antichristi dicitur Magog, quia constabit Scythis, Turcis, Tartaris; vel quia barbarus erit & crudelis instar Scytharum: nam Magog esse Scythas, colligitur ex Genesis 10. ubi filius Japhet vocatur Magog, à quo inhabitatam & nominatam Scythiam docet Josephus lib. 1. Antiq. cap. 11. & S. Hieron. in Quæst. Hebraicis in Genesi. Unde & socii Gog, quos hic nominat Ezechiel, scilicet Gomer, Togorma, Mosoch, Tubal, filii sunt vel nepotes Japhet, à quibus aliæ gentes nomen sunt sortitæ, ut Tubal sunt Hispani, Togorma, Phryges, Mosoch Cappadoces. Hinc rursum Ezechiel cap. 38. ver. 15. dicit Gog & Magog venturum ex Aquilone: in Aquilone autem habitant Scythæ & Tartari, & hi fuerunt milites Tamberlani, qui quasi alter Antichristus innumerabili suo exercitu omnia vastavit. Dices, Apocal. 20. dicitur, quòd Sathanas seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog: ergo Gog & Magog sunt gentes ex quavis Mundi plaga. Ita S. Augustinus. Respondeo. Sensus S. Ioannis est, sathanas seducet omnes gentes, quin etiam Gog & Magog. Videntur enim Gog & Magog fore Reges & gentes, maximè feræ, & fortissimæ ex septem illis Regibus, qui, ut dixi, sponte se subdent Antichristo.

Ex qua Mundi parte venturi Gog & Magog.

XXI.

Magnitudo exercituum Antichristi.

Quintò, exercitus Antichristi erit maximus, instar arenæ maris, Apocal. 20. Putant aliqui huc pertinere illud Apocal. 9. ver. 16. videtur: *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.* Græcè, id est, duæ myriades myriadum; myrias continet decem millia, duæ ergo myriades myriadum sunt ducenta millena millia, sive ducenti milliones, ducentos ergo milliones equitum haberet Antichristus, quantus ergo foret peditatus illius? Verùm hic locus non spectat ad Antichristum, sed ad tempora prævia Antichristo. Pro quo nota. Vidit S. Ioannes Apocal. 5. librum signatum septem sigillis, & tota Apocalypsi non aliud facit, quàm hunc librum cum suis sigillis explicare. Unde duæ sunt partes Apocalypsis: priore usque ad cap. 12. explicantur & referantur septem sigilla hujus libri: posteriore autem à cap. 12. ad finem Apocal. referantur & explicantur ea, quæ scripta erant in libro. Nota secundò. Septem sigilla continent septem persecutiones Ecclesiæ, quas illa patietur ante & usque ad Antichristum. Unde liber legi non poterat, nisi reseratis septem sigillis; quia tempora Antichristi videri nequeunt, nisi præeant aliæ persecutiones septem sigillis obsignatæ. Liber verò ipse continet ipsam persecutionem Antichristi, & ea quæ fient tempore Antichristi; jam hi ducenti milliones equitum, Apocal. 9.

Duæ partes Apocalypseos, & earum objecta.

Septem sigilla sunt septem Ecclesiæ persecutiones.

16. non pertinent ad librum, ac consequenter nec ad Antichristum: sed ad prævia tempora. Pertinent enim ad septimum sigillum, in quo septem Angeli septem tubis septem plagas in Orbem evocarunt, & sextus Angelus sua tuba evocavit hos ducentos milliones equitum, qui tertiam hominum partem occiderunt. Id rectè demonstrat Franc. Ribera sub finem 10. cap. Apocal.

XXII. Sextò, exercitus Gog & Magog venient ad Antichristum Hierusalem, ut in ea totaque Iudæa fideles & Christianos deleant: confluent enim undequaque Christiani & Gentiles Hierosolymam, ut audiant Eliam & Enoch in eo concionantes. Et significat S. Ioannes Apocal. 20. ver. 8. cùm ait: *Et ascenderunt* (Gog & Magog) *super latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum & Civitatem dilectam*, scilicet Hierosolymam. *Castra Sanctorum*; vocat receptacula & latibula Sanctorum Christianorum: non enim verisimile est oppressos Christianos habituros militaria castra sub Antichristo potentissimo, quibus collatis signis cum Antichristo, totoque ejus exercitu confligant. Unde subdit S. Joannes, quòd juxta Hierosolymam de Cælo pugnabit contra Antichristianos hos Christus, omnesque disperdet in loco, qui inde Hebraicè dicetur Armagedon (Apocal. 16. vers. 16.) quasi dicas, anathema excidii, id est, plenum excidium. Sic enim ait Apocal. 20. ver. 9. *Et descendit ignis à Deo de Cælo, & devoravit eos* (Gog & Magog.) Idem docet Ezechiel cap. 38. ver. 22. cùm ait: *Et judicabo* (puniam) *eum* (Gog) *peste & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis; ignem & sulphur pluam super exercitum ejus, & super populos multos, qui sunt cum eo.* Addit Ezechiel tanta fore cæsorum spolia, ut foco sufficere possint toti Israel ad 7. annos: tunc simul cum eis Antichristus rapietur ad tartara, Apocal. cap. 20. ver. 11. Denique Daniel cap. 12. cùm numerasset dies Regni ejus 1290. addit, *Beatus qui pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque*, id est, ad 45. diem à cæde Antichristi, Gog & Magog: non quòd tunc sit futurus dies Iudicii, sed quòd tunc planè Ecclesia & Orbis liberabitur ab omnibus Antichristi asseclis, ut pœnitere possint, qui sub Antichristo lapsi sunt: tuncque Ecclesia restaurabitur & reflorescet. Dabitur ergo pluscuIum temporis & spatii, ac consequenter non statim post hos 45. dies sequetur dies Iudicii, immò Ezechiel videtur dicere fore adhuc septem annos ante finem Mundi, cap. 39. ver. 9. 14. 15. Unde Sibylla lib. 3. Orac. docet post mortem Antichristi fœminam viduam regnaturam, quæ aurum, argentum, æs & ferrum in mare proiiciet, tùmque secuturum finem Mundi & diem Judicii. Ita Cornelius à Lapide. Hæc porrò libenti animo at-

Exercitus Gog & Magog venient ad Antichristum in Hierusalem.

Non statim post interitum Antichristi sequetur Judicium.

atque hilari facie dedi, ut redderem debitum hujus Curiosissimi Libri. Quibus parum vel nimium est, mihi Lector ignoscat. Quibus autem satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias congratulans agat, qui mihi suum præstitit auxilium, deditque pro suo munere ac benignitate, ut ad finem incolumis pervenirem. Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto, omnipotenti Deo in excelsis, in sæcula sæculorum. Amen.

F I N I S.



MO-

S.Irenæus lib.5.adverſ.Hæreſ.cap.29. de Antichriſto ait.

ET propter hoc in Beſtia veniente recapitulatio fit univerſæ iniquitatis, & omnis doli: ut in ea confluens, & concluſa omnis virtus apoſtatica, in caminum mittatur ignis.

S.Cyrillus Hieroſolymitanus Catheſ.15.Ita ait de Antichriſto.

CAve itaque tibi ò homo, & confirma animam tuam. Teſtatur tibi Eccleſia in conſpectu Dei viventis, prædicit tibi de Antichriſto, quæ futura ſunt, priuſquam veniat. Nec ſcimus ſi tuo tempore id fiet: ſed bonum eſt tamen, ut hæc ſcientes nos præmuniamus (*Et poſteà*): Confirma ergo te ipſum,ò homo:Indicati ſunt tibi dies Antichriſti: Ergo non tantùm memineris illorum: ſed abſque invidia omnibus trade. Si Filium habes ſecundum carnem, hoc jam inſinua.Quod ſi quem etiam per Catecheſim genuiſti,hunc præmunias, ne falſum tanquàm verùm recipiat.

S.GREGORIUS NANZIANZENUS *Jambico 5.*

Quid eſt Antichriſtus?
Vir opibus amplis,
Apoſtata ille peſſimus,
Belva venenum vomens.

S.Ephrem Syrus de Antichriſto ſic ait:

EGo quidem, ò fratres Chriſto Dilecti, vel ſola recordatione ſævi illius Dragonis attonitus fio, dum animo mecum complector, cogitoque futuram illam tribulationem,atque anguſtiam,quæ illo tempore cunctis obveniet hominibus; & quomodo ſceleſtus,atque infamis humano generi apparebit hic Drago: Maximè verò quàm atrox, infeſtuſque futurus ſit Sanctis Dei hominibus (*& poſt alia*): Si quis compunctionem cum lachrymis habeat in orationibus, Dominum roget, ut effugere queat maximam tribulationem ſuperventuram Orbi Terræ: ne omninò videat illam Beſtiam (*& infrà*): multis ſanè orationibus, ac lachrymis, ò Chariſſimi, nobis opus erit, ut tunc firmi atque conſtantes in tentationibus permaneamus. (*Et poſt multa*): Felicem, ac feliciſſimum illum, qui diebus illis ſpe firma in Dominum fixa, repertus fuerit prævalidus ac fidelis.

INDEX

Omnium rerum notabilium, quæ in hoc Curiosissimo de Antichristo Libro continentur.

rint

Bre-

nis,

D

Ec-

Hie-

I

Iu-

My-

Chri-

Se-

Quan-

Con-

T.

va-

V.

Va-

FINIS.

